


TRACTATUS

# DE NOVISSIMIS



INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

# TRACTATUS
# DE
# NOVISSIMIS

AUCTORE

FR. ALEXIO MARIA LÉPICIER

ORD. SERV. B. M. V.

OLIM IN PONTIF. COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
SACRAE THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE

*Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

1 Cor., XV, 58.




PARISIIS
Sumptibus et Typis P. LETHIELLEUX, Editoris
10, via dicta Cassette, 10

ROMAE EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

DILECTO FILIO

# ALEXIO MARIAE LÉPICIER

EX ORDINE SERVORUM B. M. V.

# BENEDICTUS PP. XV

## DILECTE FILI

### SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

*Quod christianae professionis vigor vulgo sensim languescat, quod in communi vita atque in humani generis societate iustitiae leges violentur tam facile, quod homines fluxa bona sic appetant ut nihil pensi habeant quin iis potiantur, haec et talia palam est non aliunde nasci, nisi ex oblivione eorum, quae omnibus mortalibus sunt post humanum exitum a iudice Deo vel speranda vel metuenda in sempiternum. Quoniam autem plerumque solet sanctissimae religionis negligentiam vel contemptum vanitas excipere superstitionum, videre licet non paucos iam esse qui temere cum arcanis spiritibus commercium habeant, seque imprudenter in laqueos induant diaboli. Itaque praeclarae cuiusdam opportunitatis sunt illi a te nuper editi libri : quorum in altero fuse de « Novissimis » doctrinam catholicam, scholasticorum more institutoque explicas, uberrimam praebens materiam concionatoribus sacris ad fidelium animos permovendos ; in altero autem de « Spiritismo » quae perhibentur, accurate theologiae tam-*

*quam trutina examinas, egregieque disputans, ex fidei principiis, qua sint condicione quidque agant animae corporum solutae vinculis, fallacias inimici hominis convincis, tam hodie multis exitiosas. Quos equidem libros — ut cetera tua scripta, quibus et fidem tueri et pietatem in populo fovere iam pridem studes — accepimus perlibenter; eo magis quod in utroque, ut videmus, religiose, quemadmodum consuevisti, ducem et magistrum sequeris Aquinatem. Quare de hoc duplici doctrinae sollertiae pietatisque tuae munere meritis te laudibus prosequimur, atque ut inde optati fructus salutis animarum exsistant, auspicem caelestium bonorum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte fili, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.*

*Datum Romae, apud S. Petrum, die 30 mensis Aprilis 1921, Pontificatus Nostri anno septimo.*

*BENEDICTUS PP. XV.*

SANCTI EPHREM SYRI

MONACHI EDESSENI

ECCLESIAE UNIVERSALIS DOCTORIS

A SUMMO PONTIFICE BENEDICTO XV

NUPER RENUNCIATI

AD DEIPARAM VIRGINEM IMMACULATAM

PIA PRECATIO

*Adesto mihi, nunc et semper, o Virgo Dei Genitrix, Mater misericordiae, benigna et clemens, in praesenti quidem vitae cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, ... in tremendo autem die iudicii, ab aeterna me damnatione liberans* [1].

1. Sermo VI De Nativ. B. M. V., t. IX, p. 718.

IMPRIMATUR

**Fr. Aloysius M. Tabanelli**

*Ord. Serv. B. M. V.*

*Prior Generalis*

---

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

---

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

# PRAEFATIO

Ad cultorem rerum theologicarum pertinet non solum Dei essentiam, quantum intellectui humano in hac vita possibile sit, rimari, sed divinorum etiam operum ad extra rationem investigare, quatenus in his Dei benedicti attributa, sapientia scilicet, bonitas, iustitia et fortitudo, manifestata relucent. In triplici porro sunt differentia res mundanae: scilicet, substantiae quaedam sunt pure spirituales seu angelicae; item, substantiae pure materiales; denique substantiae mixtae ex corpore et anima spirituali, qualis est homo. Haec omnia divinus Artifex, non ex necessitate suae naturae, nec ad augendam suam beatitudinem, sed liberrimo suae voluntatis decreto, ad manifestationem scilicet sapientiae et bonitatis suae, condidit, non quidem ab aeterno, sed determinato temporis initio; hominem vero, statim ab eius formationis principio, ad supernaturalem elevavit ordinem, quatenus Sanctissimae Trinitatis imaginem similitudinemque in se gereret, atque sua ipse operatione ad beatitudinem perveniret.

At, quemadmodum singulis rerum ordinibus in determinata temporis differentia Deus initium dedit, ita eisdem terminum imposuit, non quidem quantum ad esse earumdem, cum in nihilum neutiquam sint redigendae, sed quantum ad probationis aut fluctuationis statum, cui unaquaeque res, secundum suae naturae exigentiam subiacet. Quocirca Angeli quidem, cum sint substantiae pure

spirituales, cursum suum in momento compleverunt, cum uno tantum voluntatis suae motu finem suum vel sint perfecte adepti, vel ab eo misere ac totaliter defecerint. Pro singulis autem hominibus, probationis cursus, quamdiu sospes sit vita praesens, protenditur, qua per mortem dissoluta, corpus quidem putrescit in sepulcro, anima vero vel ad Deum beatitudine potitura pergit, vei ab eo aeternaliter damnanda abiicitur.

Quod probationis tempus pro singulis quidem hominibus breve est ac velut momentaneum; at pro universo genere humano longam complectitur saeculorum seriem, quae quanta futura sit, solus ille novit qui mundum condidit: qua denique elapsa, mundi iam finis adveniet, quando tota natura erit renovanda.

Quae cum ita sint, quemadmodum theologi partes sunt rerum origines perquirere, ita etiam ad eum spectat singulorum finem investigatione persequi, quod quidem in apposito Tractatu perfici postulatur. At, cum de Angelorum novissimis in speciali de eisdem tractatione actum iam fuerit, ideo restat ut de novissimis singulorum hominum, necnon de novissimis omnium simul hominum, una cum mundo materiali, hic tantummodo inquiramus.

Et primo quidem, quod attinet ad novissima singulorum hominum, maxime advertendum est, uniuscuiusque hominis sortes ita in morte determinari, ut impossibilis evadat aliqua in animae conditione mutatio relate ad finis ultimi seu beatitudinis assecutionem: unde vanissime decipiuntur, qui putant animam, post suam a corpore separationem, gradatim transire posse de statu miseriae ad statum felicitatis, per internam suimet ad Deum et ad bonum morale conversionem. Quod fortius inculcari hodie non piguerit, cum subdolis spiritismi artibus longe lateque perniciosa diffundatur doctrina de graduali sortium animae humanae post hanc vitam reformatione: quo errore nullus forsan perniciosior fingi potest, cum

hominem a fine vitae praesentis avertat, qui est ut *per opera bona certam* suam *vocationem et electionem* faciat [1].

Quod attinet ad ea quae in saeculorum fine sunt eventura, primo quidem loco gravis illa ac falli nescia occurrit Domini nostri sententia [2]: *De die autem illa et hora, nemo scit.* Quapropter, quae hac super re apud prophetas, et maxime apud S. Ioannem, in Apocalypsi, vaticinia leguntur, non debemus ea mente legere, quasi praesumentes *tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate* [3] perscrutari: cum prophetiae finis proprius sit, praedictione rerum futurarum, fidei illorum temporum inservire, in quibus res illae revera eveniunt: quod est, cum viderint homines res a Deo praedictas verificari, in promptu inde habent ut argumentum desumant, divinam Providentiam mundi, et maxime vero Ecclesiae, sortes regere. Quod inculcat S. Petrus [4]: *Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quae nunc nuntiata sunt vobis:* quo etiam sensu edixit Dominus noster [5]: *Amodo dico vobis, priusquam fiant; ut cum factum fuerit credatis* [6].

Quod autem ad praesens tempus attinet, cum scilicet signa mundi dissolutionem praenuntiantia nondum clare et manifeste apparuerint, plura eaque praestantissima, ex novissimorum consideratione, salutis documenta in fidelem populum derivantur. Scilicet, primo quidem, ex magnis tribulationibus quae Ecclesiae in fine temporum instabunt, apparet ordinem esse aeternum et immutabilem, a Deo praefixum, homines ad felicitatem et regnum caeleste pervenire non posse, nisi per magnos labores multosque sudores, et nonnisi acribus praeliis feliciter superatis. Tum manifesta fit, mediis hisce praeliis et contentionibus, paterna Dei in homines sollicitudo, qui

1. 2 Pet., I, 10. — 2. Matth., XXIV, 36. — 3. Act., I, 7. — 4. 1 Ep. I, 12. — 5. Io., XIII, 19. — 6. Cf. Io., XIV, 29; 1 Cor., X, 11.

vigilat super gregem suum, nec suis militibus adesse desinit, eosdem confortans contra hostes atque ad vincendum coadiuvans, eorum quoque inimicorum virtutem ac vires refraenans atque moderans, ne fideles plus aequo tentationibus obruantur. Denique ex futuro terribili bello in fine saeculorum a diabolo contra electos gerendo, magna elucescit Dei sapientia, qui vesanos huius diri hostis conatus ad finem suae voluntatis convertet, eosdem ultimo in salutem et glorificationem electorum suorum ordinando. Cum autem nesciamus quandonam haec sint eventura, menti nobis obversari debet monitum S. Pauli, scilicet debere nos *cum metu et tremore salutem* nostram operari [1], *expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei* [2].

At vero, etsi nil certi de mundi fine valet decerni, quae tamen fieri nunc in mundo cernimus haud obscure innuere videntur illa instare tempora, ad quae id refertur quod ait S. Ioannes in Apocalypsi [3]: *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Quod quidem haud ita pridem significavit s. m. Pius X, cum in prima sua Epistola Encyclica *E supremi apostolatus cathedra* [4], recensitis malis quibus aetas nostra obruitur, concluserit: *Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est, ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve* FILIUS PERDITIONIS, *de quo Apostolus loquitur* [5], *iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere, delere prorsus praefracte contenditur! E contra, quae, secundum Apostolum eumdem, propria*

1. Phil., II, 12. — 2. Tit., II, 13. — 3. XII, 12. — 4. 4 Oct. 1903. — 5. 2 Thess., II, 3.

*est* ANTICHRISTI *nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se* SUPRA OMNE QUOD DICITUR DEUS [1].

Equidem ex ipso S. Scripturae oraculo indubitanter accipimus, futuram hanc esse novissimorum temporum labem, fidem scilicet et caritatem in multorum hominum cordibus defecturam: sic quippe legimus [2]: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et rursus [3]: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Sane, caecutire illum oportet, qui non videat quam funesto exitu infidelitatis lues, tanquam pestis laetifera, totum orbem invadat: quam pestem tum scriptores in publicis ephemeridibus et novellensibus fabulis, cum magistri, in universitatum cathedris, ipsi quoque publicarum rerum moderatores palam ostentant ac blasphemo ore impune praedicant. Quantum vero elanguerit caritas, evincunt atrocia illa et nunquam anteactis temporibus audita bella, quibus recenti tempore vidimus gentes sanguine sitibundas adversus gentes, regna adversus regna pugnare, privatos vero homines aliorum ruinis ditescere.

Quae cum ita sint, enixe nobis adlaborandum est, ut fidei depositum sancte atque diligenter in cordibus nostris custodiamus; sedulo devitantes subtilissimas illas artes, quibus mundus atque diabolus fidei nostrae indesinenter insidiantur: simul quoque solliciti simus servare *unitatem spiritus in vinculo pacis* [4]; ac taliter vivamus, ut semper ob oculos nostros solemne illud S. Pauli monitum obversetur [5]: *Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini: omnia vestra in caritate fiant.*

Romae, in solemnitate Epiphaniae Domini, 1921.

1. Ibid., 2. — 2. Luc., XVIII, 8. — 3. Matth., XXIV, 12. — 4. Eph., IV, 3. — 5. 1 Cor., XVI, 13, 14.

# TRACTATUS

DE

# NOVISSIMIS

# INDEX RERUM

PROOEMIUM.



## QUAESTIO PRIMA.

DE CONDITIONE HOMINIS POST MORTEM

### Prologus



Art. I. — *Utrum omnes homines mori debeant.*

## QUAESTIO SECUNDA.

## DE FINALI SORTE ANIMAE HUMANAE SEPARATAE A CORPORE.

### Prologus.

## QUAESTIO TERTIA

## DE CAELO.

### Prologus.

ART. VII. — *Utrum quibusdam beatis aureola debeatur.*



ART. VIII. — *Utrum fructus debeantur in coelo virtuti continentiae.*



## QUAESTIO QUARTA

## DE INFERNO

### Prologus.

Art. IV. — *Utrum animae in inferno patiantur poenam damni.*



Art. V. — *Utrum voluntas damnatorum sit obstinata in malo.*

ART. VI. — *Utrum poenae damnatorum sint aeternae.*



ART. VII. — *Utrum poenas inferni aliquando mitigari contingat.*

Art. VIII. — *Utrum poenae damnatorum futurae sint aequales.*



Art. IX. — *Utrum pro quolibet peccato mortali aliquis in inferno aeternaliter sit puniendus.*

## QUAESTIO QUINTA

## DE PURGATORIO.

### Prologus.



#### Art. I. — *Utrum purgatorium sit post hanc vitam.*



#### Art. II. — *Utrum animae in purgatorio poenas patiantur.*

Art. III. — *Utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale quoad culpam.*

Paginae

ART. VI. — *Utrum orationes Ecclesiae, sacrificium altaris et eleemosynae prosint defunctis.*



ART. VII. — *Utrum suffragia pro speciali aliquo defuncto facta, illi magis quam ceteris prosint.*



ART. VIII. — *Utrum suffragia uni animae specialiter applicata infallibiliter ipsi prosint.*

ART. XI. — *Utrum de alicuius animae liberatione certiores reddi valeamus.*



## QUAESTIO SEXTA

## DE SIGNIS EXTREMUM IUDICIUM PRAECEDENTIBUS.

### Prologus.

Paginae

Paginae

ART. IV. — *Utrum in fine mundi venturus sit Antichristus, homo peccati.*



ART. V. — *Utrum adventus Henoch et Eliae finem mundi praecedere et praenuntiare debeat.*



ART. VI. — *Utrum universalis naturae perturbatio annuntiare debeat proximum mundi finem.*

Paginae

## QUAESTIO SEPTIMA

## DE RESURRECTIONE CARNIS.

### Prologus.



*c**

Paginae

ART. III. *Utrum omnium mortuorum resurrectio simul futura sit in fine mundi.*



ART. IV. — *Utrum in ressurrectione anima idem corpus resumet.*

Paginae

## QUAESTIO OCTAVA

## DE CONDITIONIBUS CORPORUM BEATORUM RESURGENTIUM.

### Prologus.

Paginae

ART. III. — *Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.*



ART. IV. — *Utrum claritas inerit corporibus gloriosis.*



## QUAESTIO NONA

## DE CONDITIONIBUS CORPORUM DAMNATORUM RESURGENTIUM.

### Prologus.



ART. I. — *Utrum corpora damnatorum resurgent incorruptibilia.*

## QUAESTIO DECIMA

## DE IUDICIO UNIVERSALI.

### Prologus.

Paginae

ART. I. — *Utrum universale iudicium sit futurum.*



ART. II. — *Utrum iudicium universale absolvendum sit per locutionem vocalem an mentalem.*



ART. III. — *Utrum omnes homines in ultimo iudicio comparebunt.*

## QUAESTIO UNDECIMA

## DE INNOVATIONE MUNDI POST IUDICIUM.

### Prologus.

# TRACTATUS

DE

# NOVISSIMIS



## PROOEMIUM

*In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* [1].

**1. — Ratio huius tractatus.** — Ad sacrae theologiae cultorem pertinet non solum Dei naturam atque attributa tum essentialia tum notionalia, quantum humano ingenio fidei lumine coadiuvato in hac vita permittitur, devote et reverenter investigare, sed etiam illius opera ad extra, quibus inexhaustas gloriae suae divitias, tanquam in speculo et in aenigmate, manifestavit, studio et admiratione prosequi. Porro huiusmodi divinorum operum triplex exstat consideratio, prout scilicet inspiciuntur in ipso eorumdem exordio, in evolutione cui temporis decursu subiacuerunt, et in finali sua consummatione. Et quidem, ad primam considerationem pertinet creatio rerum, tum spiritualium, tum materialium, seu earum ex nihilo eductio, Deo iubente, qui simul res in suo quasque ordine distribuit atque collocavit; ad secundam considerationem spectat humanae

1. Eccli., VII, 40.

creaturae, per peccatum sauciatae, reparatio atque sanctificatio, virtute Redemptionis per mortem Iesu Christi Filii Dei procurata; ad tertiam demum considerationem refertur sors ultima atque finalis rerum huius mundi conditio.

Porro, ultima rerum huius mundi visibilis sors et conditio alia est absoluta, quae scilicet in fine saeculorum obtinebit, alia relativa, quae in uniuscuiusque hominis obitu locum habet, cum anima rationalis, a corpore separata in suo statu fixe collocatur. Quapropter, in tractatione de rerum consummatione, debent primo considerari hominum, qui in terra peregrinantur, ultimae vicissitudines, cum videlicet ex hac vita discedunt atque aeternitatis domum ingrediuntur [1], iustum Dei iudicium subituri atque, pro meritorum diversitate, aut praemium aut poenas relaturi. Secundo, ultimi illi eventus erunt investigandi, qui ex ordinatione divina, aut immediate praecedent finem variationum huius mundi, aut ipsam saeculorum seriem definitive claudent, quando scilicet mortui e sepulcris resurgent, atque mundo per ignem purgato atque renovato, gloriosum Christi regnum, in aeternum perduraturum, inchoabitur.

2. — **Utilitas huius tractationis.** — Quam utilis, imo necessaria sit de novissimis accurata tractatio, ex hoc primo apparet, quod in ea rite edocemur quis sit ultimus noster finis, ad quem omnes nostras actiones dirigere debeamus. Enimvero vulgatum est adagium, in omnibus nos finem respicere debere, cum finis ratio sit eorum quae ad finem ordinantur: quocirca, in recta iustitiae et veritatis via illum ambulare necesse est, qui novissima sua semper ob oculos habeat; unde et regius Psaltes supplex Deum exorabat [2]: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi.*

1. Eccli., XII, 5. — 2. Ps. XXXVIII, 5.

Accedit hominem, quousque vitam ducit mortalem, innumeris praeoccupari passionibus atque diaboli et mundi tentationibus sollicitari, ut a Dei lege abstrahatur et ad peccatum potenter alliciatur. Iamvero, nihil post divinam gratiam tam efficax potest inveniri, ad pietatis studium in homine confovendum, illique salubrem peccati timorem iniiciendum, aut etiam, si iam in vitia praeceps ruerit, ad illum a perditionis via retrahendum, quam novissimorum, et maxime mortis, iudicii atque inferni, frequens et pia consideratio; unde illud solemne monitum Spiritus Sancti [1]: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

Denique, ad salutem obtinendam, haudquaquam satis est bene incepisse aut opus inceptum laudabiliter continuasse; sed necessaria est usque in finem perseverantia in bono, iuxta illud [2]: *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit;* ad quod quidem magna opus est animi virtute, qua quis vitae taedium fortiter sustinens a bono faciendo nunquam desistat, etsi in doloribus, egestate aut infamia vitam traducere debeat. Ad quod profecto obtinendum, homini nequit non esse valido adiumento iugis consideratio magnae illius diei, cum transactis dolorosae huius vitae doloribus atque certaminibus, coronam gloriae a iusto iudice, una cum omnium bonorum copia, in aeternum duratura percipiet. — Iugis ergo de novissimis consideratio homini finem suum ultimum constanter in mentem revocat, illum arcet a peccato, atque in bono ad extremum usque spiritum conservat.

**3. — Sacrae Scripturae et Patrum solemnia hac de re effata.** — Quae cum ita sint, qui ex hoc tractatu uberiorem fructum cupit percipere, conari debet ut ob oculos mentis suae sequentia Sacrae Scripturae effata, tanquam dicendorum summam atque tesseram, iugiter

1. Eccli., VII, 40. — 2. Matth., X, 22.

teneat. — *Hoc itaque dico, fratres*, ait S. Paulus [1], *tempus breve est; reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi.* Quibus omnino cohaeret illud Principis Apostolorum [2]: *Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod, carissimi, haec exspectantes, satagite, immaculati et inviolati ei inveniri in pace.*

Porro solemnia haec geminorum Apostolorum monita Patres atque Ecclesiae Doctores inculcare non destiterunt, quorum omnium placita, in hoc S. Gregorii Magni, brevi veluti compendio redacta, relegere est. Haec itaque *recordatio* (vanitatis rerum), ait ille [3], *magna vobis debet esse instructio, quoniam pro magno diligi non debet quidquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa summopere diligenda sunt, quae nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad horum desiderium anhelare sine divinae misericordiae gratia nullus valet, oramus omnipotentem Dominum, ut haec vobis et eligendi velle et posse tribuat obtinendi: quatenus et hic vos in suo vivere timore concedat, et postea in sanctorum martyrum sorte recipiat.*

4. — Quibusnam scopulis sit praesens tractatio obnoxia. — Scire autem debet prudens novissimorum

1. 1 Cor., VII, 29-31. — — 2. 2 Pet., III, 11-14. — 3. Epist. XLIX, ad Adeodatam illustrem, l. X. Ind. III, Paris., 1705, t. II, col. 1077.

investigator, haudquaquam satis sibi esse revelationis effata de ultimo nostro fine ac de iis quae illum circumstant, prae oculis in hac tractatione habere; sed sibi etiam proponere debet a nonnullis scopulis sedulo cavendum, in quos incauti, praesenti potissimum tempore, offendisse deprehenduntur. Qui quidem scopuli tum ex ipsius rei quae hic tractatur difficultate, tum ex humani sensus natura promanant. Et primo quidem recolendum est ea, de quibus hic agitur, suapte natura valde subtilia esse, ut est, puta, animae conditio cum a corpore separatur, vel modus quo carnis resurrectio perficitur; praeterea multa hic traduntur, quae cum sensibus e diametro pugnant, verbi gratia, poena quae vel pro una mortali culpa statuitur aeterna, aut praemium in altissima divinae essentiae visione consistens, aut cessatio illius motus mundani, cui adeo assuevimus, ut minime nobis videatur posse praetermitti. Quocirca, nil mirum si in hac praesertim materia suos videantur modernistae errores ita aggerasse, ut nullibi tam turpiter, sicut hic, erraverint. Unde plura debebunt eorumdem asserta corrigi, quod illi certe haud ita patienter ferent; adeo ut illud nobis usurpandum occurrat, quod olim in causa sua proferebat S. Hieronymus [1]: *Sciens et prudens in flammam mitto manum.*

5. — **Quatuor sedulo observanda pro recta huius tractatus intelligentia.** — Quae cum ita sint, si quis cupiat inoffenso pede in regione, quam exploraturi sumus, incedere, sequentia sibi observanda proponere debet. Primo quidem, cum ea quae respiciunt statum animae humanae post mortem itemque corporum resurrectionem, quodammodo fundentur in iis quae recta philosophia tradit de anima et de corpore necnon de substantiali eorumdem relatione, hinc ne latum quidem unguem

1. Praef. in L. Isaiae, ad Paulam et Eustochium.

debet theologus a peripatetica de psychologia doctrina discedere, si non vult, aut circa conditionem animae separatae aut circa corpus propriae animae denuo uniendum, inextricabilibus tenebris obrui, aut in multiplicem errorem impingere.

Secundo, cavere theologum oportet ne se, in determinanda hominis sorte post mortem, sensuum motibus [1], neglecta revelatione atque recta ratione, abripi sinat: secus enim fiet ut multa de illius futuro statu aut nullatenus aut nonnisi renitenti animo suscipiat. Sic qui poenarum inferni aut naturam aut durationem privati sui sensus iudicio, non ratione fide illuminata, determinare voluerit, certe adduci minime poterit, ut illas vel pro uno peccato mortali tam severas et in aeternum duraturas admittat. Pariter, cum sensibilia bona aequo pluris facere soleamus, nec spiritualia plene ponderare possimus, nisi revelato Dei verbo firmiter inhaereamus, aegre feremus ultimam felicitatem, quae tanquam iustum pro laboribus praemium habenda est, in Dei visione consistere.

Tertio, debet theologus recolere Deum expresse significasse se ultimi iudicii diem nemini revelasse; unde quidquid de signis mundi finem praecedentibus disseritur ita exponendum est, ut nullus inde praesumat determinare tempus quod *Pater posuit in sua potestate* [2]; sed circa rem hanc, sicut circa propriae vitae sortes, debet vir pius et prudens totum se divino committere beneplacito.

Demum, cum de ultimis mundi eventibus non semper explicita revelationis documenta aut Ecclesiae definitiones suppetant, theologus, pro assertis suis conficiendis recurret sive ad Patrum aut Doctorum Ecclesiae placita, sive ad sensum populi christiani, exploratis ex hoc duplici fonte conclusionibus reverenter inhaerendo, simulque a

1. Italice, *Sentimentalismo*. — 2. Act., I, 7.

novis et inauditis sententiis, quas caeca pietas parere solet, diligenter abstinendo.

**6. — Divisio totius tractatus.** — Cum nomine novissimorum significentur tum ea quae singulis hominibus ex hac vita migrantibus obveniunt, tum ea quae in fine saeculi in mundo eventura sunt, hinc duo distinctè et singillatim erunt pertractanda: scilicet, primum, novissima uniuscuiusque hominis (I-V), secundum, novissima mundi (VI-XI). — Porro, circa singulorum hominum novissima, duo investigari debent: unum scilicet de hominis conditione per respectum ad mortem (I), alterum de sorte quam uniuscuiusque hominis animae obtingere tunc necesse est (II-V): quae quidem sors considerari debet tum generaliter (II), tum particulariter (III-V), videlicet, vel per respectum ad statum perpetuum (III-IV), aut felicitatis in caelo (III), aut miseriae in inferno (IV); vel per respectum ad statum transitorium, seu purgationis (V). — Quantum vero ad mundi novissima, primo quidem consideranda veniunt signa illa quae tanquam finis mundi huius prodroma praenuntiantur (VI), secundo, ipsa mundi huius terminatio et innovatio (VII-XI); et quidem tum in hominibus (VII-X), tum in elementis materialibus (XI). Porro quae de homine in fine mundi consideratio instituitur non respicit eius animam, cum huius finalis sors statim post mortem defixa maneat; sed respicit totum hominem, ex anima et corpore constantem, et quidem prout subest tum divinae potentiae, qua illius corpus a morte suscitatur (VII-IX), tum divino iudicio omnia hominis opera palam tunc ad trutinam revocaturo (X). Denique consideratio de divina potentia corpus hominis ad vitam revocante bipartita erit, secundum quod resurrectio inspicienda est tum generaliter (VII), tum specialiter, scilicet relate ad bonos (VIII) et ad malos (IX).

*

De novissimis inquirendum est, prout respiciunt

- unumquemque hominem post mortem, quantum ad
  - conditionem ipsius hominis (I)
  - animae humanae finalem sortem, inspectam
    - generaliter (II)
    - particulariter, quantum ad statum
      - perpetuum
        - felicitatis in caelo (III)
        - miseriae in inferno (IV)
      - transitorium, seu purgationis (V)
- finem mundi, quantum ad
  - signa illum praecedentia (VI)
  - mundi ipsius
    - incolas, id est homines, prout subsunt Dei
      - potentiae operanti carnis resurrectionem, inspectam
        - generaliter (VII)
        - specialiter, relate ad
          - beatos (VIII)
          - damnatos (IX)
      - universali iudicio (X)
    - substantiam (XI)

Igitur undecim in hoc tractatu de Novissimis quaestiones instituendae sunt:

I. De conditione hominis post mortem.

II. De finali sorte animae humanae separatae a corpore.

III. De caelo.

IV. De inferno.

V. De purgatorio.

VI. De signis extremum iudicium praecedentibus.

VII. De resurrectione carnis.

VIII. De conditionibus corporum beatorum resurgentium.

IX. De conditionibus corporum damnatorum resurgentium.

X. De iudicio universali.

XI. De innovatione mundi post iudicium [1].

## PIA SUPPLICATIO

*Oro supplex, et acclinis*
*Cor contritum quasi cinis:*
*Gere curam mei finis* [2].

. . . . . . . . . . . . . . .

*Flammis ne urar succensus,*
*Per te, Virgo, sim defensus*
*In die iudicii* [3].

1. Cum praesentem de Novissimis materiam in Theologica Summa S. Thomas morte praeventus non pertractaverit, ideo a quaestionibus et articulis Supplementi, unde plura hausimus, ad singularum paginarum caput, indicandis, sicut in aliis tractatibus constanter fecimus, hic abstinemus, quae tamen suis quaeque respective locis ad paginae calcem indicabuntur. — 2. Seq. *Dies irae.* — 3. Seq. *Stabat Mater.*

# QUAESTIO PRIMA

## DE CONDITIONE HOMINIS POST MORTEM.


### PROLOGUS.

**1. — Ratio quaestionis.** — Inter mala quibus natura humana afficitur, supremum tenet locum mors, qua et ipsius naturae partes dissociantur, et corpus in ea dissolvitur elementa, unde primitus constitutum fuit. At divina Providentia, quae omnia *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit... suaviter* [1], malum huiusmodi, pro electis, in magnum convertit bonum, cum decreverit ut simul esset huius vitae maiorum finis et initium novae vitae in plenae beatitudinis possessione consistensis. Theologo igitur, novissima hominis exploranti, quaestio de morte primo loco consideranda occurrit, ut sub duplici lumine, rationis et fidei, determinet qualis sit hominis, post praesentem vitam, et quoad animam, et quoad corpus, conditio.

**2. — Divisio quaestionis.** — In quo quidem duo singillatim inquirenda veniunt: primum scilicet, de ipsa morte, ut sciatur utrum illius necessitati omnes homines subiaceant (1); secundum, de novo modo existendi qui homini competit, et quantum ad animam (2-5), et quantum ad corpus (6). Et quidem, quantum ad animam, primo inquiri debet de ipsa eius substantia (2), et secundo, de eius facultatibus (2-5), tum in ordine ad actiones immanentes, scilicet de intellectu (3) et de voluntate (4), tum in ordine

1. SAP., VIII, 1.

ad actionem transeuntem, seu ad motum localem corporum (5); quantum ad corpus vero quaerendum est, quantum ad ordinem quem ad illud anima adhuc retinere potest (6).




Igitur sex investiganda sunt hac quaestione.

*Primo.* Utrum omnes homines mori debeant.

*Secundo.* Utrum anima humana separata a corpore sit intransmutabilis.

*Tertio.* Utrum anima separata aliquid intelligere possit.

*Quarto.* Utrum anima separata possit ultimum finem sibi de novo praefigere.

*Quinto.* Utrum anima separata possit movere corpora localiter.

*Sexto.* Utrum Sanctorum reliquiis aliquis honor debeatur.

## Articulus I. — *Utrum omnes homines mori debeant.*

**1. — Quotuplex sit mors.** — Mors (θάνατος), quae solet definiri *privatio vitae,* aliquando proprie, aliquando metaphorice sumitur. Proprie quidem significat separationem animae a corpore per huius dissolutionem, iuxta illud[1]: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*[2]. Metaphorice autem mors dicitur privatio gratiae quae est vita animae, iuxta illud[3]: *Vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris,* etc.; aut etiam interdum ponitur ad significandam privationem gloriae et aeternam miseriam, ut in hoc[4]: *Est via quae videtur homini iusta, novissima autem eius deducunt ad mortem.*

**2. — Necessitas mortis subeundae.** — Porro, ad intelligendum quomodo corpus humanum subiaceat necessitati mortis, sciendum est mortis causam aliam esse remotam, aliam proximam. Causa remota est ipsa corporis humani natura, quod sicut cetera corpora ex elementis contrariis constituta, dissolutioni de se obnoxium est, nec potest ultra determinatum temporis spatium in vita conservari. Causa autem proxima est subtractio originalis iustitiae quantum ad effectum arcendi mortem, qui ex Dei dono illi adnexus fuerat. Nam hominem, natura mortalem, Deus initio potentissima gratia ornatum voluit, qua et sibi gratus redderetur, et omnis in eo mortis incursus arceretur.

At ex quo Adam inobedientem sese divinis mandatis exhibuit, mortis sententiam quam Deus ei antea comminatus fuerat, revera incurrit[5]; unde praefixa sunt homini vitae confinia, quae praetergredi nequit, iuxta illud[6]:

1. Eccli., XII, 7. — 2. Cf. Gen., XVIII, 27; Ps. CII, 14. — 3. Eph., II, 1. — 4. Prov. XIV, 12. — 5. Gen., II, 17; III, 19. — 6. Iob., XIV, 5.

*Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt;* et rursus [1]: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis.*

**3. — Mors simul naturalis est et poena peccati.** — Quae cum ita sint, potest mors dici simul naturalis, et poena peccati: naturalis quidem, quia sequitur ipsam naturam corporis humani sibimet relictam; poena peccati, quia in praesenti ordine sequela est originalis peccati. — Et haec quidem poena simul est vindicativa et medicinalis, cum a Deo sit ordinata non solum in punitionem originalis peccati, sed etiam tanquam remedium salutiferum, et quidem tum speculative, tum practice. Speculative quidem, in quantum consideratio futurae mortis aptissimum fit medium, quo voluptatum amatores a lenocinio vitiorum potenter retrahantur, avari ad libertatem incitentur, superbi humilitatem doceantur: mors enim carnis illecebris finem imponit, honoribus, divitiis; unde dicitur [2]: *Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi.* Praeterea mors est poena medicinalis etiam practice, in quantum patienter tolerata, una cum comitantibus angoribus et morbis, insigniter confert poenae temporali persolvendae. Denique fieri potest validum medium gratiae et caritatis notabiliter augendae, in quantum conformiter Dei voluntati ultro suscipitur [3]: quocirca iure meritoque legitur [3]: *In omnibus operibus tuis memorare novis-*

1. Sap., XVI, 13. — 2. Eccli., XIV, 12. — 3. Praetereundum non est hic, a S. Pontifice Pio X, die 9 Mart., 1904, concessam fuisse indulgentiam plenariam, ab iis in mortis articulo lucrandam, qui in vita, vero spiritu caritatis, sequentem actum emiserint: *Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus, prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus, de manu tua aequo ac libenti animo suscipio.*

*sima tua, et in aeternum non peccabis.* — Quae cum ita sint, hic proprie quaeritur utrum omnes prorsus homines mortem aliquando subire debeant.

4. — **Ratio dubii.** — Dubitandi ratio ex hoc sumitur, quod plurimi scriptorum graecorum, et nonnulli latinorum, quos inter praecipue eminent Tertullianus [1], S. Hieronymus [2] et Caietanus [3], moti peculiari S. Pauli loco [4], quem plures codices graeci, adstipulante syriaco textu, sic referunt: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur* [5], probabile censuerunt non omnes homines morituros; sed eos qui in adventu Domini superstites nvenientur, a communi mortis lege eximendos; cui sententiae suffragari videtur illa fratrum, seu fidelium opinio, Ioannem Christi discipulum non moriturum fuisse, sed mansurum donec veniat Dominus [6], quod est nunquam mortem subiturum. — Contra quos stat Latinorum communior sententia, omnes homines, nullo videlicet excepto, mortem subituros, licet nonnulli ancipites haeserint, quos inter citari solet S. Augustinus, dum ait [7]: *Aut enim non morientur, aut de vita ista in mortem et de morte in aeternam vitam, celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi transeundo, mortem non sentient.*

5. — PROP. — **Lex de morte subeunda ad omnes prorsus homines extenditur.**

Revera, ita legimus in Sacra Scriptura [8]: *Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae*

1 Eccli., VII, 40. — 2. L. de Resurrect. carnis, cc. 41 et 42. — 3. Epist. ad Marcellam. – 4. Comment. in 1 Ep. ad Cor., XV; 2 Cor., V; 1 Thess., IV, etc. — 5. 1 Cor., XV, 51. Πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δέ ἀλλαγησόμεθα; in Vulgata autem ita legitur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* — 6. Io., XXI, 23. — 7. L. II Retract., c. 33. Genuinam tamen mentem suam aperit Hipponensis Doctor in l. XX de Civ. Dei, c. 20, ut dicemus, n. 12. — 8. 2 Reg. XIV, 14.

*non revertuntur.* Rursus [1]: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Et iterum [2]: *Omnis caro sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur et alia deiiciuntur, sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur et alia nascitur* [3].

Praeterea, mors a divina iustitia inducta est in poenam peccati primi hominis, ut habetur in Genesi [4]. Atqui omnes homines in Adam peccaverunt [5]. Ergo omnes quoque mori debent. — Quod confirmatur ex eo quod omnes resurgere debent et omnium corpora reformari. Atqui resurrectio et corporum reformatio supponit mortem. Quapropter S. Paulus ait [6]: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Praeterea, loquens idem Apostolus de eadem resurrectione corporum sub similitudine seminis, ait [7]: *Tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* [8].

**6.** — **Prob. rat. theol.** — Super hac quaestione, ait S. Thomas [9], varie loquuntur Sancti; tamen securior est haec et communior opinio, quod omnes morientur et a morte resurgent, et hoc propter tria. Primo, quia magis concordat *divinae iustitiae,* quae humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut omnes qui per actum naturae ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent, et per consequens mortis debitores fierent. Secundo, quia magis concordat *divinae Scripturae,*

1. Ps. LXXXVIII, 41. — 2. Eccli., XIV, 18, 19. — 3. Haud aliter Horatius, *De arte poetica,* v. 60, seqq.:

*Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,*
*Prima cadunt...*
*Debemur morti nos nostraque.*

4. C. II, 17. — 5. Rom., V, 12. — 6. 1 Cor., XV, 22. — 7. Ibid., v. 36. — 8. Videndus est S. Augustinus, l. XX de Civ. Dei, c. 20, ubi Scripturae locos ad rem hanc relatos expendit. — 9. S., Quaest. LXXVIII, art. 1.

quae omnium futuram resurrectionem praedicit; resurrectio autem proprie non est, nisi *eius quod cecidit et dissolutum est,* ut Damascenus dicit [1]. Tertio, quia magis concordat *ordini naturae,* in quo invenimus quod id quod corruptum et vitiatum est, in suam novitatem non reducitur, nisi corruptione mediante: sicut acetum non fit vinum, nisi aceto corrupto, et in humorem vitis transeunte.

7. — **Scholion.** — Si qua exceptio facienda videretur haec profecto esse deberet relate ad Dominum nostrum, qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius* [2]. Atqui Christus ipse legi mortis subiectus esse voluit, non quidem ob proprium peccatum expiandum, sed quia sibi assumpserat, in se punienda, peccata totius generis humani, et maxime peccatum originale, secundum illud: *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata* [3]. Ergo multo magis debent ceteri homines morti subiacere.

8. — **Quaestio I.** — *Utrum Henoch et Elias aliquando sint morituri?*

Resp. Affirmative, iuxta illud [4]: *Cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos et occidet eos.* Nimirum, de duobus istis viris legimus [5], eos a Deo translatos fuisse, scilicet vivos, ut fert traditionis vox, in quemdam voluptatis locum, ubi in extremum tempus reservantur, pugnaturi adversus Antichristum, usquedum ab eo, in testimonium veritatis Christi occidantur. De loco tamen ad quem sunt translati, silente Scriptura, nil certi potest decerni, ut notat S. Ioannes Chrysostomus [6]: *Multi quaerunt quomodo translatus sit Henoch, et cur*

1. L. IV Orthod. fid., cap. ult. — 2. 1 Pet., II, 22. — 3. Hebr., IX, 28. — 4. Apoc., XI, 7. — 5. Gen., V, 24; 4 Reg., II, 11, 12; Hebr., XI, 5. — 6. Homil. XXII, Epist. ad Hebr., n. 2. Opp. t. XVIII, p. 444.

*translatus, et cur non mortuus sit, neque ipse, neque Elias? Et si adhuc vivunt, quomodo vivant et in quo habitu? Sed omnino supervacaneum est haec quaerere. Nam quod ille quidem, nempe Henoch, sit translatus, hic vero, nempe Elias, sit assumptus, dixerunt Scripturae. Ubi autem sint, et quomodo sint, non itidem adiecerunt; non amplius enim dicunt quam quae sunt necessaria.*

**9. — Quaestio II.** — *Utrum Beata Virgo et S. Ioannes Evangelista mortui sint?*

*Resp.* Ratio dubitandi de morte Deiparae desumitur tum ex eius immaculata Conceptione, quatenus exemptio peccati originalis secumferre videtur in ipsa etiam exemptionem a mortis sententia ob illud peccatum lata, tum ex Patrum de hac re silentio, et maxime S. Epiphanii, qui eousque progressus est, ut dixerit [1]: *Quaerant vestigia Scripturarum, et invenerint utique neque mortem Mariae, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit, aut non sepulta... Ego enim non audeo dicere, sed cogitans silentium mihi impero; fortassis enim alicubi etiam vestigia invenerimus sanctae illius ac beatae: sicut neque invenire datur mortem ipsius... Non autem omnino definio hoc, et non dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit.* — De S. Ioanne Evangelista vero dubitatum est aliquando, ob verba Domini Nostri de illo [2]: *Sic eum volo manere,* etc.

At explicita sunt Benedicti XIV verba, a quibus recedere fas non est [3]: *Ipsam vero* (Mariam), *quidquid scripserit S. Epiphanius, et sanctum Ioannem Evangelistam, quidquid Graeci post schisma aliique senserint,*

1. Haer. LXXVIII, Col. Agripp., 1617, p. 247. B. C. — 2. Io., XXI, 22. — 3. De Servorum Dei beatific., in synopsim redacta, ab Emm. de Azevedo, t. I, c. 14, p. 13, Ven., 1777.

*obiisse, semper existimavit Ecclesia, ut testatur Tertullianus*[1].

Re quidem vera, de Beatissima Virgine retinendum est, eam utique *de iure* fuisse immortalem, non quidem titulo naturae aut gloriae, sed titulo gratiae, quatenus immortalitatis privilegium, Adae innocenti concessum, relate ad eam revocatum minime fuerit[2]. At hoc non obstante, quemadmodum Christus Dominus, quo nostram salutem plenius mereretur, impassibilitatis ac immortalitatis privilegio valedixit, ita et Beatissima eius Mater, cum in omnibus dilecto Filio simillima extiterit, ideo et ipsa *de facto* mortis legi se subiectam esse voluit. Quocirca, constans et universalis Ecclesiae fides est, Mariam, nonnisi morte mediante, quae potius quam mors, placidissima dormitio dici debet, ad superos evolasse. — Nec aliud evincunt verba S. Epiphanii : qui cum contra antidicomarianitas, perpetuam Deiparae virginitatem labefactare nitentes, pugnaret, ex ipsarum silentio Scripturarum circa Beatae Virginis mortem, subinfert nihil ex iisdem Scripturis contra Mariae sanctitatem deduci posse, cum mors sit sequela peccati.

Quod autem ad S. Ioannem attinet, retinendum est illum quoque mortuum fuisse, ut ex iis quae S. Irenaeus, Tertullianus, Eusebius, S. Chrysostomus, S. Hieronymus aliique sacri scriptores passim enarrant, colligitur. Nec obstant citata verba : *Sic eum volo manere*[3], etc.: his enim aliud non significatur, nisi Christum voluisse S. Ioannem, naturali, seu non violenta, sicut ceteros Apostolos, morte, e vivis eripi. Quocirca quod ille a Patribus sub-

1. Lib. de anima, c. 50. Huius verba sunt : *Translatus est Henoch et Elias, nec mors eorum reperta est : dilata scilicet. Ceterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine exstinguant. Obiit et Ioannes, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes.* — 2. Cf. Tr. nostrum De Beatissima Virgine Maria, Matre Dei, P. II, c. II, art. 3, nn. 5, seq. — 3. Notandum, in graeco legi : *Si eum volo*, etc. ἐὰν αὐτὸν θέλω, κ. τ. λ., cui convenit syriacus.

inde *martyr* vocetur, id non de martyrio sanguinis intelligendum est, quasi a tyrannis necatus fuerit: sed quia Romae in ferventis olei dolium missus, ea passus est tormenta quae mortem naturaliter intulissent, nisi haec fuisset miraculo coercita. Pie tamen creditur, ait S. Thomas [1], illum speciali privilegio iamdiu resurrexisse, quod quidem insignis eius castitas atque tenera in Deiparam devotio sat probabile faciunt [2].

**10.** — **Quaestio III.** — *Utrum morituri sint ii quoque qui in fine mundi viventes reperientur?*

*Resp.* Probabilius affirmative: nam sensus magis obvius S. Pauli secundum nostram Vulgatam, in qua sic legitur [3]: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* est, omnes quidem semel morituros, sed solos bonos ad gloriam immutandos. Circa quem textum, et differentiam lectionis graecae a nostra Vulgata, haec habet Angelicus Doctor [4]: *Licet haec littera, scilicet,* NON OMNES MORIEMUR, *etc., non sit contra fidem, tamen Ecclesia magis acceptat primam, scilicet quod* OMNES MORIEMUR, *sive resurgemus, etc.: quia omnes morientur, etiamsi sint tunc aliqui vivi* [5].

Nec difficultatem facessunt haec alia eiusdem Apostoli verba [6]: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera;* cui addi potest, nos legere in Symbolo Apostolorum, Christum venturum esse *iudicare vivos et mortuos.*

Nimirum, probabilior sensus supradicti loci S. Pauli est, illos qui, sub fine mundi, vivi reperientur, morituros quidem esse, dissoluta ad breve tempus coniunctione cor-

1. In Symb. Apost. Opusc. VII, art. 5. Ed. Parm. — 2. Cf. Thom. Livius, C. SS. R., THE BLESSED VIRGIN IN THE FATHERS OF THE FIRST SIX CENTURIES, London, 1893, p. 346, in nota. — 3. 1 COR., XV, 51. — 4. Comment. in hunc loc. epist. S. Pauli ad Corinth. — 5. Circa varias huius loci explicationes, vide ESTIUS, in h. l. — 6. 1 THESS., IV, 15, 16.

poris cum anima, et mox viventes Christo iudici una cum reliquis sistendos: quia vero brevissimo admodum intervallo mortui manebunt, hinc merito vocantur viventes, ut sic Christus dicatur iudicaturus *vivos et mortuos*. — *Si enim*, ait Tirinus [1], *filiam Iairi, etsi vere mortuam, ob hoc solum quod brevi resuscitanda esset, Christus dicebat non esse mortuam, sed dormire,... quanto potiori iure hi qui longe breviori spatio mortui manebunt, dici potuerunt non mortui, sed vivi* [2]. Quantum vero ad Symboli verba *vivos et mortuos*, nihil obstat quin accipiantur etiam metaphorico sensu, scilicet pro iustis et iniustis.

**11. — Conclusio.** — Igitur, ut egregie notat Cornelius a Lapide [3], *debili fundamento nititur haec exceptio a lege mortis plane universali*, et verior longe est atque catholico sensui conformior sententia tenens omnes prorsus homines morituros et resurrecturos; unde Angelicus Doctor, alludens ad modo citata verba S. Pauli, expresse concludit [4]: *Probabilius et convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, morientur, et post modicum resurgent* [5].

**12. — Sententia S. Augustini.** — Quod autem attinet ad S. Augustinum, non est dubitandum quin ille, re melius discussa, universalitatem mortis et resurrectionis tenuerit, ut constat ex sequenti loco [6]: *Sed aliud rursus occurrit, quod idem dixit Apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur:* OMNES RESURGEMUS, *vel sicut alii codices habent,* OMNES DORMIEMUS. *Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors praecesserit, nec dormitationem possimus illo loco intelli-*

1. In h. l. — 2. Cf. S. THOM., S. Quaest. LXXVIII, art. 1, ad 1m. — 3. In loc. S. Pauli modo cit. — 4. 1 2ae, Quaest. LXXXI, art. 3. ad 1m. — 5. Cf. ESTIUS, in 4, Dist. XLIII, § 7. — 6. L. XX de Civ. Dei, c. 20, t. VII, col. 599, 600.

*gere, nisi mortem; quomodo omnes vel dormient, vel resurgent, si tam multi, quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent? Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit,* TU QUOD SEMINAS, NON VIVIFICATUR, NISI MORIATUR; *sive ubi dicit,* OMNES RESURGEMUS, *aut,* OMNES DORMIEMUS: *quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi, quamlibet paululum, tamen ante, moriantur; ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio praecedit, quamvis brevissima, non tamen nulla.*

Nec silenda ratio qua idem Hipponensis Doctor utitur ad solvendam difficultatem ex verbis: *pulvis es, et in pulverem reverteris* [1] desumptam, quasi morientes in illo raptu et statim resurgentes, in terrae corruptionem reverti non possint: nimirum, in *terram reverteris,* hoc est, ait ille, *in hoc ibis, amissa vita, quod eras antequam sumeres vitam:* porro terra inanimata iam est corpus vita carens, etiam antequam putrescat corpus: ceterum, hoc modo it in terram corpus inanimatum, quo *it in cinerem quod fit cinis, it in vetustatem quod fit vetus, it in testam quod ex luto fit testa* [2].

**13. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti illud S. Pauli [3]: *Nolumus exspoliari, sed supervestiri;* atqui naturale et commune desiderium non potest esse vacuum et inane, quin in aliquibus expleatur, — responderi potest, cum S. Thoma [4], quod *perfectum* desiderium Sanctorum non potest esse vacuum; sed nihil prohibet desiderium eorum *conditionatum* vacuum esse: tale autem

1. Gen., III, 19. — 2. Locc cit. — 3. 2 Cor., V, 4. — 4. L. cit. ad 2m.

est desiderium his verbis expressum, quod potius velleitas dici debet [1].

**14. — Sententia P. Dominici Palmieri.** — P. Dominicus Palmieri, in suo tractatu *de Novissimis* [2] volens tanquam probabilissimam conficere sententiam quod homines postremi, in fine mundi viventes, morituri non sint, primo provocat ad locum Geneseos [3]: *In quocumque die comederis ex eo* (ligno scientiae boni et mali), *morte morieris,* quem locum intelligi vult de poena non actualis mortis infligendae, sed proprie *mortalitatis; iam vero,* pergit ille, *si poena peccati, poena utique universalis, est mortalitas, quam naturaliter sequitur mors, non adversatur huic sententiae... quod aliqui, mortales cum sint, reapse non moriantur actu.* — At, si bene res perpendatur, utcumque intelligantur verba *in quocumque die,* patebit citati textus sensum obvium, sub luce sacrae theologiae, maxime tractatus *de peccato originali* [4], hunc esse: *Mox ac peccaveris, subderis decreto mortis,* cui tu et posteri tui aliquando actu subiacebitis. *Haec mors,* ait S. Augustinus [5], *ea die accidit, qua factum est quod Deus vetuit; quia ex tunc morbidam qualitatem et mortiferam primi parentes in corpore mortali contraxerunt* [6].

Secundo, argumentatur supradictus theologus ex textu S. Pauli in prima ad Corinthios [7], quem legi et intelligi vult secundum lectionem graecam, qua, ait, *docemur iustos postremos in fine mundi non esse morituros;* vult autem, et quidem omni seposita dubitatione, hanc esse Apostoli sententiam, ex hoc altero S. Pauli testimonio [8]: *Nolumus autem vos ignorare,* etc.; ubi dictum Apostoli [9]: *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur,*

1. Cf. Tirinus, Menochius, in h. l. — 2. Prati, 1908, pp. 12, seqq. — 3. C. II, 17. — 4. Quaest. I, art. 1, n. 6, p. 17, et n. 7, p. 23. — 5. L. XI sup. Gen. ad litt., c. 32. — 6. Cf. 2 2ae, Quaest. CLXIV, art. 1, ad 8m. — 7. C. XV, 51. — 8. 1 Thes., IV, 12. — 9. Ibid., 16.

*simul rapiemur,* etc., refert ad homines qui in fine mundi mortem gustaturi non sunt. At, ut ait S. Thomas [1], *omnes homines morientur et resurgent; sed tamen illi dicuntur vivi reperiri, qui usque ad tempus conflagrationis vivent in corpore.*

Appellat etiam P. Palmieri ad articulum Symboli, de Christo venturo ad iudicandos *vivos et mortuos,* quam locutionem non metaphorico, sed proprio sensu esse accipiendam contendit. At, primo, nihil officit quominus dicatur verba illa metaphorice sumi, ut per vivos, iusti, per mortuos vero reprobi intelligantur, quemadmodum solent doctores tradere; maxime cum in eodem Symbolo sint et alia verba metaphorico sensu intelligenda, ut apparet in hoc quod dicitur: *Sedet ad dexteram Dei Patris.* Sed maxime attendendum est verba haec, si quidem in proprio sensu accipi velint, referri debere non ad ipsum iudicii tempus, neque ad totum tempus praeteritum, quia omnes iudicandi aliquo tempore fuerint viri et aliquo tempore mortui; *sed ad illud tempus determinatum quod immediate iudicium praecedet, quando scilicet iudicii signa incipient apparere* [2].

Difficultatem vero contra suam thesim, desumptam ex universali ultima conflagratione, P. Palmieri solvit recurrendo ad miraculum [3]; at non advertit clarissimus auctor quod cum miraculum ordinetur ad fidei manifestationem, tunc locum habere amplius non debet, cum desiturum sit conversionis tempus.

Denique perperam nititur P. Palmieri suam sententiam fulcire auctoritate S. Thomae [4] cuius verba inexacte et mance citat; Angelicus enim, postquam dixit probabilius et convenientius teneri omnes illos morituros qui in adventu Domini reperientur, subdit: *Si tamen hoc verum*

1. Supplem., Quaest. LXXIV, art. 7, ad 3m. — 2. Supplem., Quaest. LXXVIII, art. 1, ad 1m. — 3. P. 21. — 4. 1 2ae, Quaest. LXXXI, art. 3, ad 3m (legi debet ad 1m).

*sit, quod alii dicunt, quod illi nunquam morientur,... dicendum est ad argumentum quod illi, etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis*, etc.; ubi, uti patet, omnino hypothetice loquitur S. Thomas [1].

**15. — Quare incertum maneat mortis tempus.** — At licet certum sit omnes homines esse morituros, incertum tamen unicuique manet propriae mortis tempus, dicente Domino [2]: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam* [3], et S. Paulo [4]: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* [5]; unde solemnis haec Spiritus Sancti de divite monitio [6]: *Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea.* Quapropter proponit Dominus Noster parabolam avari divitis qui, fabricatis sibi amplioribus horreis, confidebat se in pace bonis suis gavisurum, cui tamen dixit Deus [7]: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cuius erunt?*

Huius autem incertitudinis plures assignari possunt rationes. *Prima* est quae a S. Gregorio Magno ita declaratur [8]: *Horam ultimam Dominus Noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione praeparemur,* scilicet a peccatis abstinendo [9], ac bona opera perficiendo [10]. — *Secundo*, per hoc quod mortis tempus nos Deus celavit, singulariter consuluit humanae infirmitati: si enim obitus sui diem et horam homo certo cognosceret, ut plurimum pavidus atque anxius ita vitam traduceret, ut adventante illo tempore, nullius grandis operis moliendi capax fieret; aut vitae miserae forsan per longum tempus sustinendae

1. Cf. Quaest. IV de Malo, art. 6, ad 1m. — 2. Matth., XXV, 13. — 3. Cf. Luc., XII, 40. — 4. 1 Thess., V, 2, 3. — 5. Cf. Iac., IV, 14, 15. — 6. Ps. XXXVIII, 7. — 7. Luc., XII, 20. — 8. Homil. XIII in Evangel., circa finem. — 9. Luc., XXI, 34. — 10. Marc., XIII, 35, 36.

perterrefactus, in desperationem laberetur. — *Tertio,* certa de propriae mortis tempore notitia plerosque arceret a praeclaris operibus societati, cum domesticae, tum civili perutilibus aut etiam necessariis complendis. Quocirca concludendum est cum praelaudato S. Gregorio [1]: *Quia ergo et venturae mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit, vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur.*

**16. — Cogitatio mortis in mente saepe habenda. —** Denique illud hic opportune monebitur, quod recitat Catechismus Romanus [2]: *Cum sancta Scripturarum oracula ita doceant* [3]: IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN AETERNUM NON PECCABIS, *tacite parochi admonentur, nullum tempus praetermittendum esse, fidelem populum cohortandi, ut in assidua mortis meditatione versetur* [4].

1. Loco cit. — 2. De Extr. Unctionis Sacram., cap. VI, n. 1. — 3. Eccli., VII, 40. — 4. Saepius cum fructu perleget devotus theologus cap. XXIII, lib. I, de IMITATIONE CHRISTI de *meditatione mortis.* Utiliter etiam legi potest Card. BELLARMIN., S. I., *de arte bene moriendi,* libri duo, quae opella in linguam italicam versa est, Torino, 1885, Libreria Salesiana. Theologum quoque puderet non legisse DIONYSIUM CARTUS., *de Quatuor Novissimis,* eiusdemque *de particulari iudicio in obitu singulorum dialogum.* Opp. t. IX, pp. 489, et 419. Etsi sunt inibi plura quae arte critica forsan minime comprobantur, solida tamen suppetit doctrina theologica ad pietatem inflammandam aptissima

## Articulus II. — *Utrum anima humana separata a corpore sit intransmutabilis.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum constet tum ratione, tum fide [1] animam humanam esse incorruptibilem ac immortalem, propria praesentis articuli intentio est inquirere utrum, separata iam a corpore, novum essendi modum acquirat. — Novus autem essendi modus fingi potest, vel qui sit reditus ad illum statum in quo anima primitus constituta a quibusdam falso supponitur, vel in quo anima substantialiter aut saltem accidentaliter perfectior aut minus perfecta existat. Quae omnia hic erunt singillatim consideranda.

**2. — Origenis sententia.** — Fuit olim Origenis singularis opinio [2], quam ille quidem ex Platonis penu mutuatus erat, Deum principio creasse creaturas rationales tantum, easque omnes aequales, in quibus primo exorta est inaequalitas ex libero arbitrio, quibusdam conversis in Deum secundum magis et minus, quibusdam etiam secundum magis et minus a Deo aversis. Illae igitur rationales creaturae, quae ad Deum per liberum arbitrium conversae sunt, promotae sunt ad diversos ordines angelorum pro diversitate meritorum; illae vero quae aversae sunt a Deo, sunt corporibus alligatae secundum diversitatem peccati [3].

Doctrinam hanc theosophia moderna ultro suscipiens ita commentatur, ut unio animae ad corpus eatenus sit ad hoc ordinata, quatenus praesens vita animae purgandae inserviat: quae purgatio si insufficiens fuerit, iteranda erit in altera vita, anima novum corpus infor-

1. Cf. Concil. Lateran. V, sub Leone X, Bulla *Apostolici regiminis*, 19 Dec. 1513, Denzinger, n. 738. Cf. etiam, L'Opera dei sei giorni, P. II, C. V, nn. 18, seq. — 2. L. I περὶ Ἀρχῶν, cc. 5, 7, 8. — 3. 1, Quaest. XLVII, art. 2; ibid., Quaest. LXXV, art. 7, etc.

mante; si vero sufficiens fuerit, tandem a gravamine corporis liberabitur, ad superiores sedes evehenda: ex quo sequitur animas e corpore, quasi e carcere egredi, et nonnisi tunc statum sibi connaturalem acquirere [1].

**3. — Critica.** — Porro, in hac positione plura sunt reprehensione digna: puta, quod dicitur, primo, animam humanam creatam fuisse sine corpore; secundo, illam merita vel demerita habuisse ante suam cum corpore unionem; tertio, illam uniri corpori accidentaliter; quarto, illam migrare de uno corpore ad aliud per reincarnationem, palingenesim aut metempsychosim; quinto, illam puniri pro peccatis quorum non habet memoriam; sexto, illam separatam a corpore in suo connaturali statu inveniri: quae omnia corruunt, semel ac statuatur philosophicum principium, animam humanam esse formam corporis substantialem [2].

**4. — Evolutionistae.** — At gravius quid posuerunt ex evolutionistica schola plurimi, qui supra materiam elevati, docuerunt animam humanam, corporeis vinculis absolutam, transformari in purum spiritum et gradatim ad ordinem aut sphaeram superiorem, certo progressu, conscendere, quousque in ipsam deitatis substantiam commutetur, et amissa personalitate, in Nirvâna absorbeatur. Huic simile quid posuerat olim Photinus, dum Incarnationis mysterium consideravit quasi ascensum hominis usque ad unionis hypostaticae dignitatem, ut habet Angelicus [3].

Et haec quidem expositio circa transmutationem posthumam hominis, inter hodiernos evolutionistas praevalet: qui minime distinguentes inter bonos homines et malos, aiunt universaliter omnes homines hoc modo ad divinum, sensu non figurato, sed proprio, aliquando per-

1. Sententiam hanc poetice describit Virgilius, Aeneid., l. VI. Vide L' ANIMA UMANA SEPARATA DAL CORPO, c. II, 2a ed., p. 47, seq. — 2. Cf. 1, Quaest. LXXVI, art. 1. — 3. 3, Quaest. XXXIII, art. 3, ad 3m.

venturos: at invaluerat olim sententia, solos bonos sic fore perficiendos, cum de sceleratorum animabus antiqui philosophi docerent, *illas converti in daemones et in quaeque animalia suis meritis congrua,* ut refert S. Augustinus [1]. Plotinus vero, teste eodem S. Augustino [2], docuit hominum animas, in daemones post mortem mutari, hoc pacto quod si boni quidem meriti fuissent, *lares;* si mali meriti, *lemures* aut *larvae;* si incerti, *manes* fierent.

Ad idem referri potest illud antiquorum figmentum, animas, corpore exutas, in pecora transmeare posse, necnon in herbas, arbusta et plantas, ita ut haec convelli aut carpi sine suo cruciatu nequeant [3]: quo referri illud potest Aeneidis [4], ubi cum arbustum convelleret Aeneas ut eius foliis altare sacrificii pie cooperiret, cruorem de stipite manantem crevit, ac lacrymabilem gemitum Polydori, ibi olim sepulti, audivit:

*Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto:*
*Parce pias scelerare manus* [5].

1. Haeres. LXXXVIII. — 2. Haeres. LXXXVI. — 3. S. August., Haeres. XLIV. — 4. L. III, v. 22, seqq. — 5. Simile quid habet Alighérius cum violentorum, qui scilicet mortem sibi adsciverunt, in stolones mutatos confingit (Infern., Canto XIII, v. 31, seq.):

*Allor porsi la mano un poco avante,*
*E colsi un ramoscello da un gran pruno:*
*E'l tronco suo gridò: Perchè mi schiante?*
*Da che fatto fu poi di sangue bruno,*
*Ricominciò a gridar: Perchè mi scerpi?*
*Non hai tu spirto di pietate alcuno?*
*Uomini fummo, ed or sem fatti sterpi;*
*Ben dovrebb'esser la tua man più pia,*
*Se state fossim'anime di serpi.*
*Come d'un tizzo verde, ch'arso sia*
*Dall'un de' capi, che dall'altro geme,*
*E cigola per vento che va via;*
*Così di quella scheggia usciva insieme*
*Parole e sangue: ond'io lasciai la cima*
*Cadere, e stetti come l'uom che teme.*

At longe sunt a catholica veritate omnes istae fabellae: unde ponimus sequentem

5. — PROP. — **Anima humana, a corpore separata, nec in superiorem, nec in inferiorem speciem mutari potest.**

**Prob.** — Anima humana est forma substantialis, dans speciem homini. Atqui nulla forma substantialis recipit magis et minus: sed superadditio maioris perfectionis, aut subtractio existentis perfectionis facit aliam speciem, sicut additio unitatis facit aliam speciem in numeris. Ergo impossibile est unam eamdemque numero formam aut in superiorem, aut in inferiorem speciem commutari [1].

Re quidem vera, animam humanam mutari in speciem inferiorem, esset illam fieri similem animae brutorum: atqui anima, in brutis, non est per se subsistens. Praeterea, talis transformatio, si fieri posset, poenae rationem habere non posset, cum ab anima ipsa, utpote sensitiva facta, agnosci minime posset.

Pariter, animam humanam mutari in speciem superiorem, esset illam fieri angelum, seu substantiam separatam. Atqui esse animae humanae et substantiae separatae *non est unius rationis*, ait S. Thomas [2]; *nam in esse substantiae separatae non potest communicare corpus, sicut potest communicare in esse animae humanae, quae secundum esse unitur corpori ut forma materiae.* Ergo anima humana mutari nequit in substantiam angelicam.

6. — **Scholion.** — Signanter autem, circa ascensum animae ad speciem superiorem, attendendum est quod, dato etiam quod hoc esset in se possibile, tamen anima humana illum nunquam posset eligere. Etenim non potest quis eligere transferri ad altiorem naturam, quin hoc

1 Quaest. CXVIII, art. 2, ad 2m. — 2. L. II, Contra Gent., c. 94.

ipso eligat desinere esse id quod est. Atqui hoc impossibile est, cum unicuique rei insit naturale desiderium conservandi proprium esse, quod non conservaretur, si transferretur in alteram naturam: quocirca, nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere gradum superioris naturae, quia si transferretur in gradum superioris naturae, iam cessaret esse ipsamet. — Et hoc universaliter valet contra hodierni evolutionismi placita, ponentis in primigeniis formis vitae novum semper appetitum ascendendi ad gradum superiorem; qui tamen appetitus non posset in re aliqua consistere sine desiderio propriae destructionis, quod repugnat, unde dicitur: *Amabile bonum, unicuique autem proprium* [1].

7. — **Cuiusmodi evolutio admitti potest in anima humana.** — At licet anima humana nequeat in superiorem aut inferiorem speciem transire, potest tamen quodammodo crescere aut minui, secundum aliqua accidentalia, quae addi vel auferri possunt absque ipsius animae corruptione, sicut cum homo fit sanctior aut minus sanctus. *In animo,* ait S. Augustinus [2], *quaedam quasi naturalia incrementa sunt, cum honestis et ad bene beateque vivendum accommodatis disciplinis augeri dicitur;* et huius quidem incrementi appetitus aliquis dari potest. In quo utique adinvenitur erroris ratio; quia videlicet videmus res aliquas appetere esse meliores quantum ad aliqua accidentalia, concludimus eas appetere posse etiam gradum naturae superiorem, ad quem tamen non possent pervenire, nisi esse desinerent. Quocirca potest utique anima, a corpore separata, mutari quoad gradum accidentaliter superiorem aut inferiorem, ipsa tamen substantialiter immutata permanente.

1. Cf. tr. de Angelis, Vol. I, Quaest. LXIII, art. 3, p. 312. — 2. L. de Quantitate animae, c. 19, n. 33.

**8. — Anima humana, a corpore separata, non habet naturae suae perfectionem** [1]. — Revera, ad rationem speciei humanae pertinet quod anima corpori uniatur; forma enim non constituit speciem, nisi per hoc quod sit actus materiae [2]. Quocirca, cum anima humana det esse corpori humano, sequitur quod in homine esse totius est esse animae; ideoque anima separata a corpore, subsistit in suo esse; sed cum sit pars humanae naturae, naturalem perfectionem non habet, nisi secundum quod est corpori unita [3]; unde eam esse separatam a corpore est praeter, imo contra naturam animae [4]; quocirca per mortem species humana destruitur, iuxta illam Dei comminationem [5]: *Delebo hominem quem creavi;* ex quibus sequitur, nonnisi per resurrectionem speciem humanam restaurari.

**9. — Undenam, perempto corpore, desumitur principium distinctionis inter diversas animas.** — Nec putetur, corpore perempto, ex quo est individuationis atque distinctionis principium, singulas animas non amplius inter se discerni, sed in unam quodammodo universalem animam confundi: siquidem, cum anima a Deo creata sit cum formali ordine ad tale corpus informandum, separata a corpore retinet ordinem unibilitatis ad materiam, non qualemcumque, sed ad hanc determinatam materiam, cuius substantialis forma extitit: et hic ordo unibilitatis est praecise ratio distinctionis unius animae separatae ab alia. *Quae est proportio animae hominis ad corpus hominis,* ait S. Thomas [6], *eadem est proportio animae huius hominis ad corpus huius hominis.* Re quidem vera, diversitas animarum separatarum *est secundum diversam commensurationem ad corpora: haec enim*

1. I, Quaest. CXVIII, art. 3. — 2. 3, Quaest. II, art. 4, ad 1m; cf. 1, Quaest. LXXVI, art. 3, ad 2m. — 3. 1, Quaest. XC, art. 4. — 4. 1, Quaest. LXXXIX, art. 1; Ibid., Quaest. CXVIII, art. 3. — 5. Gen., VI, 7. — 6. L. II Contra Gent., c. 73.

*anima est commensurata huic corpori et non illi, illa autem alii...: huiusmodi commensurationes remanent in animabus, etiam pereuntibus corporibus* [1].

**10. — Refellitur vanum metempsychoseos figmentum.** — Ex dictis immediate sequitur, vanum prorsus esse illorum veterum poetarum figmentum, qui animarum circulationem aut migrationem de uno corpore ad aliud corpus confingunt, quam rem plurimi hodiernae theosophiae sectatores instaurare conati sunt [2]. — Nimirum, si quaelibet anima humana ita obsignatur sigillo proprii corporis, ut ad hoc tantum formalem dicat ordinem unibilitatis, sequitur non esse possibile animam huius corporis ingredi aliud corpus, quam huius hominis: unde et resurrectio perficietur quadam veluti attractione animae ad proprium corpus: nam et in unoquoque corpore quidam manebit ordo ad propriam animam, non secundum cursum naturae, sed secundum ordinem Providentiae, quae resurrectionem ipsam, libero decreto, supra naturam, complendam voluit in fine mundi.

Digna sunt quae hic recitentur verba S. Augustini, sequentem commentantis locum Ecclesiastae [3]: *Nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Iam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos. — Absit a recta fide,* ait S. Doctor [4], *ut his Salomonis verbis, illos circumitus significatos esse credamus, quibus illi putant sic eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti, ut, verbi gratia, sicut isto saeculo Plato philosophus in urbe Atheniensi, et in ea schola quae Academia*

1. Ibid., c. 81, n. 2. — 2. Res est apud multos hodiedum usitatissima, quam post Flammarion, hodierni spiritistae invexerunt, animam separatam in astris degere, corpus habentem a nostro diversum (*corps astral*), a quo quidem possit ad libitum migrare: immo omnes animae sic in astris degentes, ex mutuo consensu, de uno tali corpore ad aliud transire, iuxta eos, permittuntur. — 3. I, 9. — 4. L. XII de Civ. Dei, c. 13.

*dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro saecula, multum prolixis quidem intervallis, sed tamen certis, et idem Plato, et eadem civitas, et eadem schola, iidemque discipuli repetiti, et per innumerabilia deinde saecula repetendi sint: absit, inquam, ut nos ista credamus.*

**11. — Quaestio.** — *Quales potentiae remanent in anima separata?*

*Resp.* Remanent actu tantummodo potentiae intellectuales, scilicet intellectus et voluntas; potentiae vero sensitivae et vegetativae actu non remanent, sed tantummodo in radice remota. — Ad quod intelligendum, sciendum est animam quidem intellectivam esse in nobis radicem communem potentiarum triplicis ordinis, scilicet intellectivi, sensitivi et vegetativi: at solae potentiae prioris ordinis, nempe intellectus et voluntas sunt in anima intellectiva tanquam in proprio subiecto; potentiae vero sensitivi ac vegetativi ordinis sunt in composito tanquam in subiecto; quocirca dissoluto composito, huiusmodi potentiae desinunt esse actu, seu simpliciter, et remanent tantummodo secundum quid, seu in radice, *per modum,* ait S. Thomas [1], *quo principiata sunt in principiis suis: in anima enim separata manet efficacia influendi iterum huiusmodi potentias, si iterum corpori uniatur.* Quod si actu cessant potentiae illae, scilicet sensitivae ac vegetativae, multo magis cessant actus earumdem, cum potentia sit propter actum; ideoque vanum est poetarum figmentum, animas separatas ira aut passionibus agitari, conviviis aut ludis delectari, etc.; quem in locum quadrant egregia illa Aligherii verba [2]:

*E quando Lachesis non ha più lino,*
*Solvesi dalla carne, ed in virtute*
*Seco ne porta l'umano e 'l divino.*

1. Supplem., Quaest. LXX, art. 1. — 2. Purgat., Cant. XXV, vers. 79-84.

*L'altre potenzie tutte quante mute;*
*Memoria, intelligenzia e voluntade*
*In atto molto più che prima acute.*

**12. — Solvitur tacita difficultas.** — Nec ex hoc obiici potest animam, post mortem, si potentias amittit, integram non remanere: nam, ut advertit Angelicus [1], *potentiae animae non dicuntur partes eius integrales, sed potentiales; talium autem totorum ista est natura, quod tota virtus totius consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter, sicut in anima virtus animae perfecte consistit in parte intellectiva, in aliis autem partialiter: unde cum in anima separata remaneant vires intellectivae partis, integra remanebit, non diminuta, quamvis sensitivae potentiae actu non remaneant; sicut nec potentia regis manet diminuta, mortuo praeposito, qui eius potentiam participabat.*

## Articulus III. — *Utrum anima separata aliquid possit intelligere.*

**1. — Sententia negantium animam separatam aliquid posse intelligere.** — Nonnulli ex antiquis haereticis, S. Pauli verbis abutentes, ubi ille mortem vocat somnum et Christum e sepulcro resurgentem primitias morientium [2], tenuerunt animam humanam, a corpore separatam, amissis sensitivis facultatibus, sine quibus censebant illam non posse operari. actu intelligendi reapse destitui, atque sic in quodam veluti lethargico statu, usque ad diem resurrectionis, perseverare,

Cui quidem positioni simile valde est Rosminii figmentum, qui posuit [3]: *In statu naturali, anima defuncti exi-*

1. Loco cit., ad 4m. — 2. 1 Cor., VII, 39; XV, 6, 20; 1 Thess., IV, 13-15. — 3. Prop. XXIII inter XL Prop. a S. Congreg. S. Officii 14 Dec. 1887, damnatas.

*stit perinde ac non existeret: cum non possit ullam super seipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.* Ut tamen aliquam, saltem in iustorum animabus, operationem Roveretanus philosophus salvaret, ad cibum eucharisticum recurrit, qui homini, mox ac mortalis carnis pondus deposuerit, subministratum, fiet terminus realis sensus, vi cuius et intelligere poterit et a mortuis tempore suo resurgere, iuxta illud [1]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [2].

Porro, cum talis unio corporis Christi cum damnatorum animabus nequeat fieri, ex illa Rosmini positione sequi videretur illas omni cognitione destitui: et quidem recentes aliqui scriptores inventi sunt, ut Professor Mivart, quibus visum est fieri posse ut nonnulli saltem ex damnatis aeternae suae perditionis nullam conscientiam habeant [3].

**2. — Cognitio naturalis et cognitio supernaturalis.** -- Ut autem omnis hic aequivocationi via praecludatur, distinguendus sedulo venit, relate ad animam a corpore separatam, duplex cognitionis ordo, naturalis scilicet et supernaturalis. Et quidem supernaturalis cognitio duplex iterum est, alia scilicet quae talis est origine tantum, quae

1. Io., VI, 55. — 2. Cf. Rosmini, *Introduzione del Vangelo* secondo Giovanni, lez. 69, p. 253; Teodicea, Append., art. 10, pp. 638, 641. In alio tamen loco huius operis, sc. p. 523, admittit hic auctor in anima separata naturaliter actum immobilem intuendi esse ideale. — 3. *No supreme teaching of the Church... has condemned the opinion that at least some of* (the damned) *may also be unconscious of their state.* Happiness in Hell. *The nineteeth Century*, n. 190. Dec., 1892, p. 905. Articulus iste Prof. Mivart, simul cum aliis duobus eiusdem articulis, de eschatologia tractantibus (*The Happiness in Hell*, Ibid., Febr., 1893; *Last Words on the Happiness in Hell*, Ibid., April, 1893), a S. Officio, 29 Iul., 1893, damnati sunt.

fit per specialem quamdam revelationem, lumine intellectui superaddito; alia vero est supernaturalis formaliter et proprie, consistens in immediata, seu faciali visione divinae essentiae, et de hac inferius ex professo tractabitur[1]. Naturalis autem cognitio ea est quae competit animae secundum proportionem et exigentiam suae naturae; et si quidem in anima separata debeat admitti, necessario alterius erit naturae a cognitione quam habet dum corpori unita manet, quando scilicet nihil actu naturaliter intelligit, nisi convertendo se ad phantasmata corporis. Ulterius recolendum est, priorem rerum cognitionem, quae fit in Verbo et vocatur etiam visio beatifica, dici solere cognitionem matutinam; alteram vero, quaecumque haec demum sit, quae est secundum proportionem ipsarum rerum creatarum, nominari cognitionem vespertinam.

**3.** — PROP. — α) **Anima a corpore separata naturaliter intelligit, β) non quidem per conversionem ad phantasmata, quae sunt in organis corporeis, sed per conversionem ad ea quae sunt intelligibilia simpliciter.**

In hac propositione, duo sunt sedulo distinguenda: primum, animae a corpore separatae naturaliter competere actum intellectionis; secundum, modus quo operationem hanc anima separata peragit: et primum quidem ad fidem pertinet; alterum vero ad theologicam scientiam.

**4.** — I^a **Pars.** — De fide tenendum est animam humanam, a corpore separatam, aliquid intelligere: sic quippe de impiis mortuis legitur quod *erunt gementes*, et quod *venient in cogitatione peccatorum suorum timidi*[2]; pariter Onias, summus sacerdos, apparens post mortem, dixisse refertur[3]: *Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est qui multum orat pro populo et*

1. Quaest. III. — 2. Sap., IV, 19, 20. — 3. 2 Mac., XV, 14.

*universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei.* Porro, quod actus ille intelligendi non fuerit per lumen visionis beatificae, apparet tum ex eo quod impii, de quibus in priori textu agitur, ab huiusmodi sublimi visione sunt irrevocabiliter exclusi; tum ex eo quod anima Ieremiae, qui inter iustos tunc profecto computabatur, nondum fuerat glorificata.

5. — **Ratio theologica.** — In promptu autem est theologica ratio. Cum omnis res sit propter suam operationem, intelligere autem maxime sit operatio animae, ponere animam separatam a corpore intelligendi operatione destitui, idem est ac illam fingere mortalem [1]. — Nec dicatur Deus huic inconvenienti supplevisse infundendo tunc animae gratuitum quoddam lumen, quo fieret ut anima gratuito, non naturaliter intelligeret: cum enim per gratiam Deus naturam non constituat, sed perficiat, si anima separata aliquam naturalem operationem non haberet, sequeretur illam a Deo naturaliter mortalem fuisse conditam, et solum per Dei donum esse immortalem.

6. — **2a Pars. — Quomodo anima separata naturaliter intelligit.** — Ut autem rite intelligatur quomodo anima separata naturaliter intelligat, advertendum primo est quod, cum perfectio universi exigat ut sint diversi gradus in rebus, hinc Deus volens mundum in illa perfectione, quam libere sibi praestituerat, condere, intellectuales substantias diversorum graduum esse voluit, quas inter, ultimum locum tenet anima humana. Porro, superiores quidem substantiae intellectuales, ob maiorem suae naturae perfectionem, intelligunt per pauciores formas, quae sunt magis universales, in quibus res per eas formas repraesentatas clare comprehendunt. Inferiores vero substantiae intellectuales, quia non tantae efficaciae sunt

1. 1, Quaest. LXXXIX, art. 1, sed contra.

in intelligendo, pluribus indigent formis quam superiores substantiae, secus res nonnisi in quadam communitate et confusione cognoscerent. Anima autem humana, cum infimum teneat gradum, si intelligeret per modum qui competit angelis, non haberet de rebus cognitionem perfectam, sed tantummodo confusam et in communi. Ut igitur propriam de rebus cognitionem posset habere, naturaliter a Deo corpori unita est, ut a phantasmatibus rerum sensibilium posset species intelligibiles rerum abstrahere et sic de rebus propriam cognitionem accipere. Et hoc quidem tamdiu perdurat, quamdiu anima est corpori unita: perrupto vero per mortem corpore, iam anima intelligit, et quidem naturaliter, per conversionem ad species intelligibiles quas ex influentia divini luminis immediate percipit. Ex quo simul habetur quod unio animae ad corpus est quidem pro melius esse animae; at semel ac unio ista per mortem fuerit dissoluta, anima, pro sui capacitate, eo modo intelligit quo angeli intelligunt [1].

7. — **Quomodo anima separata cognoscit res immateriales.** — Porro, certum est animam separatam cognoscere naturaliter res immateriales, scilicet seipsam, alias animas separatas, angelos et Deum; at non unus est modus quo haec omnia intelligit. Nam, primo, cum anima tunc non intelligat amplius per conversionem ad phantasmata, sed ad ea quae sunt secundum se intelligibilia, hinc seipsam per seipsam intelliget. Per seipsam quoque cognoscet alias animas separatas, quae, quia non excedunt modum ipsius animae, cognoscuntur ab ea perfecte. Angeli autem, quia excedunt capacitatem animae separatae, ab ea cognoscuntur per similitudines divinitus impressas, quae tamen deficiunt a perfecta repraesentatione eorumdem [2]. Denique anima separata, sicut etiam angelus cui per mortem fit quodammodo affinis, naturaliter co-

1. 1, Quaest. LXXXIX, art. 1. — 2. Ibid., art. 2.

gnoscit Deum per suam essentiam, in quantum est similitudo Dei: imago enim Dei est in ipsa animae natura impressa [1]. Ex hoc ergo intelligitur, quomodo dives in inferno positus naturaliter videre potuerit animas Lazari et Abrahae [2], et quomodo damnati, licet visione formaliter supernaturali careant, daemones tamen et angelos, imo Deum ipsum quodammodo videant.

**8. — Quomodo anima separata cognoscit res naturales.** — Sciendum autem est animam separatam naturaliter cognoscere non solum res immateriales, sed res etiam naturales, non quidem certa et propria cognitione, sed communi et confusa. Anima enim separata, sicut angelus, intelligit per species quas ex influentia divini luminis recipit; at quia eidem non tanta virtus inest, quantam habent angeli, ideo non cognoscit res in illis speciebus ea claritate et distinctione, qua eas cognoscit angelus [3].

Porro, advertendum quidem est quod species illae, utpote quaedam participationes divinae essentiae, in qua sunt similitudines omnium naturarum cum omnibus suis individuis et accidentibus horum individuorum, de se sufficientes sunt ad omnes naturas et omnia individua atque accidentia repraesentanda; at quia anima separata valde deficit nedum a perfectione Dei, sed etiam a perfectione angeli, ideo non omnia singularia cognoscit, sed ea tantum ad quae determinatur, per praecedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, aut naturalem habitudinem, vel per divinam ordinationem [4]. Attamen futura minime cognoscit naturaliter anima separata: quia cum ista in seipsis non sint, ideo nec in seipsis cognoscibilia sunt, et solum a Deo, a quo secundum suum esse dependent, certitudinaliter possunt cognosci.

Demum, quoad cognitionem quam anima separata de

1. Cf. 1, Quaest. LVI, art. 3. — 2. Luc., XVI. — 3. S. Thom., l. c. art. 2. — 4. Ibid., art. 4.

rebus naturaliter potest habere, sedulo notandum est, illam per localem distantiam nullo modo impediri; cum enim res huiusmodi intelligat per influxum specierum ex divino lumine, lumen autem istud aequaliter se habeat ad propinquum et distans, hinc localis distantia cognitioni animae separatae impedimentum non affert; unde legimus quod dives, *elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius*[1].

**9.** — **Quaestio I.** — *Utrum habitus scientiae in hac vita acquisitae maneat in anima separata?*

*Resp.* Affirmative, cum huiusmodi scientia nec per se corrumpatur, cum contrarium non habeat, nec per accidens, seu ad corruptionem subiecti, cum intellectus cui inest sit de se spiritualis et incorruptibilis; unde utile valde est scientiam acquisivisse, iuxta illud S. Hieronymi[2]: *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in caelo;* et de sapientia legitur quod *clara est et nunquam marcescit*[3]. Attamen non eodem modo utitur anima huiusmodi scientia acquisita post separationem, quo ea utebatur dum erat corpori unita, scilicet ob diversitatem utriusque status: nam in hac vita habitu scientiae acquisitae anima utitur, convertendo se ad phantasmata corporis; post mortem vero, convertendo se ad species pure intelligibiles[4].

**10.** — **Quaestio II.** — *Utrum anima separata cognoscat naturaliter ea quae hic aguntur?*

*Resp.* Negative: cum enim tum secundum proprium essendi modum, tum secundum divinam ordinationem, animae separatae segregatae sint a conversatione viventium et coniunctae conversationi spiritualium substantiarum, ideo naturali cognitione nesciunt ea quae hic aguntur; licet facta viventium possit Deus eis per mini-

1. Luc., XVI, 23. S. Thom., l. cit., art. 7. — 2. Ep. ad Paulin. — 3. Sap. VI, 13. S. Thom., l. cit., art. 5. — 4. Ibid., art. 6.

sterium angelorum revelare, et plura etiam cognoscere possint per animas eorum qui hinc ad eas accedunt [1]. At sedulo attendendum est, nos hic minime loqui de cognitione animae beatae in Verbo, de qua re ex professo inferius tractabitur [2].

**11. — Mortuorum apparitiones opera spiritismi.** — Quae cum ita sint, omnino respuendae sunt, tanquam callidissimi humani generis hostis subdolae artes, manifestationes illae atque revelationes, quas de rebus ad hunc mundum pertinentibus, incauti multi hodiedum, ab animabus, ut putant, defunctorum, adhibita ope spiritismi, sollicite quaeritant. Nam praeterquamquod anima separata nullam habet potestatem in materiam corpoream, ita ut se videndam prodat, uti suo loco dicetur, revelationes illae, sive sint de rebus naturalibus, sive de occultis eventibus humanis, saepe numero illius captum omnino superant: ideoque responsa data non sunt animarum quae invocantur, sed daemonis qui homines hac via turpiter decipere conatur.

Cum hoc tamen stat, mortuorum animas viventibus miraculose apparere posse, et hoc quidem per specialem Dei dispensationem, ordinantis ut animae illae pro tanto rebus viventium intersint; potest etiam, operatione angelorum bonorum, vel etiam malorum, etiam ignorantibus mortuis, Deo sic iubente, fieri, ut anima alicuius defuncti loqui videatur, scilicet, ad aliquam veritatem manifestandam [3]: at in utroque casu, res non naturalis esset, sed miraculosa [4]. Porro, manifestationes huiusmodi, citra Dei ordinationem quaesitae, ex alio etiam capite, reprobandae sunt, ut infra dicetur [5].

1 S. Thom., l. c., art. 8. — 2. Quaest. III. — 3. Ibid., ad 2m. — 4. Cetera ad hoc argumentum pertinentia requirere lector potest tum in op. Dell' anima umana separata dal corpo, c. III, tum in op. The Unseen World, Kegan Paul and Trench, London, seu Il Mondo invisibile, Vicenza. — 5. Art. V, n. 4, pag. 49.

## ARTICULUS IV. — *Utrum anima separata possit ultimum finem sibi de novo praefigere.*

**1. — Actus voluntatis circa finem et ea quae sunt ad finem.** — Ad enucleationem gravissimae praesentis quaestionis, a cuius recta solutione pendet exclusio vulgati figmenti, posse animam humanam post mortem reverti in obiectum suae electionis relate ad finem ultimum, et sic transire de statu aversionis a Deo ad statum amicitiae cum illo, primo, ob oculos tenere theologus debet distinctionem inter motum voluntatis in finem, et motum voluntatis in ea quae sunt ad finem. Ulterius advertendum est, finem ultimum dupliciter posse considerari: scilicet, vel in communi, vel in particulari; et quidem motus in finem ultimum consideratus in communi necessarius est, et proprie a graecis vocatur θέλησις; at motus in finem ultimum in particulari potest esse liber, in agente scilicet cui non apparet necessario finem ultimum debere collocari in illo praecise obiecto; et motus iste, sicut motus voluntatis in ea quae sunt ad finem, dicitur βούλησις, aut etiam προαίρεσις, et ab Aristotele appellatur *appetitus praeconsiliati*[1].

**2. — Status praesentis quaestionis.** — Porro, quaestio praesens non est relate ad priorem actum: sat enim compertum esse debet, non posse hominem aut ullam creaturam rationalem non velle finem ultimum in communi, quod est beatitudo. Sed quaestio est de illo particulari obiecto, in quo ratio ultimi finis revera collocatur, vel de obiectis cum fine isto ultimo necessario nexu colligatis: scilicet quaeritur utrum voluntas post mortem possit novum obiectum in quo finem suum ultimum reponat eligere, aut media cum fine isto ultimo necessario con-

1. L. III Ethic., c. 2.

nexa: puta, utrum si homo vivens aliud obiectum praeter Deum elegerit pro fine suo ultimo, et in hac electione fuerit mortuus, possit anima post mortem obiectum illius electionis mutare, Deum nunc revera pro fine suo ultimo eligendo, aut internam poenitentiam facere, per quam ad Dei amicitiam revocetur.

3. — **Libertas contrarietatis.** — Ad huius rei clariorem evidentiam sciendum est, quod cum libertas distinguatur in libertatem exercitii, contradictionis, specificationis et contrarietatis [1], proprie hic quaeritur de libertate contrarietatis, quae in eo consistit quod quis possit eligere bonum vel malum, sicut fit a nobis in praesenti vita: ita quod nunc dubitetur utrum homo, qui in Dei inimicitia obierit, possit ad Deum converti, et vicissim, qui in illius gratia diem clauserit supremum, possit ab eo finaliter averti.

4. — PROP. — **Anima a corpore separata obiecto suae electionis relate ad finem ultimum ita immobiliter adhaeret, ut hanc suam electionem amplius revocare non valeat.**

5. — **Auctoritates ex Scriptura, Patribus et Conciliis.** — Doctrina fidei est voluntatem humanam, post mortem, immutabiliter illi obiecto adhaerere quod tanquam finem suum ultimum sibi elegerit, ita quod hoc amplius nequeat revocare, iuxta illud [2]: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Huc pertinent ea omnia Sacrae Scripturae loca, in quibus docemur, morte adveniente, finalem fieri operum retributionem, sic [3]: *Facile est coram Deo, in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas ;*

1. Cf. L'Opera dei sei giorni, P. II, c. V, n. 11, p. 177. — 2. Eccle., XI, 3. — 3. Eccli., XI, 28.

pariter [1]: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Unanimis hac de re est sanctorum Patrum doctrina, quam velut notissimam illi frequenter inculcant, ut fideles ad poenitentiam et ad bona opera exstimulent, quae post mortem ad praemium non amplius valent. Audiatur S. Hilarius [2]: *Non enim confessio peccatorum, nisi in huius saeculi tempore est, dum voluntati suae unusquisque permissus est, et per vitae licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita, simul et de iure decedimus voluntatis.* Ad rem quoque S. Augustinus [3]: *Nemo se speret quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.*

Quocirca in Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III definitum legimus [4]: *Credimus...* (quod reprobi) *cum diabolo poenam perpetuam,* (electi) *cum Christo gloriam sempiternam* (recipient). Atqui non posset vel poena vel gloria esse perpetua, si aut illi de peccatis poenitere, aut isti a Deo per peccatum discedere aliquando possent.

**6. — Modernistarum error.** — Quae cum ita sint, iure ab Ecclesia damnati olim sunt origenistae, qui abutentes his verbis S. Petri [5]: *Quem* (scilicet Christum) *oportet quidem caelum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium,* per huiusmodi restitutionem, quae graece ἀποκατάστασις vocatur, finalem restaurationem damnatorum ad iustitiam et beatitudinem intelligebant. Hanc vero sententiam recentiorum plures, duce St. George Mivart, instaurare sunt conati [6], quos etiam Ecclesia proscripsit [7]. Vix credibile est quam late hic error, quem *universalismum* vocant, eo quod universorum prorsus

1. 2 Cor., V, 10. — 2. In Ps. LI, 23. — 3. Enchirid., c. CX. — 4. Denzinger-B., n. 428. — 5. Act., III, 21. — 6. Cf. Happiness in Hell. XIX[th] Cent. Dec., 1892, p. 915. — 7. Decret. S. Offic., 29 Iul., 1893.

hominum finalem salutem propugnet, in perniciem humani generis, undequaque serpat: unde pastoribus grave incumbit officium fideles ab illo praemuniendi [1].

7. — **Ratio theologica.** — Ad intelligendum autem quomodo voluntas hominis post mortem sit immobiliter fixa in obiecto suae electionis, advertendum est quod vis appetitiva, ad quam pertinet electio, in omnibus proportionatur virtuti apprehensivae, seu modo quo intellectus apprehendit res, cum illa ab hoc moveatur. Porro homo, quamdiu perdurat vita praesens, ob phantasmatum concursum, per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud, habens vim procedendi ad utrumque oppositorum; ideoque voluntas hominis obiecto suae electionis adhaeret mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhaerere. At, morte intercedente, anima habebit modum intelligendi qui competit substantiis spiritualibus, et ideo obiectum suae electionis, in quo suum ultimum finem collocavit, apprehendet immobiliter per intellectum, sicut nunc immobiliter apprehendimus prima principia. Quocirca dici solet quod id quod angelis fuit lapsus, hoc hominibus est mors: id est, sicut angeli mali peccantes sunt in peccato obstinati; ita anima humana, statim ac a corpore fuerit soluta, suo bono, quod elegerit, immobiliter adhaerebit [2].

1. Quam libere doctrina haec in Ecclesia anglicana tradatur, videri potest ex libro ARTHUR CHAMBERS, *Our Life after Death*, London, 1894, in quo propugnat auctor, post mortem, novum vitae statum, quae ab *Hades* denominatur, in qua perfici et evolvi poterit voluntas (p. 100); licet plures forsan hac conversionis occasione abusuri sint (p. 133). Quocirca animae separatae applicat auctor poetae verba:

*She is not dead, — the child of our affection, —*
*But gone unto that school*
*Where she no longer needs our poor protection,*
*And Christ himself doeth rule.*

2. 1, Quaest. LXIV, art. 1.

**8. — Confirmatur.** — Unusquisque, sicut se habet in seipso, ita se habet per respectum ad ultimum finem; unde dicit Aristoteles quod qualis unusquisque est, talis et finis videtur ei [1]. Igitur si dispositio, per quam quis desiderat aliquid tanquam ultimum finem, ab eo removeri non possit, nec eius voluntas poterit immutari quantum ad desiderium finis illius. Atqui dispositio voluntatis humanae est quidem mutabilis quamdiu anima corpori unitur, quia tunc habet corpus quod animae deservit ad proprias operationes; quando vero anima fuerit a corpore separata, dispositio eius per respectum ad finem ultimum fiet immobilis, quasi in eiusdem naturam transiens. Unde sicut interdum videmus naturam humanam in quibusdam hominibus ita per dementiam velut in sua radice vitiari, ut ne prima quidem principia percipere videantur, ita anima quae in sua a corpore separatione affecta fuerit aversione a Deo tanquam ab ultimo fine, ab illo in aeternum aliena manebit. E contra, quae ab hoc mundo discesserit, ad Deum, tanquam ad ultimum finem, bene affecta, illi iugiter manebit unita [2]. Igitur, concludit Angelicus Doctor [3], *sicut nunc immobiliter nobis inhaeret natura communis, per quam beatitudinem appetimus in communi, ita etiam immobiliter manebit illa specialis dispositio, per quam hoc vel illud desideratur ut ultimus finis.*

**9. — Scholion.** — Hoc tamen non officit quin voluntas animae separatae possit hoc vel illud eligere, servato tamen ordine ad ultimum finem quem sibi antea praefixerit: ita ut quae debito ultimo fini adhaeserit, dum immobiliter in Deo sibi complacet, plura possit eligere bona; quae vero in indebito obiecto ultimum sibi finem praestituerit, huic obiecto immobiliter inhaerens, plura pariter eligat, quae tamen ob ordinem ad hunc

1. L. I Ethic., c. 8. — 2. C. Gent., l. IV, cap. XCV. — 3. Ibid.

malum finem, mala sint moraliter. Dispositio autem, de qua hic agitur, certe non est dispositio compositi et multo minus dispositio corporis, sed est dispositio animi, quae habitus vocatur, qua quis vel Deo ut ultimo fini adhaeret per caritatem, vel ab eo per peccatum avertitur.

**10. — Post hanc vitam nullus superest merendi locus.** — Denique hic advertendum est, cum hac mortali vita, omnino cessare pro nobis tempus merendi, ideoque perdurante tempore praesenti, conari nos debere, ut *per bona opera, certam* (nostram) *vocationem et electionem* (faciamus) [1]. Similiter nec damnati, etsi actus blasphemiae in Deum et invidiae in homines iugiter eliciant, per hos tamen non demerentur, cum tempus viae pro ipsis, sicut pro iustis, finem habuerit; *unde,* ait S. Thomas [2], *et bona voluntas in beatis non erit meritum, sed praemium; et mala voluntas non erit in damnatis demeritum, sed poena tantum* [3]. — Sciendum autem, S. Thomam aliquando probabile censuisse electos et damnatos usque in diem iudicii aliquid ad praemium vel poenam, non essentialiter, sed accidentaliter pertinens, posse mereri [4]: quam tamen sententiam tacite retractavit, expresse docens nullo modo aliquem beatum mereri posse, *nisi sit simul viator et comprehensor, ut Christus, qui solus fuit viator et comprehensor* [5]. Quocirca simpliciter dicendum est, praesentis vitae cursum stadium esse probationis et militiae, futuram vero vitam esse statum retributionis per praemia vel poenas.

1. 2 Pet., I, 10. — 2. Supplem., Quaest. XCVIII, art. 6. — 3. Cf. 2 2ae, Quaest. XIII, art. 4, ad 2m. — 4. Supplem., loco cit. — 5. 1, Quaest. LXII, art. 9, ad 3m.

### Articulus V. — *Utrum anima separata possit movere corpora localiter.*

1. — **Ratio articuli.** — Certum est angelos naturali sua virtute posse corpora immediate movere. Huius autem rei ratio est, quia natura corporalis est infra naturam spiritualem; divina autem sapientia, quae unitatem in toto universo constituit, coniunxit suprema inferiorum cum infimis superiorum: cum igitur motus localis sit perfectior inter omnes motus corporeos, hinc angelus potestatem habet super corpora quantum ad motum localem, licet determinari a nobis non possit usque ad quanti ponderis quantitatem valeat movere materiam corporalem. Porro, cum anima humana, per suam a corpore separationem, in statu collocetur simili statui angelorum, hinc prima facie videretur eidem quoque virtutem posse competere movendi corpora localiter: et quidem huiusmodi virtutem ad eam revera pertinere contendunt hodierni spiritistae, dum multiplicia phaenomena, quae in suis conventibus arte sua circa corpora provocant, animabus separatis revera attribuunt. — At contra statui debet

2. — PROP. — **Animae separatae non competit virtus movendi corpora localiter.**

**Prob.** — Ut anima humana posset movere corpora localiter, necesse esset ut eius virtus motiva non esset contracta ad determinatum corpus et quidem in determinato statu suae existentiae. Atqui virtus motiva animae humanae est contracta ad proprium corpus, et quidem in statu unionis, quod est quamdiu vivificat corpus suum, et nonnisi proprio corpore mediante ipsa potest alia corpora movere. Ergo anima, cum a corpore est separata, non habet potestatem movendi ullum corpus localiter.

**3. — Explicatur.** — Huius argumenti vis, uti patet, fundatur in ipsa natura animae humanae, et in comparatione eiusdem cum natura angeli. Nimirum, cum anima humana sit forma substantialis corporis, ad hoc quodammodo adaptatur et ita coarctatur, ut vel in statu unionis non possit movere nisi corpus sibi unitum, quod per eam vivificatur; et nonnisi hoc mediante, potest alia corpora movere. E contra, angelus, quia habet virtutem minus coarctatam quam anima humana, potest localiter movere corpora non coniuncta. Rursus vero, cum anima a corpore per mortem separatur, iam desinit influxum vitalem exercere supra proprium corpus, cum illud amplius non vivificet; ideoque nullum tunc corpus potest ipsa movere [1].

**4. — Diaboli fraudes opera spiritismi.** — Quae cum ita sint, patet tanquam diaboli fraudes habendas esse illas corporum translationes atque modificationes, quas artibus suis spiritistae provocant atque animabus defunctorum attribuunt. Cum enim animae separatae nulla competat potestas in materiam corporalem, aliunde vero angeli possint ad nutum movere corpora localiter, hinc dici debet phaenomena huiusmodi non solum posse, sed debere attribui operationi angelorum. Ulterius vero, cum manifestationes huiusmodi eveniant praeter, imo contra ordinem a Deo statutum, hinc non bonis, sed malis spiritibus attribuendae sunt, qui artibus illis abutuntur ad incautos retibus capiendos: maxime cum callidus humani generis hostis, una cum mechanicis phaenomenis psychologicas etiam seu intellectuales manifestationes soleat coniungere, quo facilius et securius homines decipiat, atque in baratrum perditionis proiiciat, uti superius iam ostendimus [2].

1. 1, Quaest. CX, art. 3, ad 3m. — 2. Art. praec., n. 11. Ex scriptis quibus spiritismi patrocinium recentiori aevo nonnulli susceperunt, eminet opus ab OLIVER J. LODGE conscriptum, cui titulus RAYMOND, OR LIFE AND DEATH, *with examples of the evidence for the survival of me-*

Quocirca Deus expresse prohibuit [1]: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini* [2]; et Ecclesia sapienter vetuit, ne quis *locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque* (adsistat), *etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum adspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle* [3].

**5. — Scoti figmentum de potestate animae separatae in motum localem corporum.** — Contra hanc S. Thomae doctrinam, animae separatae negantis competere potestatem movendi corpora localiter, arguit Scotus [4], tum ex fide, tum ex ratione, talem potestatem eidem vindicando.

Ex fide quidem, qua docemur post resurrectionem beatis inesse dotem agilitatis, qua, ait ille, anima inorganice corpus de loco ad locum pro lubitu transferet. — Ex ratione, quia licet contradictorium sit dixisse facultatem organicam, cuius operationes sunt immanentes, ut imaginatio et visus, agere simul inorganice, fieri tamen potest ut organica facultas, cuius operationes sunt factivae, id est aliquid in alio subiecto causant, adhibeatur ad inorganicam operationem: unde sine oculo quidem videre non possumus; sed nullimode patet motivam animae separatae facultatem influere non posse in aliena corpora, ad illa

---

*mory and affection after death.* London, Methuen, 1916. In hoc opere auctor, qui inter spiritismi patronos eminet, peregrinas revelationes recenset, quas a filio suo, in bello recens occiso, se suscepisse contendit. Potest etiam citari recens opus popularis scriptoris, Sir Arthur Conan Doyle, *The new Revelation*, qui idem propugnat.

1. Levit., XIX, 31. — 2. Cf. Ibid., XX, 6; Deut., XVIII, 10. — 3. Decr. S. Officii, 27 April., 1917, a Benedicto XV approbatum. — 4. 4 Dist. X, Quaes. 7; ibid., Dist. XLV, Quaest. 14; vide etiam Hieronym. De Montefortino, Summa scotistica, 1, Quaest. CXVII, art. 4.

de loco ad locum transferenda. Ceterum, pergit Subtilis Doctor, nonne videmus initiale exercitium motivae facultatis etiam in hac vita inorganicum esse, cum primo determinetur actione inorganica, scilicet actione voluntatis, licet motio localis sit de se organica?

**6. — Responsio.** — Ut igitur hisce rationibus ordinatim respondeamus, primo dicimus, dotem agilitatis in Sanctis post resurrectionem, minime explicandam esse per actionem inorganicam, cum eorum vita sensitiva per organa formaliter etiam tunc complenda sit, sicut in praesenti vita accidit: nec aliud addet agilitas, nisi ut corpus sese expeditum exhibeat et habile ad prompte et sine ulla resistentia obediendum omnibus motibus et actibus animae [1].

Ludit autem in ambiguo Doctor Subtilis, dum contendit initiale exercitium motivae facultatis, etiam in hac vita, esse inorganicum, aut latere in nobis, in praesenti vita, praeter facultatem motivam organicam, aliam facultatem capacem inorganice movendi corpora, quae quidem nonnisi post mortem in actum exeat: equidem initiale exercitium motivae facultatis in nobis in hac vita est inorganicum imperative, non autem elicitive; scilicet voluntas, ex qua omnis motus localis in nobis originaliter procedit per imperium, est facultas inorganica; sed nullus motus localis actu exercetur, nisi mediantibus organis corporeis, cum omnis talis motus sit coniuncti ut subiecti.

Quae cum ita sint, gratis omnino adstruitur scotisticum figmentum de inorganica vi motiva, latente in praesenti vita et erumpente post separationem corporis et animae: quae quidem positio, utique consentanea est doctrinae Subtilis Doctoris de unione animae ad corpus ad instar unionis motoris per respectum ad suum mobile primo et per se, necnon de aliqua forma corporeitatis media inter

1. Cf. Supplem., Quaest. LXXXIV.

animam et corpus; at aperte contradicit fundamentali principio de unione animae ad corpus, cuius illa sit essentialiter forma. Et quidem vi huius principii, anima movet corpus primo et per se, sicut forma respectu materiae propriae et coniunctae; unde impossibile est illam, sive unitam, sive separatam, aliquod corpus movere, nisi proprium et quidem formaliter coniunctum.

**7. — Scholion.** — Sed nec necessarium est recurrere, ut volunt aliqui, ad interventum animarum separatarum pro hominum gubernatione, sive ut hi ad bonum promoveantur, sive ut a malo arceantur; unde aiunt necesse esse illas gaudere potestate movendi corpora localiter, ut per assumptas species hominibus appareant: — pertinet quippe haec provincia ad angelos; et quidem si isti sint boni, tanquam humanae salutis ministri, homines sive in bonum promovent, sive avertunt a malo; si autem sint mali, illos pro sua nequitia tentant; quo modo boni quidem homines virtutis incrementum, mali vero salutis iacturam, secundum suavissimum divinae providentiae ordinem, ex eorum actionibus percipiunt.

**8. — Sententia P. Dominici Palmieri.** — Simile scotistico figmento illud est, quod haud ita pridem protulit P. Dominicus Palmieri, cum statuit [1]: *Probabile est animam separatam posse movere corpora, et posse a loco ad locum transire, abiectis nihilominus spiritismi deliramentis.* — Nimirum conatur ille nimis independens theologus, evertere fundamentum S. Thomae, aientis quod si anima separata posset movere corpora vi suae naturae, idem posset quoad membrum mortificatum unitum sibi; atqui id non convenit. Ergo. — Cui ille respondet, rationem cur anima unita nequit movere membrum mortificatum, esse quia, existente unione, motus

1. In tr. de Novissimis, Prati, 1908, p. 7.

membrorum est organicus, scilicet concurrunt ambo simul, anima et corpus: unde membro existente inepto, motus cessat; at cum anima iam fuerit separata, sicut potest naturaliter intelligere sine corpore, ita potest operari ad extra sine corpore.

Cui facile responderi potest, non esse idem iudicium ferendum de facultate intellectiva ac de facultate motiva in homine; nam illa quidem subiective spiritualis et immaterialis est, cuius obiectum adaequatum est ens etiam sine materia existens, unde solum in statu unionis, indiget phantasmatibus corporis ad suas operationes exercendas: haec vero facultas, in homine, non est de se spiritualis, sed formaliter est compositi, unde perempto iam corpore cessat: quod quidem a fortiori patet ex impossibilitate pro anima movendi membrum mortificatum unitum, licet adhuc anima aliquid influat in huiusmodi membrum, ut constat ex eo quod a putrefactione illaesum servatur.

**9. — Sententia P. Thurston.** — Novissime vero sententiam, qua in anima separata facultas agnoscitur nobiscum communicandi mediis signis in motu locali radicatis, instaurare conatus est P. Herbertus Thurston [1] qui, fingens parvulos sine baptismate decedentes, naturali gaudere felicitate, eosdem censuit, in infantium limbo, evolutioni subiacere suarum intellectualium facultatum, atque ita posse desiderium concipere cum hominibus viventibus communicandi.

At plura sunt in hac positione reprehensione digna. Primo quidem hypothesis felicitatis naturalis, si quidem per hanc intelligatur beatitudo perfecta quae naturalis sit ordinis, figmentum est poetarum, nec potest theologice sustineri [2], cum non sit homini cuicumque nisi unus

1. In Ephemeride *The Month*. February, 1917, pp. 138, seq. — 2. Vide *Dell'Anima separata dal corpo*, p. 167.

finis, qui est ultimus, in visione divinae essentiae consistens, quam qui assecutus non fuerit, perfecte beatus esse non potest. Praeterea vane admittitur in parvulis istis processus evolutivus eorum facultatum intellectualium, cum eo momento quo eorum anima a corpore separatur, modum intelligendi acquirant per species intelligibiles, qui modus progressum aut incrementum non admittit, nisi per novas revelationes, ut dictum est, quarum huiusmodi animas vix capaces dixeris, cum iam a sorte caelestis Hierusalem omnino sint alieni: quod enim de defunctis communiter dictum est, illos videlicet segregatos esse a conversatione viventium, multo magis de istis parvulis dicendum est. Demum anima separata nullam habet in motum localem corporum potestatem [1].

## Articulus VI. — *Utrum Sanctorum reliquiis aliquis honor debeatur.*

**1. — Per mortem corpus vitam amittit et fit corruptioni obnoxium.** — Cum unicum sit in homine vitae principium, quod est anima rationalis, ideo corpus per mortem anima orbatum, non solum inanimatum manet, sed etiam naturaliter corruptioni fit obnoxium: corruptioni, inquam, compositae, qualis habetur quando, succedentibus formis, corpus in elementa, unde constat, dissolvitur. Porro, resurrectio ad hoc ordinatur, ut corpus humanum in pristinum statum restituatur, ad quod quidem ipsa elementorum solutio, seu gradata decompositio quodammodo ordinatur; quemadmodum, ait S. Thomas [2], non potest acetum in vini qualitatem restitui, nisi prius facta resolutione in materiam praeiacentem: quocirca

1. Cf. in Ephem. *Civiltà Cattolica*, seriem articulorum quibus titulus est: *Le comunicazioni dei morti coi vivi.* Fasc. 16 Iunii, 1917, et seq. fasc. — 2. Supplem., Quaest. LXXVIII, art. 1.

sicut omnes homines mori debent, ita omnes quoque debent in pulverem reverti, iuxta illud [1]: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* [2].

**2. — Corpus mortuum idem non est ac corpus vivum.** — Ulterius advertendum est, corpus mortuum, etsi maneat idem identitate materiae quae est iterum suae formae unienda, minime tamen idem manere specifice quod prius erat dum viveret, cum diversam formam, quae cadaverica vocatur, ablata anima, induere incipiat: quod si non idem est specifice, ergo nec idem numero; licet idem sit identitate materiae [3]. Quocirca merito condemnata est sequens Rosminii propositio [4]: *Non est cogitatu impossibile, divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale: maneret nempe in ipso tanquam basis puri animalis principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix.*

**3. — Quid veniat reliquiarum nomine.** — Reliquiarum nomine, lato sensu, intelligi potest cadaver cuiuscumque hominis baptizati, de quo spes habetur quod aeternaliter salvus sit, cui congruum est ut aliquis honor praebeatur, qualis revera Ecclesia defunctis fidelibus in exequiis iubet decerni. At, strictiori sensu, per reliquias intelliguntur aut corpora, aut partes corporum eorum Sanctorum, quos Ecclesia canonizavit; licet per extensionem reliquiae etiam dicantur res illae quas Sancti, et maxime Dominus

1. Gen., III, 19. — 2. Advertendum est, corpus Christi demortui corruptioni haudquaquam subiacuisse, et hoc quidem citra miraculum: quia cum Christus fuerit conceptus sine peccato originali, ideo non subiacuit necessitati mortis, nisi per quantum illam actu libere suscepit: incorruptio ergo, post mortem, ipsi debita erat iuxta primaevum ordinem in Adam innocente constitutum: quod proportionaliter de B. Virgine dicendum est. Vide quod scripsimus in tr. DE BEATISSIMA VIRGINE, 4ª ed., P. II, c. II, art. 3, in fine — 3. 3, Quaest. XXV, art. 6, ad 3m. — 4. Est 22ª inter 40 condemnatas a S. Off., 14 Dec., 1887. Denzinger, n. 22

Noster aut Beata Virgo, contactu vel usu suo, dum viverent, quodammodo consecraverunt.

Porro, de omnibus huiusmodi reliquiis quaeritur utrum a nobis honorari debeant: ubi de honore relativo, non autem absoluto, uti patet, agitur: siquidem Sanctorum reliquiae sunt insensibilia corpora, quae in seipsis honoris capacia non sunt; unde si illa corpora insensibilia honoramus, hoc non est propter ipsa, sed propter animas quae eis olim unitae fuerunt, quae nunc fruuntur Deo, cuius Sancti fuerunt ministri, et quae ad praedicta corpora rursus coniungi debent [1].

**4. — Errores.** — Vindicari autem debet legitimitas alicuius cultus vel honoris erga Sanctorum reliquias, specialiter contra Eunomium et Vigilantium, qui cultores reliquiarum contemptibiliter cinerarios appellabant, dicentes quod adorare mortuorum reliquias videtur ad errorem gentilium pertinere, gloriam ac reverentiam mortuis hominibus impendentium. Hos ita redarguebat olim S. Hieronymus [2]: *Nos, non dico Martyrum reliquias, sed nec solem, nec lunam, nec Angelos adoramus* (scilicet adoratione latriae); *honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum cuius sunt Martyres adoremus; honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Eunomii et Vigilantii errorem saeculo decimo sexto protestantes renovaverunt, denegantes Sanctis inesse specialem quamdam excellentiam aut eorum reliquiis specialem honorem deberi, qui etiam catholicos accusare ausi sunt, quasi hac in re idololatriae reos [3].

**5. — PROP. — Reliquias Sanctorum iure merito cultu religioso prosequimur.**

Veritatem hanc tradit Concilium Tridentinum, dum

1. 3, Quaest. XXV, art. 6, ad 2m. — 2. Ep. ad Riparium. — 3. Cf. BELLARMIN., De Ecc. triumpho, l. I, c. 22; PETAV., De Incarnat. l. XIV, cc. 15-18.

docet *sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia* [1]. Pariter, in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* legitur [2]: *Sanctorum corpora, et praecipue beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda credimus;* et postea subditur: *Si quis contra hanc sententiam venerit, non christianus, sed eunomianus et vigilantianus creditur.*

**6. — Auctoritas Sacrae Scripturae.** — In veteri Testamento legimus Moysen, ex Aegypto in terram promissam discessurum [3], Ioseph patriarchae ossa secum reverenter asportasse: quinimmo Deus ipse Moysi corpus angelorum opera sepeliendum curavit [4], quod et occultum esse voluit, ne Iudaei ad idololatriam propensi, illud latriae cultu adorarent.

In Novo quoque Testamento leguntur fideles ad S. Petrum accurrisse, *ut saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis* [5]; sed et ad aegrotos deferebantur S. Pauli sudaria et semicinctia, et *recedebant ab eis languores* [6]. Pariter, ex historiae necnon ex archaeologiae monumentis compertum habemus, Apostolorum et Martyrum reliquias

1. Sess. XXVI, Decret. de invoc. Sanct. — 2. Inter Opp. S. Augustin., c. 73. — 3. Exod., XIII, 19. — 4. Deut., XXXIV, 6. — 5. Act., V, 15. — 6. Ibid., XIX, 12.

iugiter magna veneratione habitas fuisse, et summa sollicitudine, tanquam pretiosissimos thesauros, fuisse custoditas: quam venerationem Deus ipse, multis editis miraculis, confirmavit [1].

**7. — Prob. ratione theol.** — Qui erga aliquem nutrit affectum, ea quoque, quae de ipso post mortem relinquuntur, libenter veneratur, scilicet, non solum corpus aut partes corporis, sed aliqua etiam exteriora ad illum pertinentia, ut sunt vestes, annulus et similia. Atqui erga Sanctos affectum habere debemus, etiam postquam illi e vita decesserint. Ergo Sanctorum reliquiae, et praecipue eorum corpora, debent a nobis speciali veneratione honorari.

*Maior* illustratur verbis S. Augustini [2]: *Si paterna vestis et annulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta gestamus: haec enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, et exequiae celebratae, et sepultura provisa.*

*Minor* ex eo constat, quod sancti sunt Christi membra, Dei filii, necnon amici et intercessores nostri; unde a nobis speciali amore et veneratione sunt habendi. Praeterea eorum corpora tanquam organa et vasa fuerunt, quibus *ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus,*

1. Circa cultum sacrarum reliquiarum, priscis temporibus, vide Martigny (Dict. des Antiquités chrét., ad vocem *Reliques*), qui nomina recenset quibus reliquiae antiquitus designabantur: siquidem dicebantur *beneficia, benedictiones, busta, cineres, exuviae, gleba, insignia, lipsana, patrocinia, pignora, sanctuaria. xenia.* Sane, ad ostendendum hunc cultum inde ab Ecclesiae exordio viguisse, sufficeret adduxisse locum Act., XIX, 12. — 2. L. 1 de Civ. Dei, c. 13.

ut ait idem S. Augustinus [1], et quae per gloriosam resurrectionem corpori Christi configuranda sunt [2].

8. — **Confirmatur** ex eo quod Deus ipse hunc honorem se ratum habere saepius patenter testatus est, dum in praesentia reliquiarum Sanctorum illustria miracula patrari voluerit.

9. — **Corollarium.** — Cum corpora fidelium defunctorum membra fuerint Spiritus Sancti, ideoque ab eo sanctificata quodammodo manserint, constat rite Ecclesiam iussisse ut in illis tumulandis honor debitus impendatur, adhibitis scilicet thurificatione, aqua benedicta, cereis accensis, etc. Nec minori sapientia vetuit quominus eorumdem corpora crementur: quae quidem praxis, si paganis probari potuit, catholico certe sensui semper repugnavit, tum ob violentam elementorum dissolutionem quam inducit, tum ob implicitam negationem ordinis resurrectionis, quam, maxime in mente fautorum huius abominabilis praxeos, secumferre videtur. — Quocirca mirum non est si, proposito dubio, an liceat alicui nomen dare societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, aut mandare ut proprium vel aliena cadavera comburantur, Congregatio Sancti Officii responderit negative [3]. Quinimmo, eos qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo ac notorie ad mortem usque perseverarunt, eadem S. Congregatio declaravit comprehendi in eorum numero, quibus non licet dari ecclesiasticam sepulturam [4].

1. Loco cit. — 2. Cf. Card. BELLARMIN., *De Reliquiis et imaginibus Sanctorum*, Opp. t. I, col. 2067, seqq. — 3. 19 Maii, 1886. Denzinger, n. 1863. — 4. 15 Dec., 1886, Denzinger, n. 1864.

## QUAESTIO SECUNDA

## DE FINALI SORTE ANIMAE HUMANAE SEPARATAE A CORPORE


### PROLOGUS.

**1. — Ratio quaestionis.** — Cum quaestione praecedenti [1] determinatum iam fuerit, animae humanae statum post mortem immutabilem esse, eamque ita intelligere et velle, ut incapax evadat novae electionis circa finem ultimum, iam constat admitti nullatenus eorum sententiam posse, qui volunt probationis tempus post mortem adhuc concedi, sive iis qui Evangelii lumen in hac vita non perceperint, ut volunt fautores progressivae orthodoxiae, sive iis christifidelibus qui Dei gratiis in praesenti tempore abusi sint, ut autumant sequaces doctrinarum theosophicarum. Supposito igitur probationis tempus per mortem absolutum manere, proprie hic inquirendum venit de finali sorte animae humanae, inspecto scilicet ordine supernaturali, ad quem omnes prorsus homines, nullo excepto, pertinent [2].

**2. — Ordo quaestionis.** — Ut autem quaestio de finali sorte animae humanae post mortem plene tractetur, primo loco agendum erit de iudicio cui ipsa tunc subiicitur (1), secundo, de sententia in eam proferenda (2-4): quae quidem sententia consideranda erit, tum quoad assignationem determinati receptaculi (2), tum quoad eiusdem sententiae executionem (3-4), et quidem inspecto,

1. Art. 2, 3, 4. — 2. Cf. TR. DE DEO UNO, Quaest. I, art. 1, n. 6, p. 29.

hinc, tempore quo ad suum proprium locum anima deduci debeat (3), illinc, possibili egressu animae a loco ad quem deputata iam est (4).




Igitur, quatuor in hac quaestione investiganda proponuntur.

*Primo.* Utrum statim ac anima humana a corpore separata fuerit, iudicetur a Deo.

*Secundo* Utrum receptacula determinata assignentur animabus a corpore separatis.

*Tertio.* Utrum statim post mortem animae deducantur ad caelum vel ad infernum.

*Quarto.* Utrum animae existentes in Paradiso vel in inferno egredi valeant.

### Articulus I. — *Utrum anima humana, statim ac a corpore separatur, iudicetur a Deo.*

**1. — Errores.** — Lactantius etsi generatim in suis *Institutionibus*, catholicam doctrinam tradat, ubi tamen de animarum iudicio sermonem instituit, in gravem incidit errorem: scribit enim[1]: *Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari. Nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. Tum, quorum fuerit probata iustitia, ii praemium immortalitatis accipient; quorum autem peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati.* — Idipsum Tatianus et Vigilantius tradidere, necnon Copti et Nestoriani, qui animas edixerunt veluti sopitas manere usque ad extremi iudicii diem, quo primum eis praemia decernentur ac poenae: a quorum sententia vix transversum discesserunt unguem Lutherus et Calvinus.

**2. — Quid sit iudicium.** — Porro sciendum est, nomen hoc, iudicium, multipliciter sumi. Et quidem, hoc nomen haud raro usurpatur ad significandum usum rationis, sicut quando dicitur iudicium deesse pueris. Extensum est autem hoc nomen ad significandam determinationem intellectus in quacumque materia, sive speculativa, sive practica: quo modo dicimus, ad unamquamque virtutem pertinere rectum iudicium in propria materia[2].

At magis propria est huius nominis significatio, secundum quam iudicium dicitur recta determinatio iuris seu eius quod iustum est: quo modo idem est quod actus vel

1. Lib. VII Institut. div., de vita beata, c. 21. — 2. 2 2ae, Quaest. LX, art. 1, ad 1m et ad 3m.

sententia, quam iudex fert inter contendentes partes[1]. Per extensionem quoque adhibetur hoc nomen ad significandas leges aut mandata, sicut in hoc[2]: *Didici iudicia iustitiae tuae,* aut etiam ad designandum causas ac negotia de quibus est iudicandum, ut in hoc[3]: *Saecularia igitur iudicia si habueritis,* vel ipsum tribunal aut totam actionem iudicialem, ut cum quis dicitur comparere in iudicio, tum denique punitionem a iudice inflictam, iuxta illud[4]: *Accipient prolixius iudicium,* id est abundantiorem punitionem.

Igitur iudicium hic accipitur pro recta determinatione eius quod iustum est; ad quod quidem duo requiruntur: scilicet primo, ipsa ratio proferens iudicium, et sic iudicium est actus prudentiae, sicut iudicium proferentis: dicere enim vel definire aliquid pertinet ad rationem; et secundo, requiritur dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad recte iudicandum, quo modo iudicium est actus iustitiae sicut inclinantis ad recte iudicandum: unde Aristoteles dicit[5] quod homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam[6].

**3.** — PROP. — **Anima per mortem a corpore soluta mox Dei subit iudicium.**

**4.** — **Auctoritates.** — Hanc veritatem, quae de fide est, ita declarat Catechismus Romanus[7]: *Duo tempora... observanda sunt, in quibus unicuique necesse est in conspectum Domini venire, et singularum cogitationum, actionum, verborum denique omnium rationem reddere, demumque iudicis praesentem subire sententiam. Primum est, cum unusquisque nostrum migrat e vita: nam statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus iustissima*

1. S. Thom., loco cit., ad 1m. — 2. Ps. CXVIII, 7. — 3. 1 Cor., VI, 4. — 4. Marc., XII, 40. — 5. L. V Ethic. c. 4. — 6. S. Thom., loco cit. — 7. Part. I, art. 7, n. 3.

*quaestio habetur, quaecumque aut egerit, aut dixerit aut cogitarit umquam; atque hoc privatum iudicium vocatur. Alterum vero, quum, uno die atque uno in loco, omnes simul homines ad tribunal iudicis stabunt, ut, omnibus omnium saeculorum hominibus inspectantibus et audientibus, singuli quid de ipsis decretum et iudicatum fuerit, cognoscant.* — Huc facit definitio Concilii Florentini [1], ubi declaratur *statim* post mortem animas, pro suo statu, vel in caelum admitti, vel in infernum detrudi, vel si quid eis luendum maneat, purgatorii poenis addici, ut infra ostendemus [2]: quo quidem sat aperte significatur uniuscuiusque animam post mortem statim a Deo iudicari.

**5. — Notandum.** — Advertendum vero hic est, fidei catholicae doctrinam, non solum hoc habere, quod anima separata sit iudicanda, sed etiam, quod *statim* post mortem, Dei iudicio, sors eius finalis sit determinanda, nullo interiecto soporis aut cuiuscumque incertitudinis intervallo. Nimirum, iudicium non fit ante instans mortis, cum nondum transierit tunc merendi vel demerendi tempus; nec post illud instans; peracta enim separatione animae a corpore, anima iam extra viam ponitur et, ut advertit S. Alphonsus [3], incapax fit maiorem aut mercedem aut poenam promerendi.

**6. — Prob. ex Sacra Scriptura.** — Imprimis, quod homini vita functo instet iudicium, ex hoc Ecclesiastae loco evidenter eruitur [4]: *Ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum; et scito quod pro omnibus hic adducet te Deus in iudicium... Deum time, et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo, et*

1. In decreto unionis Graecorum Denz.-B., n. 693. — 2. Art. 3. — 3. Dissert. theol. I, n. 4. t. VIII. Torino, 1887, p. 1020. — 4. C. XI, 9; XII, 13, 14.

*cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* In Novo quoque Testamento, res ista liquido indicatur[1]: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi,* πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ; et rursus[2]: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum,* τοὺς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα κομίσηται ἕκαστος ἴδια τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε φαῦλον.

Quod autem huiusmodi iudicium *statim* post mortem sit eventurum, non obscure significatur ex sequenti loco[3]: *In die bonorum, ne immemor sis malorum, et in die malorum, ne immemor sis bonorum: quoniam facile est coram Deo, in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas. Malitia horae oblivionem facit luxuriae magnae, et in fine hominis denudatio operum illius.* Porro, cum Siracides totus sit hic ut hominem in malis constitutum erigat, opportune nos ad spem in Deum provocat, qui subito nos eruere potest: hoc autem scriptor ille praestat consideratione ultimae diei, in qua debitam operi retributionem nulla cunctatione homo recipiet, et in qua transactae voluptates homini peccatori in momento vertentur in dolorem et angustiam, instante sine mora ultimo iudicio[4].

Idipsum ex Novo Testamento clarius colligitur, ex parabola de epulone divite et Lazaro mendico, dicente Domino[5]: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Ubi nulla temporis mora interposita legitur inter obitum mendici

1. Rom., XIV, 10. — 2. 2 Cor., V, 10. — 3. Eccli., XI, 27-29. — 4. Cf. Corn. a Lapide, in h. l. Nota, ly *facile est* hic aequivalere huic: *potens est,* ut in hoc loco 2 Cor., IX, 8: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* — 5. Luc., XVI, 22.

et eius in sinum Abrahae translationem; et similiter inter mortem divitis et eius prolapsum in inferni barathrum.

Ad rem quoque facere potest notissimus locus S. Pauli[1]: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium;* ubi Apostolus primum quidem probat, ex comparatione mortis quae semel tantum est hominibus obeunda, Christum semel tantum morte cruenta sacrificium Deo obtulisse; tum iudicium edisserit statim mortem fore secuturum. — Advertendum tamen, locum hunc nonnisi in secundario sensu urgeri ad probandum existentiam iudicii particularis, cum prima Apostoli intentio videatur fuisse opponere morti Christi redemptivae eiusque salvifico adventui in fine temporum, quae duo semel tantum locum obtinent, universale decretum mortis et iudicii, scilicet post resurrectionem[2]. At rem penitius consideranti apparet stare etiam comparationem, ubi textus de singulorum morte et particulari coniuncto iudicio intelligatur: unde dici potest citatum textum in primario quidem sensu de iudicio universali, in secundario vero de iudicio particulari intelligi posse.

7. — **Ecclesiae traditio.** — Quod autem haec sit expressa Ecclesiae traditio, videlicet animam statim ac corpore exuitur, ad Dei tribunal sisti, testes sunt Patres, ex quibus unus seligi potest S. Augustinus, qui de libris edisserens, quos Vincentius Victor de anima scripserat, animadvertit multa in illis vana reperiri, immo errores plures ac opiniones falsas contineri; cetera explorata ac catholicis notissima: inter quae adnumeratur doctrina de iudicio particulari. *Nam illud,* ait[3], *quod rectissime et valde salubriter credit, iudicari animas, quum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque*

1. Hebr., IX, 27. — 2. Ita S. Thomas et Estius, Comment. in hunc locum Epist. S. Pauli. — 3. De Anima et eius origine, l. II, n. 8.

*in ipsa, in qua hic vixerunt carne torqueri sive gloriari, hoc itane tandem nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsorduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, et in illo divite, cuius in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?* Nec minus diserte S. Ioannes Chrysostomus[1]: *Sicut illi qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad iudicium pertrahuntur, sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum poenis implicitae ad terribile illud tribunal adducentur.* Legendus quoque est S. Ephrem, qui pictis coloribus horam mortis simulque processum iudicialem describit[2].

**8. — Ratio theol.** — Quilibet homo, ait S. Thomas[3], et est quaedam singularis persona, et est pars totius generis humani. Ergo duplex ei iudicium debetur: unum singulare, et alterum universale. Et primum quidem de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta ea quae in corpore gessit, quamvis quoad animam tantum; alterum verum iudicium subibit, quando tota communitas, cuius ille est pars, iudicabitur: tunc enim facta universali separatione bonorum a malis, per consequens quilibet iudicabitur. — Nec bis Deus iudicabit in idipsum, quia non duas poenas pro uno peccato aut duo praemia pro uno merito inferet, sed poena antea initialiter inflicta et praemium initialiter decretum complebitur, scilicet ex parte corporis.

Quod vero *statim* post mortem iudicium particulare fiat, evincit ipsa immutabilitas novi status in quem anima tunc ingreditur: nimirum anima separata ponitur in termino, in quo non est amplius possibile acquiri meritum

1. Homil. XIV in Matth., n. 4. — 2. Sermo de Secundo adventu. Sermo in eos qui in Christo dormierunt. — 3. Supplem., Quaest. LXXXVIII, art. 1, ad 1m.

aut demeritum; unde ita concludit Angelicus[1]: *Dicendum est quod, post mortem, quantum ad ea quae sunt animae, homo sortitur quemdam immutabilem statum; et ideo quantum ad praemium animae, non oportet ulterius differri iudicium.*

**9. — Confirmatur.** — Si quis rem attentius consideret, videbit nullam esse rationem particulare iudicium differendi: cur enim animae iustorum tamdiu de sua salute incertae manerent, maxime cum haec incertitudo nihil eis ad salutem prodesset? Nec certe aequum foret, animas iustorum ac iniquorum toto illo tempore, pari formidine, anxietate et dubitatione similiter angi.

**10. — Iudicii indoles.** — Porro, cum in omni iudicio tria sit considerare, scilicet *causae discussionem, sententiam iudicis,* et *sententiae executionem,* sciendum est, in iudicio particulari, actum *primum*, ad quem ordinatur examen testium et rei, locum non habere, cum iudex divinus sufficientem per se causae cognitionem habeat, nec coniecturis aut extrinsecis testimoniis ullimode egeat. Sed et eadem perfecta cognitio ipsimet animae de seipsa divinitus communicabitur, quatenus sub lumine supernaturali percipere valeat propriam uniuscuiusque actuum suorum rationem. Ex quo patet, non strictim intelligenda esse quae de Deo cum anima disceptante, de daemonibus hanc accusantibus, aut angelis illam defendentibus passim recitantur: haec quippe eo tantum spectant, ut spirituale illud iudicium vividius repraesentetur, dum humani iudicii more describitur.

*Alterum,* seu sententia, qua scilicet iudex dicit ius, in quo quidem includitur actus et rationis dirigentis et voluntatis efficaciter volentis iustum decernere, non vocaliter, sed spirituum more proferetur, Deo tunc illam

1. 3. Quaest. LIX, art. 5, ad 1m.

sententiam animae manifestante, ut cognoscat se, iuxta vitae suae opera, aut salvam fieri aut damnatam esse.

*Tertium,* quod est executio sententiae, statim sequetur, cum divina voluntas infallibiliter obtineat suum effectum; ipsâmet anima, iuxta proprium meritum, innata quadam proclivitate illuc properante, quo Deus illam destinaverit. At de hac re uberius infra [1].

**11. — Locus iudicii particularis.** — Cum autem tenendum sit iudicium particulare statim post mortem locum habere, sequitur de necessitate quod in eo ipso loco compleri debeat, ubi homo moritur. Nam cum motus localis in instanti non fiat, iudicium illud statim post mortem fieri non posset, si anima ad caelum deferenda esset iudicanda; praeterea incongruum esset animas damnandas aut purgandas caelum ingredi. Quocirca ibi tribunal iudicis erigitur, ubi spiritum homo emiserit; unde adduci ad tribunal Christi est animam in instanti intellectualiter elevari ad audiendam Christi iudicis sententiam.

**12. — Iudex in iudicio particulari.** — Hanc vero sententiam proferet Christus Dominus, non ut Deus tantum, sed etiam ut homo; qui quidem non de caelo corporaliter ad animam accedet, cum interdum numerus morientium exigere videretur ut simul esset in pluribus locis, quod fieri non potest nisi sacramentaliter, nec deceat illum in perpetuo motu esse ac circuitu ad animas morientium. Quocirca intelligibili mentium commercio caelestis iudex praesentem se animabus statuet eisque sententiam finalem dicet.

**13. — Testes in iudicio particulari.** — Denique, non incongrue notabitur, doctrinae fidei convenire ut dicatur angelum custodem, pariter quoque malignos spiritus,

1. Art. 3, n. 8, p. 84.

quemadmodum obitui, ita et huic iudicio interesse, iudicii exitum expectantes. Non enim ante hoc tempus certam de ultima hominum sorte notitiam communiter habent; aliunde congruum est ut sicut angeli custodes plurimam clientibus suis operam impenderunt ut salvarentur, ita nunc de felici eorum sorte congaudeant; daemones vero illos probe noscant, quos in aeternam ruinam secum insidiando pertraxerunt. — Ceterum, quae, praeter heic tradita, a nonnullis ecclesiasticis scriptoribus disseruntur, ad figuratam theologiam, potius quam ad propriam pertinent, ad rudium videlicet mentium, inducto exemplo ab his quae penes nos efficiuntur, instructionem conficta.

**14. — Quaestio.** — *Utrum particulare iudicium interdum suspendi contingat?*

*Resp.* Affirmative, et quidem per miraculum. Nimirum, etsi de lege Dei ordinaria hoc communiter eveniat, ut anima statim post mortem a Deo iudicetur, praemium aut poenas pro meritorum varietate receptura, nilhil tamen vetat quominus Deus, ob sapientissimos fines sibi probe notos, iudicium suspendat, prout evenire dicendum est, quotiescumque aliquis e mortuis excitatur iterum moriturus, prout in Lazaro legimus factum [1].

## ARTICULUS II. — *Utrum determinata receptacula assignentur animabus separatis a corporibus suis.*

**1. — Relatio animae separatae ad locum corporalem.** — Perempto per mortem vinculo illo quo anima proprio corpori formaliter unita manebat, non inde sequitur illam omni prorsus habitudine ad corpora destitui.

1. Utrum teneri possit hominem poenis inferni iam damnatum a Deo interdum liberari, dicemus infra, art. 4, n. 9, p. 104. Cfr. Op. DELL' ANIMA UMANA SEPARATA DAL CORPO, c. III, n. 25.

Cum enim unus sit mundus ab uno Deo conditus, necesse est omnem substantiam corporalem ad substantiam spiritualem quodammodo ordinari, a qua gubernatur; unde licet angeli secundum suum esse a corpore non dependeant, hoc tamen a Deo habent, ut administrent totam naturam corporalem [1].

Cum igitur anima a corpore separata iam quodammodo convenire incipiat cum angelis, ideo necesse est et ipsam cum corporali substantia aliquam relationem habere, qua ratione videlicet rei incorporali competit esse in loco. Nimirum, non potest esse in loco corporali eo modo quo corpora sunt in loco, scilicet per commensurationem dimensionum corporis locantis ad corpus locatum, seu ut aiunt, circumscriptive; nec amplius est in loco informando corpus locatum, quemadmodum informat proprium corpus; sed definitive, sicut angeli: non quasi sua virtute possit corpus movere, hoc enim animae humanae non competit, cuius virtus motiva est restricta ad proprium corpus, et quidem solummodo in statu unionis [2]; sed anima separata ideo est in loco, quia contingit illam esse hic et non alibi [3].

**2. — Convenientia animae separatae ad determinata corpora.** — Sciendum est autem quod quamvis anima post mortem non habeat convenientiam similitudinis univocae cum aliquo corpore, habet tamen cum eo quamdam proportionalitatis convenientiam seu analogice, secundum quod, ait S. Thomas [4], in Scripturis metaphorice corporalia ad spiritualia transferuntur, quo modo Deus dicitur esse sol, quia est principium vitae spiritualis, sicut sol vitae corporalis principium est; et secundum hanc convenientiam, quaedam animae cum quisbusdam locis

1. Cf. tr. DE ANGELIS, Quaest. CX, art. 1, Vol. II, p. 89. — 2. Quaest. praeced., art. 5. — 3. Cf. tr. DE ANGELIS, Quaest. LII, art. 1, Vol. I, p. 65. — 4. Supplem., Quaest. LXIX, art. 1, ad 2m, fere ad litt.

magis conveniunt, sicut animae spiritualiter illuminatae conveniunt cum corpóribus luminosis, animae vero obtenebratae per culpam cum locis tenebrosis. Ab huiusmodi autem locis corporalibus anima separata directe nihil recipit per modum quo corpora recipiunt, quo conservantur a suis locis; sed ipsae animae ex hoc quod cognoscunt se talibus locis deputari, sibi gaudium ingerunt, vel moerorem; et sic locus cedit eis in poenam, vel praemium [1].

3. — PROP. — **Animae quae sunt in perfecta participatione deitatis, in caelo collocantur; quae vero a participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario deputantur** [2].

4. — **Auctoritates Sacrae Scripturae et Patrum.** — De fide est haec veritas saltem in sua generalitate concepta, et potest scripturaliter ex hoc deduci, quod Dominus Noster ad caelos corporaliter ascendisse legitur, quocum animae Sanctorum, post mortem, regnaturae sunt, iuxta illud [3]: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Rursus iniqui dicuntur futuri *in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda* [4].

Idipsum ita traditur a S. Augustino [5]: *Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est requie vel aerumna.* Ad idem refertur quod S. Gregorius narrat [6], de animabus

1. Ibid., ad 3m. — 2. Haec veritas respicit, ut patet, animam in praesenti ordine, quo homo elevatus est ad ordinem supernaturalem: nam in hypothesi quod in ordine naturali fuisset relictus, nullus alius locus videretur animae adsignandus, nisi illimet cineres quos aliquando informavit. At hypothesis illa vix potest sustineri, saltem pro illis animabus quae in vita peccata commisissent, quae quidem hoc ipso quod inimicae Dei fierent, ad ordinem supernaturalem, per reductionem, pertinerent, et consequenter ad infernum forent deputandae. — 3. Io., XII, 26. — 4. Apoc., XXI, 8. Cf. Marc., IX, 43; Matth., III, 12. — 5. Enchirid., n. 29, c. CIX. Opp., t. VI, col. 237. — 6. P. IV Dialog., cap. 25, 29, 30 et 40. Totus est hic liber in adserenda existentia animae post mortem.

post mortem ad diversa loca corporalia deductis: ut patet de Paschasio, quem Germanus Capuanus episcopus in balneis invenit, et de anima Theodorici regis, quam refert ad gehennam esse deductam [1]. Similiter S. Basilius ait [2]: *Sicut damnati in tenebras exteriores abiguntur, ita remuneratio pro dignis operibus restauratur in ea luce quae est extra mundum, et ibi quietis domicilium sortientur.*

**5. — Prob. rat. theol.** — Quamvis animabus post mortem non assignentur aliqua corpora, quorum illae sint formae vel motores, determinantur tamen eisdem quaedam corporalia loca per congruentiam quamdam, secundum gradum dignitatis earum, in quibus locis sint quasi locatae, eo modo quo incorporalia esse possunt in loco, secundum quod magis vel minus accedunt ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur: nimirum, Deus est ipsa prima substantia, cuius sedem caelum esse Scriptura denuntiat [3]. Quapropter animae quae sunt in participatione perfecta deitatis, congrue ponuntur in caelo; animae vero, quae a participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario deputantur [4]. — Et *confirmatur* ex hoc quod caelum empyreum est locus corporalis, et tamen ipsum factum mox sanctis angelis est repletum [5]; cum ergo animae separatae incorporeae sint sicut angeli, hinc congruum est quod illae quae in perfecta Dei amicitia sunt, cum Deo et angelis bonis in caelum empyreum recipiantur.

1. S. Thom., ibid., sed contra. Esto non omnia quae hic narrat S. Gregorius aequalem mereantur fidem, eius tamen mentem aperte pandunt circa id de quo hic agitur, nempe animae separatae determinatum locum deberi. — 2. In Homil. II, Hexam., n. 5. Migne, P. G. 29, 42. — 3. Ps. CII, 19; Is., LXVI, 1. — 4. S. Thom., loc. cit., fere ad litt. — 5. Cf. Glossa ordinaria in principio Genesis, ad verba: *In principio creavit,* etc.

**6. — Scholion.** — Ubinam vero, seu in quanam praecise regione, adinveniantur specialia illa receptacula ad quae animae post mortem deputantur, deficiente speciali revelatione, determinatu impossibile est. Et quidem, quantum ad caelum, nihil prohibet quin dicatur illud inveniri in uno alterove ex illis splendidissimis astris, quibus caelestem testudinem Deus adornavit: sed nec quidquam obest quominus illa vulgi sententia, infernum in visceribus terrae reponentis, retineatur, cum intus incandescere globum terrestrem, ipsa physica scientia demonstretur.

**7. — Quot animarum receptacula distinguantur.** — Porro, sciendum est quinque, universim loquendo, animarum receptacula distingui. Revera, distinguuntur animarum receptacula secundum diversum statum recipiendi pro meritis vel bonum vel malum. Porro anima, post mortem, vel est in statu recipiendi finalem mercedem, vel in statu quo impeditur ab illa. Et quidem, si est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum, et sic est paradisus; vel quantum ad malum, et sic ratione actualis culpae est infernus; ratione autem originalis peccati est limbus puerorum. Si vero anima est in statu, quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personae, et sic est purgatorium, in quo detinentur animae ne statim praemium consequantur propter peccata quae commiserunt; vel propter defectum naturae, et sic est limbus patrum, in quo detinebantur Patres a consecutione gloriae propter reatum humanae naturae, qui nondum poterat expiari [1].

Igitur, quinque animarum receptacula distingui debent: scilicet, paradisus, infernus, limbus puerorum, purgatorium et limbus patrum; quod tamen ultimum receptaculum nunc amplius locum non habet.

1. Supplem., Quaest. LXIX, art. 7.

**8. — Notandum.** — Advertere debet lector, nos hic agere de locis animarum ad quae illae *finaliter* deputantur, recepturae retributionem pro meritis: unde nec aer iste, in quo testatur S. Paulus daemones qui nos tentant degere [1], nec loca terrestria in quibus interdum animae quae ibidem peccaverunt detinentur, ut docet S. Gregorius Magnus [2], vocantur spirituum aut animarum receptacula: nam et daemones sunt in aere isto, non ibi recepturi retributionem pro meritis, sed ad exercendum suum erga nos officium, et animae separatae interdum puniuntur in loco nostrae habitationis, ad nostram instructionem, ut earum poenas videntes retrahamur a culpis: post quod ad locum sibi competentem remittuntur [3]. — Animae vero corpori iterum post resurrectionem coniunctae specialis locus non assignatur, cum corpus futurum sit particeps sive gloriae ac beatitudinis animae, sive eiusdem miseriae [4]. Denique, paradisus terrestris non computatur inter praedicta receptacula, sicut nec locus ubi nunc degunt Henoch et Elias, quia ista loca pertinent magis ad statum viatoris, quam ad statum recipientis praemium pro meritis [5]. — Cum autem de caelo, de purgatorio, de inferno, necnon de limbo in quo detinentur pueri sine baptismo decedentes, simus ex professo postea singillatim locuturi, hic restat ut de limbo Patrum tantummodo pauca dicamus.

**9. — Qualis fuerit limbus Patrum.** — Limbus Patrum, qui dictus etiam est sinus Abrahae [6], erat locus *in quo animae Sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata re-*

1. Eph., VI, 12. Quod ex S. Petro (2 Ep., II, 4) introducit S. Thomas, aerem istum caliginosum esse daemonum carcerem, secundum textum graecum accipitur, ubi pro rudentibus *inferni*, legitur rudentibus *caliginis* vel *tenebrarum*, σειραῖς ζόφου ταρταρώσας. — 2. L. IV Dialogor., cc. 30, seqq. — 3. S. Thom., ibid., art. 7, ad 4m et 8m. — 4. Ibid., ad 10m. — 5. Ibid., ad 5m. — 6. Luc., XVI, 22, 23.

*demptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quae in sinu Abrahae Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad inferos descendens liberavit* [1]. Signanter autem sinus Abrahae dictus est locus ille, eo quod homo ad felicitatem pervenire nequit, nisi merito fidei, quae virtus in Abraham insigniter refulsit [2].

Sciendum autem, caelum quoque, in quod nunc iusti recipiuntur, interdum vocari sinum Abrahae: at differentia est, quia ante Christum sinus Abrahae nonnihil de defectu requiei adiunctum habebat, cum ibi animae Dei visione non gauderent; nunc autem huiusmodi defectum non patitur, cum beati Deum videant facie ad faciem; unde nullimode nunc dicitur idem infernus et sinus Abrahae, quod quidem dicebatur ante Christi adventum [3]: cum nomen *infernus* genericum sit, significans locum inferiorem, per respectum ad superiorem [4]. Igitur, ad sinum Abrahae hoc modo acceptum, id est pro loco perfectae quietis, Ecclesia interdum orat ut angeli animam defuncti deferant [5], et de eodem S. Augustinus, de Nebridio verba faciens, ita loquebatur [6]: *Quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit* [7], *dulcis amicus meus... Iam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix.* — Ceterum, quia de S. Augustino hic verba facimus, sciendum est illum fortassis aliquando dubitasse quid sinus ille Abrahae sit, in

1. Catechism. Romanus, P. I, art. 5, n. 3. — 2. Cf. S. Bernard., in Solemn. Omnium SS., Sermo IV, t. II, p. 139. — 3. Sic dicebat Iacob filiis suis (Gen., XXXVII, 35): *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, et rursus (Gen., XLII, 38): *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos ;* — 4. Cf. Supplem., Quaest. LXIX, art. 4, ad 2m. — 5. In officio de S. Martino et in orat. pro defunctis. — 6. L. IX Confess., c. 3. t. I, col, 159, n. 6. — 7. Fuit Nebridius, adolescens valde bonus, Augustino carissimus, per quem tota illius domus facta est christiana. De eo refert S. Augustinus, quod oderat de quaestione magna responsionem brevem. Ep. XCVIII ad Bonif. (al. XXIII), t. II, col. 267.

quem animae Sanctorum post ascensionem Christi receptae sunt, licet constanter affirmaverit illas Dei visione esse beatas [1]. Quod autem ad inferos huiusmodi animae non descendant, sat expresse docet [2]: ac sinum Abrahae requiem beatorum et secretum Patris interpretatur [3].

Quod autem limbus Patrum fuerit supra infernum damnatorum, colligi potest ex Scripturae narratione, ubi de divite dicitur quod *elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius* [4]; quod ita explicatur a S. Thoma [5]: *Si considerentur quantum ad situm loci* (infernus damnatorum et limbus Patrum), *sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus sit infernus et limbus, ita tamen quod quaedam superior pars inferni limbus Patrum dicatur. Existentes enim in inferno secundum diversitatem culpae diversam sortiuntur et poenam; et ideo secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, secundum hoc obscuriorem locum et profundiorem obtinent in inferno: unde et sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpae, supremum et minus tenebrosum locum habuerunt omnibus puniendis.*

**10. — Difficultas solvitur.** — S. Augustinus dicit [6]: *Spiritalem arbitror esse,* scilicet locum ad quem anima defertur post mortem, *non corporalem.*

*Resp.* Dictum hoc S. Augustini potest hoc modo intelligi, ut pro tanto dicatur locus ille, ad quem animae deferuntur post mortem, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet quo corpora existunt in loco; sed alio modo, scilicet spirituali,

1. Cf. Expos. in Ps. CXIX, et lib. Meditationum, cap. 23, 24, 25, 26. — 2. Lib. XX de civit. Dei, cap. 15, t. VII, col. 593. — 3. Lib. II Quaestionum Evangelicarum, cap. 38, t. III, p. 2, col. 266. — 4. Luc., XVI, 23. — 5. Supplem., Quaest. LXIX, art. 5. — 6. L. XII, sup. Gen. ad litt., c. XXXII, n. 61. t. III. P. I, col. 320.

sicut angeli in loco sunt. Vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando, et non determinando, sicut saepe facit in libris in quibus Genesim commentatur [1].

### Articulus III. — *Utrum statim post mortem animae deducantur ad caelum vel ad infernum.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum superius statutum sit particulare iudicium statim post mortem compleri, hic proprie dubitatur utrum sententia a iudice prolata statim executioni demandanda sit, an tantummodo post universale iudicium, ut quibusdam, quos inter Tertulliano [2], visum est, differenda. Ubi proprie de animabus, sive ad caelum, sive ad infernum, comprehenso sub hoc nomine etiam limbo puerorum, divina iustitia deputatis agitur, cum limbus Patrum, formaliter ut sic, amplius non existat; at quaestio ad purgatorium etiam extendi potest, ad quod animae non plene purgatae deputantur, qui quidem locus post extremum iudicium non amplius existet.

Est autem quaestio praesens intime colligata cum altera quaestione, in media aetate diutius discussa, utrum beatitudo, in Dei faciali visione consistens, animabus iam perfecte purgatis divinitus concedatur, an, ut multi voluerunt, usque ad finale iudicium sit differenda: quapropter sub unico articulo duo haec dubia resolventur.

**2. — PROP. — Dissoluta carne, anima statim mansionem accipit, quae sibi secundum merita competit.**

**3. — Auctoritas.** — De fide est ista propositio, ita in Concilio Florentino expresse declarata [3]: (Definimus

1. Supplem., Quaest. XCVII, art. 5, ad 2m, fere ad litt. — 2. Eruitur ex pluribus Tertulliani locis, signanter ex hoc Apologetic., C. XLVIII: *Ideoque repraesentabuntur et corpora* (in iudicio), *quia neque pati quicquam potest anima sola sine materia stabili, id est, carne.* — 3. Decreto pro Graecis. Bulla *Laetentur caeli*, 6 Iul., 1439. Denzinger-B., 693. Cf. Conc. Lugdunense II, *Prof. fidei Mich. Palaeol.* Denzinger-B., n. 464.

animas hominum) *si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis,... poenis purgatoriis post mortem purgari;... illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus... sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

**4. — Prob. ex Sacra Scriptura generaliter.** — Porro, quod statim post mortem animae consequantur poenam vel praemium, si absit impedimentum, auctoritatibus Scripturae evidenter comprobatur. Sic de malis legimus [1]: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt;* et rursus [2]: *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno:* ubi infernus evidenter sumitur pro loco supplicii, cum protinus dives ille testetur [3]: *Quia crucior in hac flamma.*

Similiter et de bonis patet: sic quippe Dominus in Cruce pendens latroni dixit [4]: *Hodie mecum eris in paradiso;* illi videlicet promittens se eadem die collaturum beatitudinem perfectam in Dei visione consistentem [5]: per paradisum enim intelligitur praemium quod bonis

1. Iob, XXI, 13. — 2. Luc., XVI, 22. — 3. Ver. 24. — 4. Luc., XXIII, 43. — 5. Advertendum est, animam Christi, statim post mortem, ad inferos descendisse, id est ad limbum Patrum, et quidem antequam latrones morerentur. Ad hunc igitur locum translata est statim anima boni latronis, ubi sicut animae aliorum Sanctorum ibi existentes, et ipsa luce gloriae perfusa est.

repromittitur, secundum illud [1]: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.*

**5. — Auctoritas S. Pauli.** — Praestat autem veritatem hanc ex S. Paulo repetere, qui eam ex professo expendit. — α) Primo quidem, de finali gloria loquens, dicit [2] quod id *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt:* quae manifestum est de finali gloria dici, quae est in caelis. Mox vero, ut ostendat quando et qualiter haec gloria habeatur, subiungit [3]: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis;* οἴδαμεν γὰρ ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, ὅτι οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς [4]: per quod manifeste dat intelligi quod, dissoluto corpore, anima ad aeternam et caelestem mansionem perducitur, quae nihil aliud est, quam fruitio divinitatis, qualis competit angelis in caelis [5]. — Porro, non satis rem acu tetigerit, qui contendet Apostolum dixisse nos, statim dissoluto corpore, domum aeternam habere in caelis, non in re, sed in spe: nam etiam dum hic vivimus, caelestem mansionem iam habemus in spe secundum praedestinationem divinam; unde frustra addidisset S. Paulus: *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur;* satis enim ei fuisset dixisse: *Scimus quod aedificationem habemus ex Deo,* etc.

1. Apoc., II, 7. — 2. 2 Cor., IV, 17, 18. — 3. Ibid., cap. V, 1. — 4. Haud silendum, interpretes nonnullos *domum non manufactam* intelligere futurum corpus gloriosum: at utrumque, ex mente S. Pauli commode intelligi, haud irrationabiliter dici potest. — 5. S. Thom., l. IV Contra Gent., C. 91.

β) At expressius hoc apparet ex eo quod subdit idem Apostolus [1]: *Scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum,* ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦντες ἀπὸ τοῦ κυρίου...: εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον [2]. Frustra autem vellemus peregrinari a corpore, scilicet separari ab hoc nostro corpore, nisi statim esse possemus praesentes ad Dominum. Non autem sumus praesentes, nisi quando eum videmus per speciem: quamdiu enim ambulamus per fidem, et non per speciem, peregrinamur a Domino. Igitur statim ac anima perfecte sancta a corpore separatur, Deum per speciem videt; in quo ultima eius beatitudo consistit [3].

γ) Denique, ad rem facit hic alius locus S. Pauli [4]: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos,* τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι... τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ ἀναγκαιότερον δι᾽ ὑμᾶς. Ex quo sic arguit S. Gregorius Magnus [5]: *Qui ergo Christum in caelo esse non dubitat, nec Pauli animam in caelo esse negat:* sed non est negandum, Christum nunc esse in caelo, cum sit articulus fidei; ergo nec est dubitandum, animas Sanctorum ad caelos deferri ante ultimi iudicii diem.

**6. — Traditio. —** Res esset longior quam ut illam hic aggredi possimus, pene infinitam documentorum seriem, quibus veritas haec comprobatur, ordinatim proferre: sequentia recitasse sufficiet. Primo, quoad bonos, faciunt

1. 2 Cor., V, 6-8. — 2. Notanda est oppositio in verbis ἐνδημέω et ἐκδημέω. — 3. S. Thom., L. IV Contra Gent., C. 91. — 4. Phil., I, 23. — 5. 4 Dialog., cap. 25, circ. med.

egregia verba S. Cypriani [1]: *Quis non omnibus viribus elaboret,... ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta et supplicia terrena, praemia divina percipiat?... Clauduntur oculi in persecutionibus terrae, sed patet caelum: minatur Antichristus, sed Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis exstinguitur, sed aeterna reparatur.* S. Bernardus quoque, de cuius mente aliqui, utique sine ratione, dubitaverunt, idipsum sat pluribus locis expresse testatur, puta, ubi de sanctis Apostolis Petro et Paulo dicit, eos *regna caelestia conscendisse* [2], aut in aeterna felicitate vivere [3]; vel cum de pluribus egregiis viris, quorum laudes texit, asserit eos beate vivere, concives esse Sanctorum et domesticos Dei [4].

Quoad malos vero, explicita sunt S. Hilarii verba [5]: *Excipit impios statim ultor infernus;* et rursus [6]: *Testes nobis evangelicus dives et pauper, quorum unum angeli in sedibus beatorum et in Abrahae sinu locaverunt, alium statim poenae regio suscepit. Nihil illic dilationis et morae est.* Huc quoque faciunt sequentia verba S. Gregorii Magni [7]: *Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat* [8].

Denique animas Sanctorum, quibus nihil restat purgandum, aeterna iam beatitudine potiri, vox est Ecclesiae universae, quae diem mortis eorum diem natalem vocat,

1. L. de exhort. martyr., c. 12. Opp. Oxon., 1700, p. 127.— 2. Sermo in eorum vigilia t. II, p. 105. Lugduni, 1679. — 3. Serm. II de SS. Petro et Paulo. — 4. Cf. Sermo de S. Humberto; Sermo in transitu S. Malachiae; etc. — 5. In Ps. II, n. 48. — 6. Tract. in Ps. CXLVIII, n. 8. — 7. L. IV Dialog., c. 28. — 8. Legendus est BELLARMINUS, qui in op. de Ecclesia triumphante, l. I, *de Beatitudine et Canonizatione Sanctorum*, multiplici Scripturarum ac Patrum testimonio demonstrat, animas Sanctorum iam nunc frui Dei visione, cc. 2, seq. Opp., t. I, col. 1981, seq.

quia scilicet eorum animas credit ad vitam gloriae nasci, cum a corporibus migrant.

**7. — Ratio theol.** — Animas defunctorum poenam vel praemium statim consequi, perbelle demonstrat Angelicus Doctor, rationibus deductis, *primo,* ex parte ipsarum animarum; *secundo,* ex parte meriti ac demeriti; *tertio,* ex ordine meriti et culpae ad animam; *quarto,* ex analogia ordinis universi.

I. Ex hoc quod anima separatur a corpore, fit capax visionis divinae, ad quam dum esset coniuncta corruptibili corpori pervenire non poterat. In visione autem Dei, ultima hominis beatitudo consistit, quae est virtutis praemium. Nulla autem ratio esset quare differretur poena et praemium, ex quo anima particeps esse posset utriusque. Statim igitur cum anima separatur a corpore, praemium vel poenam recipit pro his quae in corpore gessit.

II. In vita praesenti est status merendi vel demerendi: unde comparatur militiae et diebus mercenarii, secundum illud [1]: *Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies eius.* Sed post statum militiae et laborem mercenarii, statim debetur praemium vel poena bene vel male certantibus; unde dicitur [2]: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane;* Dominus etiam dicit [3]: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Statim igitur post mortem, animae vel praemium consequuntur vel poenam.

III. Secundum ordinem culpae et meriti, convenienter est ordo in poena et praemio. Meritum autem et culpa non competit corpori nisi per animam: nihil enim habet rationem meriti vel demeriti, nisi in quantum est voluntarium. Igitur tam praemium quam poena convenienter ab anima derivatur ad corpus; non autem animae convenit propter corpus. Nulla igitur ratio est quare in punitione,

1. Iob, VII, 1. — 2. Levit., XIX, 13. — 3. Ioël, III, 4.

vel praemiatione animarum exspectetur resumptio corporum; quin magis conveniens videtur ut animae, in quibus per prius fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur vel praemientur.

IV. Denique, eâdem Dei providentia, qua rebus naturalibus perfectiones eis debitae adhibentur, creaturis rationalibus praemia debentur et poenae. Sic est autem in rebus naturalibus, quod unumquodque statim recipit perfectionem cuius est capax, nisi sit impedimentum, vel ex parte recipientis vel ex parte agentis. Cum igitur animae statim ac fuerint separatae a corpore, capaces sint et gloriae et poenae, hinc utrumlibet statim recipient: nec differetur vel bonorum praemium vel malorum poena, quousque animae corpora reassumant [1].

**8. — Quo pacto animae statim post mortem propria loca sint petiturae.** — Non est autem putandum animas, corpore exutas, aliqua extrinseca vi adigi ut ad propria loca se conferant. Etenim, ut pulcherrime explicat Angelicus [2], sicut in corporibus est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animae ad praemium vel ad poenam, quae sunt fines actionum ipsarum: unde sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita animae, soluto vinculo carnis, per quod in statu viae detinebantur, statim praemium consequuntur vel poenam, nisi aliquid impediat, ex quo collatio praemii differri debeat. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam praemii vel poenae, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur vel ad caelos evolat; nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima

1. S. Thom., l. IV Contra Gent., cap. 91, ad litt. — 2. Supplem., Quaest. LXIX, art. 2, ad litt.

purgetur. — Veritatem hanc perbelle exponit Alighierius:

*E pronti sono a trapassar del rio,*
*Chè la divina giustizia li sprona*
*Sì, che la tema si volge a desio!* [1].

**9. — Scholion.** — Ut ex dictis patet, differentia est inter animas quae in gratia Dei moriuntur, et animas quae in odio Dei decedunt: nimirum, nihil est quo istae impediantur ab immediata perceptione poenae sibi debitae, unde statim in infernum demerguntur; illae vero, quia aliquo forsan veniali reatu adhuc detinentur, quem nondum perfecte solverunt, ideo retardantur a praemii consecutione, quousque scilicet poenas purgatorias sustinuerint. At in hoc quoque casu, anima separata statim ad locum sibi deputatum transfertur: unde ad poeticum figmentum pertinet id quod habet Alighierius, dum commentatur animas, quae excommunicationis vinculo irretitae decedunt, triginta dierum spatio exspectare quoadusque in purgatorium admittantur [2]:

*Ver è che quale in contumacia muore*
*Di santa Chiesa, ancor che alfin si penta,*
*Star li convien da questa ripa in fuore*
*Per ogni tempo, ch'egli è stato, trenta.*

**10. — Solvuntur difficultates ex Sacra Scriptura.** — I. S. Paulus ait [3]: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.* Atqui per *illam diem* intelligitur secundus ad-

1. INFERNO, Cant. III, vv. 124 seq. Sic etiam VIRGILIUS, *Aen.*, l. VI, v. 314.

*Tendebantque manus, ripae ulterioris amore.*

— 2. Purg., Canto III, vers. 131, seq. — 3. 2 Tim., IV, 8.

ventus Christi, seu dies extremi iudicii. Ergo nonnisi in ultima die animae ad sua receptacula pergent.

*Resp.* Agit hic Apostolus de corona iustitiae homini decernenda post resurrectionem, ideoque tum animae tum corpori, quando videlicet totus homo praemia vel poenas est recepturus; quo sensu plures alii textus Scripturae sunt intelligendi [1].

II. Idem S. Paulus, loquens de Patribus veteris Testamenti, ait [2]: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur:* quibus verbis differenda videtur gloria Sanctorum veteris Testamenti usque ad finem mundi.

*Resp.* Apostolus his verbis significat, Sanctis illis antiqui foederis, quorum fidem eximiis quidem laudibus extulerat, non prius collatam fuisse repromissionem, id est gloriam animae, quam Christus illos in limbo visitaret, et rursus non prius decernendam fore alteram repromissionem, id est resurrectionem, quam adveniat finis saeculorum, quando una cum omnibus Sanctis novi Testamenti illam sunt consecuturi: cum hoc Dei dispositio habeat, ut non ante nos, qui eorum vestigia premimus, ad illam consummatam gloriam perveniant, ut explicat S. Augustinus [3]. Et hoc modo hortatur Hebraeos Apostolus, ut patienter exspectent diu dilatam finalem mercedem, proposito scilicet exemplo priorum Sanctorum, qui licet quantum ad animam, post Christi passionem, glorificati sint adhuc tamen resurrecturi sunt, paucis videlicet exceptis, qui una cum Christo resurrexerunt: etsi in ultima die ante Sanctos Novi Testamenti, ut diximus, resurrecturi non sint. Ad rem S. Bernardus [4]: *Propterea cum resurrectionem expeterent corporum,... acceperunt divinum,*

1. Verbi gr., Matth., XXV, 34, seq.; Rom., II, 5; Tim., I, 12; 1 Io., III, 2, etc. — 2. Hebr., XI, 39, 40. — 3. Tract. CXXIV in Io.; cf. S. Thom., Comment. in h. l. S. Pauli. — 4. Sermo III in festo omnium SS., t. II, p. 138. Lugduni, 1679.

*responsum dicens* [1]: SUSTINETE MODICUM TEMPUS, DONEC COMPLEATUR NUMERUS FRATRUM VESTRORUM. *Acceperunt tamen iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos: quomodo de Patriarchis et Prophetis ait Apostolus* [2]: DEO MELIUS ALIQUID PROVIDENTE PRO NOBIS, UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR. *Stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum, secunda vero immortalitas et gloria corporum.*

III. In Apocalypsi legitur [3]: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant:* quod est, interprete S. Bernardo [4], animas sub humanitate Christi positas, eam contemplari, quoadusque exaltentur super altare, contemplaturae faciem Dei.

*Resp.* Per altare, ut egregie explicat Franc. Sylvius [5], hoc loco per metaphoram intelligitur locus in caelo martyrum animabus designatus, quo modo earumdem requies beata vocatur *cubile* [6]: *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis,* ducta similitudine a cubili in quo corpora quiescunt. Quod si per altare intelligatur Christus aut humanitas eius, dicendae erunt animae esse subtus altare, quia sunt infra conditionem corporis Christi gloriosi, utpote nondum habentes corpora configurata corpori claritatis eius, et ad nutum sibi obedientia, quo modo habebunt post resurrectionem, quando et ipsa admittentur, utique modo suo, ad visionem divinae essentiae, quatenus scilicet homines corpore et anima constantes videbunt Deum sicuti est, cum nunc non homines, sed solum animae, corpora non informantes, illum videant. — Qualis vero, iuxta litteralem illius textus intelligentiam, sanctorum martyrum reliquiis honor debeatur, egregie exponit

1. Apoc., VI, 11. — 2. Heb., XI, 40. — 3. C. VI, 9. — 4. Sermo IV in Sol. Omnium SS., t. II, p. 139. — 5. In h. loc. — 6. Ps. CXLIX, 5.

S. Ambrosius [1]: *Succedant victimae triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ergo locum praedestinaveram mihi; dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem; locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, et dignis sedibus invehamus.*

**11. — Difficultates ex Patribus. — Animadversio generalis.** — Imprimis, advertimus, ad rite solvendas difficultates quae ex quorumdam Patrum scriptis moveri possunt contra immediatum ingressum animarum in caelum, eorum nonnullos millenariorum vel chiliastarum errori favisse, ut Tertullianum ac Lactantium, hacque de causa docuisse Dei visionem interdum ad mundi finem usque differendam, licet eorum nonnulli, ut sancti Irenaeus et Iustinus, visionem hanc animabus statim post earum separationem tribuerint.

Praeterea, Patres saepius, implicite saltem, distinguunt inter beatitudinem consummatam, quae scilicet habetur solum in homine post resumptum corpus, et beatitudinem incompletam qualis animae separatae competit: et hac quidem concessa, illam negaverunt beatis ante finem mundi competere.

Ulterius, solemnis canon est, difficiliora ac obscuriora Patrum effata non esse extendenda aut plus aequo urgenda, sed sub luce locorum clariorum ac apertiorum esse pie intelligenda.

Denique, recolendum est plures Patres, maxime S. Augustinum, praevia sua dicta, aliquando expresse, interdum implicite retractasse, saepe quoque disputando magis

1. De Corporum invent. Ss. Mm. Protasii et Gerv. Ep. XXII ad Marcellinam Sororem, n. 13, t. V, col. 161, 162.

quam definiendo disseruisse: unde in eorum scriptis attendendum est quonam vitae suae tempore id protulerint, provectioresne an potius iuniores, ut sic priora dicta per posteriora intelligi possint; pariter videndum utrum, nondum diremptis quaestionibus, aliquid illi dubitative magis quam assertive proposuerint. Sed nunc pronum est ut de potioribus Patribus, ex quorum scriptis dubitandi occasio orta est, rem breviter perstringamus.

**12. — Solvuntur quaedam difficilia loca ex Patribus.** — I. S. Hilarius ait [1]: *Humanae ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus, ad inferos animae descendant.* Deinde distinguit iste Pater regnum Christi a regno Dei et Patris; illi attribuens tempus quod a morte cuiusque iusti usque ad diem ultimi iudicii currit, a quo incipit regnum Dei [2].

*Resp.* S. Hilarius, in priori loco, loquitur de eo tempore quo clausum adhuc erat caelum, scilicet ante gloriosam Christi ascensionem; nec tamen divinam visionem in inferis excludit: subdit enim, statim post illa verba, quod etiam illuc descendere Christus dignatus est, quem tamen constat divina visione etiam in inferno fruitum esse. — Quod vero regnum Christi a regno Dei distinguit, nihil est: nam etiam regnum Christi dicit *sedem beatorum; sanctae Hierusalem regnum beatum, terram viventium, paradisi incolatum.*

II. S. Ambrosius [3] dicit iustorum animas infernum petere; et addit [4]: *Solvitur corpore anima, et post finem vitae huius, adhuc tamen futuri iudicii ambiguo suspenditur.*

*Resp.* Priori loco, probat S. Ambrosius philosophorum

1. In Ps. CXXXVIII, n. 22. Opp., Venet. 1749, col. 441. — 2. In Ps. CXLVIII, n. 8, ib., col. 502. — 3. L. de Bono mortis, c. 10, n. 45, t. I, col. 523. — 4. L. II de Cain et Abel, c. 2, t. I, col. 277, n. 9.

sententiam de piarum animarum descensu ad inferos, pro illo tempore quo prolata fuit, scilicet ante Christi adventum, non autem absolute; etenim eodem loco, Scripturae testimoniis affirmat animarum superiora esse habitacula; et dicit eas ad sublime evolare, ut Deo adhaereant et cum ipso sint [1], licet non possent ante Christi mortem beatificari.

Posteriori autem loco, aliud non significat, nisi animas, post hanc vitam, etiam bonas, diem aut tempus nescire, quo futurum sit iudicium universale. Ceterum S. Doctoris mens in illo loco est, omnes Sanctos, in diem ultimi iudicii, quem nemo novit, reservari, coram universo mundo praemium recepturos. Quod vero Beatis vel ante iudicii diem, visionem Dei adscribat, probant sequentia eius verba [2]: *Acolius superiorum incola, possessor civitatis aeternae illius Hierusalem, quae in caelo est, videt illic urbis eius mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, et haec omnia iamdudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.*

III. S. Ioannes Chrysostomus ait [3]: *Quamquam animus sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum nec poenis punietur.*

*Resp.* S. Doctor hic hypothetice loquitur, ut patet ex sequentibus verbis: *Si enim non resurget corpus, incoronata manet anima.* Nimirum, vult Chrysostomus animam nullis bonis caelestibus fruituram, si corpus non sit resurrecturum: cum enim utraque hominis pars adlaboraverit ad praemium, aequum est ut utraque quoque mercedem accipiat: quod si una pars hac mercede in aeternum carere debeat, impossibile est alteram partem ad illam mercedem accedere.

1. Cap. 9. — 2. Epist. XV, Opp. Mediol., 1881, col. 360, n. 4. Alias Ep. LIX. — 3. Homil. XXXIX in 1 Epist. ad Corinth.

IV. Sanctus Augustinus dicit α) quod *tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est requie vel aerumna* [1]. Atqui abdita haec receptacula non possunt intelligi caelum et infernus: quia in illis, etiam post resurrectionem ultimam, animae cum corporibus erunt: unde pro nihilo distingueret tempus ante resurrectionem et post resurrectionem.

*Resp.* Inter illa abdita receptacula, de quibus Augustinus loquitur, sunt etiam computanda infernus et paradisus, in quibus animae aliquae ante resurrectionem continentur: sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem, et post, quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem erunt cum corpore; et quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animae, in quibus post resurrectionem non erunt, ut puta purgatorium [2]. Ceterum, recolendum est S. Augustinum initio favisse opinioni millenariorum, quam tamen postea reiecit.

β) Idem S. Pater ait [3]: *De sanctis hominibus iam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere, merito quaeritur.*

*Resp.* Hic, ut patet, non dicit S. Doctor quaeri, an animae sanctae sint beatae; sed an ita sint in possessione beatitudinis, quod nihil amplius eis desit. Scribit enim: *Utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc* (quod scilicet sint sine corpore) *minus habeant, non hic locus est disputando inquirere.*

γ) Alibi affirmat S. Doctor etiam S. Hieronymum sentire tunc nos visuros faciem Dei, cum in angelos profecerimus, id est, aequales angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum [4].

1. In Enchir., c. 109, t. VI, col. 238, n. 29. — 2. S. Thom., Quaest. LXIX, art. 2,ad 2m, ad litt. — 3. L. I Retract.. c. 14, t. I, col. 22, n. 2. — 4. Ep. CXLVIII, al. CXI., c. II, n. 7. t., II, col. 499.

*Resp.* S. Hieronymus est ita intelligendus, quod dicat in resurrectione mortuorum homines angelis aequales futuros esse, quia toti, et corpore et anima, erunt immortales, nec anima sola, sed homo ipse, carne ad spiritum reversa, Deum videbit. — Ceterum quod anima, vel ante resurrectionem, etsi non tam plene ob corporis absentiam, Dei visione gaudeat, diserte significat Doctor Hipponensis[1]: *Si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo praeberi, difficilior quidem quaestio est, quam ut perfecte possit hoc sermone finiri: sed tamen minime dubitandum est, et raptam hominis* (S. Pauli) *a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita, transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident; sive alia latentiore causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat.*

**13. — Solvuntur difficultates ex liturgia.** — In liturgia S. Ioannis Chrysostomi legitur: *Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro iis qui in fide requiescunt;...* (pro) *apostolis, martyribus,... praecipue pro sanctissima immaculata Maria.* Pariter in liturgia syriaca: *Deus, praesta eis requiem, bonamque memoriam, et potissimum Sanctissimae Deiparae Mariae.* Denique in liturgia romana, in festo S. Leonis, in Secreta precamur, *ut per haec placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet* et quotidie in Missa, post offertorium, Deum rogamus:

1. L. XII de Gen. ad litt., c. 35, t. III, p. I, col. 322, n. 68.

*ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.*

*Resp.* Verba ista non optandi, sed gratulandi sensum habent, quibus vis quoque gratiarum actionis subnectitur; aut etiam postulationem continent pro augmento gloriae accidentalis. Ubi vero oratio legitur cunctos generaliter complectentem qui in Christi fide obierunt, utique supplicatio clauditur pro iis quos forsan aeterna beatitudo adhuc manet. Egregia sunt hac in re S. Augustini verba [1]: *Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.*

Ad rem apposite Card. Bellarminus [2]: *Cum Ecclesia petit gloriam Sanctis qui regnum caelorum iam possident, non petere ut illi in gloria crescant, sed ut apud nos gloria eorum crescat, id est, ut toti mundo gloriam eorum innotescat, et illi ubique magis et magis glorificentur... Non* (videtur) *absurdum, si petamus illis augmentum gloriae accidentalis.* Qui etiam subiungit, *fortasse peti gloriam corporis, quam habebunt in die resurrectionis.*

**14. — Solvuntur difficultates ex ratione theol.** — I. Maior est gloria animae quam corporis. Atqui simul omnibus redditur gloria corporum, ut sit maior laetitia singulorum ex communi gaudio. Ergo multo fortius gloria animarum debet differri usque ad finem, ut simul omnibus reddatur.

*Resp.* Homines secundum corpora habent quamdam continuationem ad invicem, secundum quod dicitur [3]: (Deus) *fecit ex uno omne genus hominum;* sed animas

1. Sermo CLIX, n. 1, de Verb. Apost., t. V, col. 765, n. 1. — 2. L. II de Purgat., c. XVIII. t. I, col. 1956. — 3. Act. XVII, 26.

singillatim finxit, unde non est tanta congruentia, ut omnes homines simul glorificentur in anima, quanta ut simul glorificentur in corpore. Praeterea, gloria corporis non est ita essentialis, sicut gloria animae; unde maius detrimentum esset Sanctis, si gloria animae differretur, quam si gloria corporis differatur: nec posset hoc detrimentum gloriae recompensari propter ampliationem gaudii singulorum de gaudio communi [1].

II. Poena et praemium quae per sententiam iudicis redduntur, iudicium praecedere non debent. Atqui ignis inferni et gaudium paradisi dabuntur omnibus per sententiam iudicantis Christi, scilicet in ultimo iudicio, ut patet ex narratione evangelica [2]. Ergo ante diem iudicii nullus ascendet in caelum, vel descendet ad inferos.

*Resp.* Hanc eamdem obiectionem olim sibi proposuerat S. Gregorius, dicens [3]: *Si igitur nunc in caelo sunt animae iustorum, quid est quod in die iudicii pro iustitiae suae retributione recipient?* et respondet: *Hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruuntur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatusque pertulerunt.* Et eodem modo dicendum est de damnatis [4]. — Idipsum S. Augustinus egregie exponit, dicens [5]: *Veniet retributionis dies, ubi corporibus redditis, totus homo recipiat quod meretur. Ubi et illius divitis membra, quae quondam temporali purpura decorabantur, aeterno igne torreantur, et caro pauperis ulcerosi mutata inter angelos fulgeat; quamvis etiam nunc ille guttam ex digito pauperis apud inferos sitiat, et ille in sinu iusti deliciose requiescat. Sicut enim plurimum distat inter laetitias miseriasve somniantium et vigilantium, ita*

1. Supplem., Quaest. LXIX, art. 2, ad 3m, ad litt. — 2. Matth., XXV, 31, seq. — 3. L. IV Dialog., cap. 25 in medio — 4. S. Thom., l. cit., ad 4m. — 5. Serm. CCLXXX, de divers., n. 5, T. V, col. 1136.

*multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum et resurgentium: non quod spiritus defunctorum sicut dormientium necesse sit falli, sed quod alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus caelestibus claritas et felicitas Angelorum, quibus aequabitur resurgentium multitudo fidelium: in qua gloriosissimi martyres praecipua sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur.*

Aligherius quoque hanc veritatem elegantibus versibus expressit: nimirum, quaerenti sibi [1]:

*. . . . . Maestro, esti tormenti*
*Cresceranno ei dopo la gran sentenza*
*O fien minori, o saran sì cocenti?*

respondet Virgilius [2]:

*. . . . . Ritorna a tua scienza,*
*Che vuol, quanto la cosa è più perfetta,*
*Più senta 'l bene, e così la doglienza.*
*Tuttochè questa gente maledetta*
*In vera perfezion giammai non vada,*
*Di là più che di qua, essere aspetta.*

Qui etiam de Beatis scribit :

*Come la carne gloriosa e santa*
*Fia rivestita, la nostra persona*
*Più grata fia, per esser tutta quanta:*
*Perchè s'accrescerà ciò che ne dona*
*Di gratuito lume il sommo Bene,*
*Lume ch'a lui veder ne condiziona;*
*Onde la visïon crescer conviene,*
*Crescer l'ardor che di quella s'accende,*
*Crescer lo raggio che da esso viene.*

1. Infern., Cant. VI, 103, seq. — 2. Ibid., 106, seqq. — 3. Parad., Cant. XIV, 43, seq.

*Ma sì come carbon che fiamma rende*
*E per vivo candor quella soverchia*
*Sì, che la sua parvenza si difende;*
*Così questo fulgor, che già ne cerchia,*
*Fia vinto in apparenza dalla carne*
*Che tuttodì la terra ricoperchia:*
*Nè potrà tanta luce affaticarne,*
*Chè gli organi del corpo saran forti*
*A tutto ciò che potrà dilettarne.*

III. Christus non ascendit in caelum statim post mortem. Ergo nec animae Sanctorum illuc ascendunt statim ac a corpore separantur.

*Resp.* Christus etiam extra caelum beatus fuit, imo animas in Limbo beatifica visione donavit, antequam illas secum, in die Ascensionis, in caelum perduceret, secundum illud [1]: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Ideo autem distulit Christus suam in caelum ascensionem, ut iustorum animas ex limbo educeret, et ut pararet nobis viam ad caelum perveniendi.

## APPENDIX

### De Ioanne XXII Rom. Pont. (1316-1334).

**1.** — Cum saeculo decimo quarto inchoato, quaestio acriter agitaretur, utrum animae iustorum corporeis vinculis solutae et ab omni labe purgatae visione Dei statim, an nonnisi post corporum resurrectionem frui deberent, nonnulli theologi ex ordine S. Francisci, quibusdam Patrum testimoniis abusi, contenderunt visionem illam usque ad mundi finem differendam esse, doctoribus parisiensibus

1. Zach., IX, 11.

una cum fratribus Praedicatoribus contradicentibus. Quod cum rescivisset Ioannes XXII, qui utpote praestantioris ingenii disquisitionibus theologicis delectabatur, Scripturas Patrumque hac de re testimonia perscrutatus, utriusque sententiae argumenta coram Patribus Cardinalibus ac praelatis Avenione adunatis exposuit.

2. — Accidit autem ut quidam Thomas Valesius, ex Praedicatorum Ordine, e sacro suggestu in eos inveheret qui, tenebant Sanctis beatificam visionem differri, illos anathemate dignos ac haereticos vocitans, quem propterea Ioannes XXII in custodia iussit mancipari: quod causae fuit cur hic Pontifex a pluribus commemoratus fuerit inter fautores sententiae a franciscanis propugnatae. Aucta vero contentione, Philippus VI Valesius, convocatis doctoribus parisiensibus, eorum sententiam expostulavit, qui unanimiter declaraverunt se tenere visionem Dei Beatis haudquaquam differri; unde rex ad Pontificem superbe rescripsit, mandans *quatenus sententiam magistrorum Parisiis, qui melius sciunt quid debet teneri et credi in fide quam iuristae et alii clerici, qui parum vel nihil sciunt de theologia, approbaret, et quod sustinentes contrarium corrigeret* [1]. Quinimmo eo usque rex pervenisse fertur, ut haereticorum poenas Pontifici minitaretur, nisi errorem revocaret.

3. — Rescripsit Pontifex ad regem [2], se de illa quaestione nihil definisse aut asseruisse, sed tantum Scripturam et Patrum dicta retulisse, quatenus discussa veritas in apertum prodiret. Qui serius [3] in Cardinalium Consistorio, protestationem hanc emisit: *Dicimus et protestamur expresse quod in quaestione seu materia visionis animarum,...* (intendimus) *illud solum tenere et credere, quod*

1. Nat. ab Alexandro, in saec. XIV, Dissert. XI, a. 2. post initium — 2. 18 Nov. 1333. — 3. 3 Ian. 1334.

*et Scripturae Sacrae potest et poterat et Catholicae fidei convenire;* addens se revocare quodcumque dicere potuisset quod Scripturae aut fidei orthodoxae quovis modo contrarium esse posset. Demum, morti iam proximus, ad praecavendum ne quae protulerat erronee intelligerentur, in declaratione facta coram Cardinalibus, ait [1]: *Fatemur et credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in caelo caelorum regno ac paradiso, et cum Christo in consortio angelorum congregatae, et vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare.*

**4.** — Ex his patet, Ioannem XXII sententiam de differenda, usque ad ultimum iudicii diem, visione beatifica non solum ut Pontificem, sed ne ut privatum quidem theologum, tenuisse, idque nonnisi per calumniam ipsi attributum fuisse ab eius inimicis schismaticis, maxime Gulielmo Occamo († 1347) et Michaele Cesenate. Quae quidem calumnia, ut saepe evenit, a pluribus credita est, adeo ut Gersonius in Sermone in die Paschatis habito coram rege Galliae, dixerit: *Propter quod insuper apparet falsitas doctrinae Papae Ioannis XXII, quae damnata fuit cum sono buccinarum coram rege Philippo per theologos parisienses de visione beata, et credidit potius theologis parisiensibus quam curiae.* Ansam vero calumniae praebere potuit tum quod Pontifex, ad quaestionem dilucidandam, in sermonibus suis, Patrum effata ultro adduxerit, maxime vero S. Bernardi, cuius verba deprompta ex sermone in festo omnium Sanctorum recitat, quae utique prima facie sententiae de dilatione visionis beatificae favere videntur, tum quod in declaratione praedicta, post verba: *Vident Deum ac divinam Essentiam facie ad faciem,* addiderit: *In quantum status et conditio patitur animae separatae;* quibus tamen verbis

1. Dec. eiusdem anni.

non obscure significabat, quod aliunde cum doctrina S. Thomae cohaeret, post resurrectionem, perfectiorem fieri illam visionem, cum scilicet Beati omnia tunc in Deo visuri sint, quae Deus ipse cognoscit scientia visionis [1].

5. — Ioannis XXII successor, qui fuit Benedictus XII [2], rem decreto suo infallibili definivit, constitutione *Benedictus Deus* [3], sequentibus verbis: *Definimus quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, non erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae, ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale post ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum regno et paradiso caelesti cum Christo sanctorum Angelorum consortio aggregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione*

1. Cfr. Tr. nostr. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 8, n. 11, p. 446 — 2. 1334-1342. — 3. 29 Ian. 1336.

*et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam, et etiam* (animae) *illorum, qui postea decedent, eamdem divinam videbunt essentiam ipsaque perfruentur ante iudicium generale* [1].

ARTICULUS IV. — *Utrum animae in suis receptaculis existentes inde valeant egredi.*

**1. — Quomodo possit intelligi aliquam animam exire de paradiso vel de inferno.** — Ad praedicti quaesiti intelligentiam, primo quidem distiguendum est quid animae separatae conveniat secundum legem naturae, ab eo quod eidem convenire potest secundum ordinem divinae providentiae; nam, ut ait S. Augustinus [2], *alii sunt humanarum limites rerum, alia sunt divinarum signa virtutum; alia sunt quae naturaliter, alia quae mirabiliter fiunt* [3]. Rursus dupliciter potest intelligi aliquam animam exire de paradiso vel de inferno: uno modo, ita quod simpliciter inde exeat, ut iam locus eius non sit amplius paradisus vel infernus; alio modo, ut exeat ad tempus, illuc postea reversura.

**2.** — PROP. — α) **Secundum naturalem cursum, animae separatae propriis receptaculis finaliter deputatae, a conversatione viventium penitus segregantur; β) sed secundum dispositionem divinae providentiae, aliquando a suis receptaculis ad tempus egressae, conspectibus hominum praesentantur.**

**3. — Prob. 1ª** Pars istis verbis S. Augustini [4]: *Si rebus viventium interessent animae mortuorum,... ut de aliis*

1. Cf. Denzinger-B., n. 530. — 2. Libro de Cura pro mortuis agenda, c. 16, t. VI, col. 528, n. 19. — 3. Supplem., Quaest. LXIX, art. 3. — 4. L. cit., c. 13, col. 526, n. 16.

*taceam, meipsum pia mater nulla nocte desereret, quae terra marique secuta est, ut mecum viveret.* At certe pia S. Augustini mater non erat facta vita feliciore crudelior, ut quae mortalem vitam degens, filium suum visitare et in tristitiis consolari consueverat, iam vita functa illum desereret. Ad rem quoque facit quod legimus in quarto Regum libro [1], Dominum scilicet promisisse Iosiae regi, quod prius moreretur, ne mala quae populo superventura erant, ipse propriis cerneret oculis.

Huius autem ratio est quia, secundum naturae cursum, homines in mortali carne viventes non coniunguntur immediate substantiis separatis, cum omnis eorum cognitio a sensu oriatur: porro, non propter aliud a suis receptaculis animas exire conveniret, nisi ut rebus viventium interessent. Quapropter legimus [2]: *Sicut consumitur nubes et pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet:* et rursus introducitur Lazarus dicens diviti [3]: *Inter nos et vos, chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.*

**4.** — **Prob. 2ª Pars,** ex multis apparitionibus defunctorum quae etiam in canonica Scriptura narrantur, ex quibus citari possunt apparitio Samuel, illius animam evocante muliere Pythonem habente [4], necnon apparitio Moysi cum Domino nostro in Monte Thabor [5].

Signanter autem pro animabus Sanctorum faciunt verba S. Hieronymi, sic Vigilantium alloquentis [6]: *Ais enim, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, adesse praesentes.... Tu Deo leges pones? Tu Apostolis*

1. C. XXII, 20. — 2. Iob, VII, 9. — 3. Luc., XVI, 26. — — 4. 1 Reg., XXVIII, 11. — 5. Matth., XVII, 3. — 6. L. contra Vigil., ante med., t. II, col. 392.

*vincula iniicies, ut usque ad diem iudicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est* [1]: SEQUUNTUR AGNUM QUOCUMQUE IERIT? *Si Agnus ubique, ergo et hi qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Quae tamen verba intelligenda sunt, secundum quod Apostolis et martyribus accrescit ex potestate gloriae, non autem secundum quod eis congruit ex debito naturae. Quod autem dicit eos ubique esse, non est intelligendum quasi simul sint in pluribus locis aut ubique, sed quia esse possunt ubi volunt [2].

5. — **Confirmatur.** — Potest eadem veritas confirmari ex comparatione quam idem S. Pater statuit inter sanctos ac daemones, dum ait [3]: *Cum diabolus et daemones toto vagentur in orbe, et celeritate nimia ubique praesentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, et inde exire non poterunt?* Quod quidem intelligendum iterum est, attenta potestate gloriae animarum sanctarum: ubi ulterius distinguendum est inter daemones aut angelos, et animas sanctorum vel damnatorum: angeli enim boni vel mali hoc officium sortiuntur, ut hominibus praesint, vel ad custodiam vel ad exercitium, quod tamen de animabus hominum dici non potest [4].

Idipsum constat ex S. Augustino narrante [5] de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, cum a barbaris oppugnarentur.

Similiter credi potest, damnatis aliquando contingere, quod ad eruditionem hominibus impertiendam, aut terrorem eisdem incutiendum, divinitus iubeantur viventibus apparere, quod etiam animabus in purgatorio detentis evenire potest, ad suffragia a viventibus expetenda, ut patet per multa quae S. Gregorius narrat [6].

1. Apoc., XIV, 4. — 2. S. Thom., l. cit., sed contra, ad 1m. — 3. Ibid. — 4. Ad 2m. — 5. In libro de cura pro mortuis, c. 13. — 6. In l. IV Dialog., cc. 36, 40, 55.

**6. — Animae a suis receptaculis non exeunt simpliciter.** — Advertendum autem est, neque animas sanctorum, neque animas damnatorum, neque animas in purgatorio, cum a suis receptaculis sic exeunt, ut appareant, a suis locis exire simpliciter, cum exeant, iterum ad illa loca reversurae; sed nec diminutionem praemii aut poenae inde accipiunt, cum gaudium vel dolor quem anima percipit ex hoc quod tali loco deputatur, in ipsa maneat, etiam cum extra praedictum locum fuerit. Revera, determinatus aliquis locus cedit animae in praemium vel poenam, non ex hoc quod actu talem locum occupat, sed ex hoc quod tali loco deputatur, vel gaudendo vel dolendo: sicut pontifici, cui datur pro honore ut in cathedra sedeat in Ecclesia, non minuitur gloria eius quando a cathedra recedit: quia etsi actu ibi non sedeat, locus tamen ille sibi deputatus manet [1].

**7. — Differentia inter animas sanctorum et animas damnatorum.** — Porro, hoc interest inter sanctos et damnatos, quod sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem damnati; sicut enim sancti, viventes in carne, per dona gratiae gratis datae virtutem accipiunt sanitates et signa perficiendi, quae nonnisi divina virtute mirabiliter fiunt, quae quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt; ita etiam non est inconveniens ut ex virtute gloriae aliqua potentia animabus sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus cum voluerint, quod animae damnatorum non possunt, nisi interdum iussae a Deo. Attamen hoc, quod mortui viventibus appareant qualitercumque, est inter divina miracula computandum, cum anima etiam glorificata, potentiam non habeat supra materiam corporalem, ut inde sibi efformare possit corpus visibile [2].

1. Ad 3m. — 2. Cf. 1, Quaest. LXXXIX, art. 8, ad 2m.

**8. — Apparitiones mortuorum aliquando imaginationi, aliquando operationi angelorum attribuendae sunt.** — Sciendum autem, quod licet aliquando animae sanctorum vel damnatorum praesentialiter viventibus appareant, non tamen credendum est hoc semper ita accidere. Interdum enim huiusmodi apparitiones fiunt, vel in dormiendo vel in vigilando, operatione vel bonorum spirituum ad instructionem viventium, vel malorum angelorum ad deceptionem eorumdem, quemadmodum etiam vivi homines aliquando aliis apparent et multa eis dicunt in somno, cum tamen constet eos non esse praesentes, sicut S. Augustinus per multa exempla ostendit [1]. Aliquando vero ministerio angelorum corpora formari possunt defunctos homines ad amussim repraesentantia.

Quae cum ita sint, tripliciter potest fingi defunctos apparere viventibus: primo, per meram videntis imaginationem; secundo, ministerio angelorum sive bonorum sive malorum; tertio, per hoc quod animae defunctorum assumunt corpora: et quidem, in primo casu, res fit naturaliter; in secundo, miraculum semper adest, si fiat ministerio bonorum angelorum, non autem si fiat ministerio malorum angelorum, cum assumere corpora de se non superet potestatem angelicam et multa faciant daemones a Deo simpliciter permissi; in tertio vero casu, miraculum semper habetur. — Ex quibus omnibus colligi potest, nullam inordinationem in hoc haberi, si quis requirat a moriente cognoscere eius statum post mortem, submittendo tamen hoc divino iudicio, ut ait S. Thomas [2].

**9. — Quaestio I.** — *Utrum contingat adultum inferno finaliter deputatum, per miraculum interdum inde liberari?*

*Resp.* Etsi hoc absolute loquendo fieri posset, cum

1. L. de cura pro mortuis agenda, cc. 11, 12. — 2. Quodlib. III, art. 22.

Deus, naturae auctor, possit voluntatem damnati, quae de se obiecto suae electionis malae immutabiliter adhaeret, ad novam electionem perducere, si tamen inspiciatur potentia Dei ordinata, dicendum est nullum inferno finaliter deputatum unquam inde exire, etiam per miraculum. Tale quippe miraculum oporteret ut visibile nobis redderetur: atqui ex huiusmodi miraculo magis occasionem negligentiae sumere possemus, dum putaremus, etiam in altera vita dari nobis posse spem salutis. Quocirca dicendum, illos quod Dominus ad vitam denuo excitasse legitur, ut sunt filia Iairi, filius viduae Naim et Lazarus, non fuisse finaliter iudicatos, sed finale iudicium pro eis fuisse suspensum, ad hoc ut Dei gloria in eorum resurrectione posset manifestari: unde de ipsis dici potest quod, secundum superiores causas, quibus praevidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum [1].

Et haec quidem videtur esse ratio cur adulti illi, de quorum resurrectione authentice constat, tales in illo temporis intervallo extitisse perhibentur, ut nullius postea recordarentur, quasi videlicet suspenso manente eorumdem statu: cetera autem facta, quibus homo finaliter damnatus interdum legitur a gehenna eductus, sive ut ad vitam aeternam statim transferatur, sive ut novum poenitentiae spatium in hac vita obtineat, talia sunt, ut vix ullam sibi fidem mereantur.

**10. — Quaestio II.** — *Quid tenendum est de Traiano, quem nonnulli censuerunt ab inferno liberatum?*

*Resp.* Refert S. Ioannes Damascenus [2], animam Traiani Imperatoris a poenis inferni liberatam fuisse precibus quas S. Gregorius Papa, cum per forum illi imperatori Romae dicatum, transiret, pro eadem Deo supplex

1. Supplem., Quaest. LXXI, art. 5, ad 5m. — 2. In Serm. de Defunctis, seu Orat. De iis qui in fide obdormierunt, Migne, P. G., lat. tantum ed., t. XLVII, n. 591.

fundebat. Porro, licet praedictus S. Damascenus dicat Orientem totum atque Occidentem rem istam testari, merito tamen ab artis criticae peritis factum hoc reiicitur [1], et S. Thomas, qui in minoribus operibus illud recenset et hoc pacto explicat, quod Traianus non erat simpliciter damnatus [2]; illudmet in praestantiori suo opere, quod est Summa Theologica, penitus omittit [3].

Praeclara sunt quae hac super re scribit P. Michael Lequien [4]: *Allatius* [5] *insinuat historiolas de Traiano et Falconilla theologicum axioma istud illius* [6] *evertere,* ὅτι ὅπερ ἐστι τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις· μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ μετὰ τὸν θάνατον, *quoniam quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus; post lapsum*

1. Cf. Melchior Canus, l. II *De loc. theol.* c. II; Card. Bellarmin., l. II *De Purg.* c. 8. Dissert. VI; Bernard. M. de Rubeis, c. IV, etc. Scite observat Baronius, ad an. 604, n. 4: *In his quae sunt facti, non dogmatis, potuit quisque sanctissimus atque doctissimus falli.* — 2. De Ver., q. VI art. 6 ad 4m. Cf. 1, Dist. XLIII, q. 2, ad 5m; 4, Dist. XLV, Quaest. 2, a. 2, q. 1, ad 5m. — 3. Rem hanc elegantibus versibus descripsit poeta Aligherius:

*De' cinque che mi fan cerchio per ciglio,*
*Colui che più al becco mi s'accosta,*
*La vedovella consolò del figlio;*
*Ora conosce quanto caro costa*
*Non seguir Cristo, per l'esperïenza*
*Di questa dolce vita e dell'opposta.*

*Parad.* Cant. XX, vers. 43, seq. Vide etiam vers. 100, seq. Alludit ibi poeta ei quod dixerat, *Purgat.* Cant. X, vers. 73, seq.:

*Quivi era storiata l'alta gloria*
*Del roman prince, lo cui gran valore*
*Mosse Gregorio alla sua gran vittoria;*
*Io dico di Traiano Imperadore;*
*Ed una vedovella gli er' al freno*
*Di lagrime atteggiata e di dolore.*

4. Dissertationes Damascenicae. Diss. V, n. LXIV. Edit. 3. — 5. In Diatriba de scriptis Ioannis Damasceni. — 6. L. II de Fide orthod., c. 1.

*enim non est illis poenitentiae locus, uti neque post mortem hominibus. Id quod quidem olim* Noster *perinde statuerat in dialogo contra Manichaeos, ex quo verba haec aliis libet adiicere:* Μετὰ θάνατον οὐκέτι τροπή, οὐκέτι μετάνοια, *post mortem nec conversionis, nec poenitentiae locus est: non quod Deus poenitentiam non recipiat (neque enim negare seipsum potest, neque miserationem suam deponit),* ἀλλ' ἡ ψυχὴ οὐκέτι τρέπεται, *sed anima non mutatur amplius. Sicut enim daemones post lapsum non resipiscunt, neque etiam angeli nunc peccant, sed utrique hoc habent, ut mutari non possint,* οὕτω καὶ οἱ ἄνθρωποι μετὰ θάνατον τὸ ἄτρεπτον ἔχουσι, *sic homines post mortem habent, ut immutabiles sint.*

**11. — Quid de adultis et de parvulis ad vitam revocatis.** — Ex his concludi debet, *adultos* iam iudicatos atque inferno finaliter deputatos, nunquam ab aeterna damnatione eripi; licet fieri possit ut homo in peccato moriens et consequenter aeterna morte dignus, sed nondum iudicatus, ad vitam revocetur, ut inde salvetur et per ipsum manifestetur gloria Dei: quo sensu intelligendum est id quod interdum narratur, de hominibus defunctis in peccato mortali, quos, puta, B. Virgo aut aliquis Sanctus ad vitam revocaverit, ut poenitentiam possent agere [1]. Sed nec in dubium verti potest, interdum *parvulos,* ante adeptum usum rationis sine baptismatis regeneratione mortuos, et consequenter ad limbum puerorum deputatos, postea ad vitam revocatos fuisse ut aquis baptismi ablui possent, quemadmodum precibus piorum parentum aut alicuius Sancti operatione miraculose pluries factum legimus, quod

1. Talia narrantur a S. Alphonso de Ligorio, in op. Le glorie di Maria, c. III, sect. II, c. VIII, sect. II; Part. III, esempi, n. 13. Caute tamen esse historice accipienda huiusmodi exempla, graves monent auctores. De S. Francisco Xaverio etiam narratur aliquos idololatras ab illo ad vitam fuisse revocatos.

sine ullo inconveniente teneri potest, cum hic non obstet periculum pro adultis assignatum, nempe talibus factis ingeri posse fidelibus peccato mortali commaculatis, falsam fiduciam conversionis post mortem, sed solum extollatur divina misericordia, quae naturae cursum quandoque interrumpit, ut per salutem alicuius infantuli, qui alias fuisset in aeternum damnatus, Dei gloria manifestetur [1].

**12. — Solvitur difficultas.** — Contra hanc veritatem, opponi potest supplex illa Ecclesiae deprecatio [2]: *Domine Iesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Ergo videtur damnatorum animas finaliter exire posse a suis receptaculis.

*Resp.* Verba illa, ex mente Ecclesiae, referenda sunt ad tempus praecedens iudicium particulare, ut patet ex eo quod dicitur, *omnium* fidelium defunctorum: cum enim ex fidelibus defunctis multi sint quos certo scimus salvos esse, verba illa sensum non haberent, si ad defunctos fideles applicari deberent. Igitur ly *defunctorum* per πρόληψιν, quod est per praeoccupationem, positum est, eo modo quo apud S. Matthaeum dicitur [3]: *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt;* ut sensus sit: *Libera, Domine ab inferno, liberatione non solutiva, sed praeservativa, animas omnium fidelium mortalium.*

**13. — Refutatur positio Hermanni Schell.** — Ex hac doctrina apparet, quam longe a vero aberret Hermannus Schell, cum iudicium particulare et consequentem ani-

1. Cf. S. Thom., 3, Quaest. LII, art. 6 et 7. De quibusdam sanctuariis, ad quae deferebantur infantes sine baptismo vita functi, ad impetrandam pro ipsis gratiam momentaneae resurrectionis, ut baptismo possent regenerari, vide Benedict. XIV, De Synodo Dioecesana, L. VII, c. VI, nn. 10, seq. — 2. Offert. in missis pro Defunctis. — 3. C. XXVII, 52.

marum destinationem ad propria receptacula ita intelligenda proponit, ut conditionata, non absoluta sint: hoc scilicet sensu, quod possibilis sit animae in inferno constitutae, attenta libertate arbitrii, aliqua mutatio in eius finali statu: unde iudicium quidem, ex parte Dei, qui omnem voluntatis humanae determinationem supercomprehendit, iam certum et fixum est: non ita vero ex parte animae, quae post diuturnam purgationem in inferno, poterit finaliter statum suum in melius permutare [1].

Sane, superius dictum est, morte reddi voluntatem immobilem in sua electione; unde iudicium particulare et consequens deputatio ad respectiva receptacula absoluta est, non conditionata, et ut talis ab anima cognoscitur. Ceterum, si iudicium fieret per respectum ad futuram voluntatis determinationem, cum non esset ratio cur haec quoque mutari non posset post secundum probationis tempus, imo post tertium, et ita usque in infinitum, hinc tale iudicium revera fieret impossibile.

1. Sic quippe scribit in op. KATHOLISCHE DOGMATIK in sechs Büchern (in Ind. librorum prohib. relatum, 15 Dec., 1898): *Gott kennt jede Gesinnung in ihrer ganzen Tragweite und zukünftigen Ausreifung, wenn auch der gerichteten Seele das Endergebnis ihrer langen Leidensbusse nicht gleich klar vor die Seele tritt. Gott kennt die Seele und ihre Ausreifung besser, als die Seele sich selber kennt* (B. III, 2, 748). — *Mag auch eine noch so lange Bestrafung und Läuterung notwendig sein, um* (die Seele) *durch Leiden für den Eintritt in Gottes Gemeinschaft herzurichten, mag das Endergebnis dieser schmerzlichen Läuterung der Seele selbst noch unverständlich sein in der inneren Ausgestaltung des Willens und Zustandes: Gott kennt ihren Wert und ihre Ausgestaltung von Ewigkeit her* (Ibid., 752).

## QUAESTIO III.

## DE CAELO.

### PROLOGUS.

**1. — Ratio huius quaestionis.** — Cum ad infinitam Dei misericordiam pertineat, quod hominem, quem ad sui imaginem et similitudinem formaverat, ad perfectam post hanc vitam felicitatem, omnibus bonis, sine admixtione ullius mali cumulatam, in plena sui possessione destinaverit, hinc post considerationem de finali sorte animae humanae separatae a corpore, sequitur ut agatur de ultima illa et perfectissima beatitudine, quae illam manet in patria, dummodo fidelis Deo fuerit in hac vita. Ubi de beatitudine solius animae hic agitur, cum glorificatio corporea iustorum nonnisi in fine mundi locum sit habitura, de qua proinde agetur, cum de resurrectione bonorum tractabitur [1]. — Quanti sit momenti praesens tractatio, exponit Catechismus Romanus, dum ait [2]: *Parochi in erudiendis fidelibus nunquam intermittent, praemiis aeternae vitae propositis, eorum animos accendere: ut quaecumque vel difficillima christiani nominis causa subeunda esse docuerint, facilia atque ideo iucunda existiment, promptioresque ad parendum Deo, et alacriores reddantur.*

**2. — Vita aeterna, ultimus hominis finis.** — Porro, ultima hominis felicitas, cum pro sua excellentia nequeat uno nomine adaequate significari, ideo pluribus nomini-

1. Infra, quaest. VIII. — 2. Pars I, de XII art., n. 1.

bus in Sacra Scriptura designatur; unde passim dicitur *regnum Dei*[1] aut *Christi*[2] aut *caelorum*[3], *paradisus*[4], *sancta civitas*[5], *nova Hierusalem*[6], *domus Patris*[7]. — At praecipue consuevit ultima haec et perfecta beatitudo *vita aeterna* nominari: quo quidem nomine, ultimo Symboli articulo, expresse nobis credenda proponitur, ut intelligamus eam, simul in vitali, et quidem altissima, hominis operatione consistere, et nullum unquam finem esse habituram. Nihil ergo commune habet perfecta illa beatitudo cum felicitate temporali, quae in rebus caducis consistit et cor hominis plene beatum nequit efficere; talisque est, ut illius recordatio mentem sublevet et cor magna perfundat iucunditate, iuxta illud S. Pauli[8]: *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.*

**3. — Quibus verbis in Sacra Scriptura aeterna beatitudo describitur.** — Ut autem generalem quis de aeterna beatitudine notionem accipiat, iuvabit illum praecipua Sacrae Scripturae loca relegere, ubi de eadem sermo recurrit: ex quibus sequentia excerpsisse sufficiet. Primo, ultima felicitas tanquam omnium bonorum fons inexhaustus et superabundans exhibetur[9]: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Quod ita cum sit, quid mirum, si anima fidelis, in huius vitae angustiis constituta, ineffabilia illa bona secum recogitans, exclamet sitibunda[10]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus?* At in novo praesertim Testamento, ostenditur nobis Paradisus tanquam ineffabilis omnium voluptatum cumulus: sic enim exclamat S. Paulus[11]: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis*

1. Matth., VI, 33; Marc., I, 14. — 2. Io., XVIII, 36; Eph., V, 5; Col., I, 13. — 3. Matth., V, 3. — 4. Luc., XXIII, 43. — 5. Apoc., XXI, 2. — 6. Ibid., III, 12. — 7. Io., XIV, 2. — 8. Tit., II, 12, 13. — 9. Ps. XXXV, 9. — 10. Ps. XLI, 2. — 11. 1 Cor., II, 9.


*ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* Et ne quis suspicetur posse ullam, vel tenuissimam miseriae umbram huic felicitati permisceri, monet S. Ioannes quod beati *non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus*[1]; et iterum[2]: *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

Praeclara omnino sunt, hac in re, verba S. Gregorii Magni[3]: *Si consideremus, fratres carissimi, quae et quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris. Terrena namque substantia, supernae felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita, aeternae vitae comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quaedam prolixitas mortis? Quae autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia: Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuae munere laetari?*

4. — **Quaestionis distributio.** — Ut autem quaestio haec de caelo plene tractetur, considerandum est gaudium tum essentiale (1-6), tum accidentale (7-8) quod beati ibidem percipiunt. Porro, essentiale caeli gaudium consistit in faciali, seu immediata visione divinae essentiae; et haec quidem considerari debet, tum in actu primo (1-5), tum in actu secundo, scilicet per respectum ad illas dispositiones quibus videns fit immediate aptus ad hanc visionem eliciendam, quae dispositiones recensentur: visio,

1. Apoc., VII, 16. — 2. Ibid., XXI, 2. — 3. Homil. XXXVII, in Evang.

comprehensio et fruitio (6). Visio autem divinae essentiae in actu primo consideranda est tum in ipsamet visione (1-3), tum relate ad obiecta huius visionis (4-5). Porro ipsa visio divinae essentiae consideranda est, primo, in se (1-2), et quidem, tum absolute (1), tum relative (2), et secundo in mansionibus quibus huiusmodi visio dat originem (3); obiectum vero visionis beatificae potest considerari tum generaliter (4), tum specialiter, scilicet relate ad poenas damnatorum (5). Et haec quidem omnia respiciunt gaudium essentiale beatorum: praeter quae considerandum veniet gaudium accidentale, consistens in aureolis (7) et fructu multiplici (8).




Hinc sex in hac quaestione investigantur.

*Primo.* Utrum Sanctorum beatitudo consistat in visione divinae essentiae.

*Secundo.* Utrum videntium divinam essentiam unus alio perfectius videat.

*Tertio.* Utrum diversae mansiones in caelo distinguantur penes diversos gradus caritatis.

*Quarto.* Utrum Sancti videntes Deum omnia videant quae Deus videt.

*Quinto.* Utrum beati poenas damnatorum videant.

*Sexto.* Utrum animabus beatorum convenienter assignentur tres dotes: scilicet visio, comprehensio et fruitio.

*Septimo.* Utrum quibusdam beatis aureola debeatur.

*Octavo.* Utrum fructus debeatur in caelo virtuti continentiae.

ARTICULUS I. — *Utrum Sanctorum beatitudo consistat in visione divinae Essentiae.*

**1. — Ultima hominis beatitudo consistit in coniunctione ad Deum.** — Cum hominis beatitudo in perfecta eius operatione consistat, altissima vero hominis operatio sit operatio intellectus, cuius perfectio est coniunctio ad suum principium qui Deus est, hinc ultimam hominis beatitudinem necesse est consistere in coniunctione illius intellectus ad Deum, quod est per divinae Essentiae cognitionem. At cum magna sit inter intellectum nostrum et divinam Essentiam distantia, hinc non plane apparet quousque possit ista coniunctio perduci, utrum nempe sit coniunctio per aliquem extrinsecum effectum, an per ipsam substantiam animae, an potius per divinam Essentiam, quae fiat simul terminus et medium huiusmodi altissimae cognitionis.

**2. — Quadruplex de Deo distinguenda cognitio.** — Ad huius rei intelligentiam, sedulo distinguenda est quadruplex de Deo cognitio: prima est quae fit per similitudinem Dei in creaturis resultantem, de qua ait S. Paulus [1]:

1. Rom., I, 20.

*Invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur:* et hanc Dei cognitionem habemus naturaliter in hac vita. Altera est, qua anima separata, per suam essentiam, in qua est naturaliter impressa imago Dei, Deum ipsum cognoscit: quae cognitio est similis cognitioni quam angelus naturaliter habet de Deo. Tertia est per fidem, seu per infusionem gratuiti luminis, ad cognoscendum Deum, non prout relucet ex effectibus suis, sed prout est in seipso unus et trinus, sed tamen secundum proportionem similitudinum rerum creatarum. Quarta est per lumen gloriae, non secundum aliquam creatae rei similitudinem, sed secundum ipsam immediatam praesentiam divinae essentiae in intellectu cognoscentis [1].

3. — **Errores**. — Circa divinae essentiae visionem post hanc vitam beatis concedendam, inveniuntur haeretici in oppositos errores abiisse. Nimirum Anomaei, saeculo IV, ducibus Eunomio et Aetio, impie docuerunt hominem, etiam in hac mortali vita, solis naturae viribus, pertingere posse ad Dei visionem non solum intuitivam, sed etiam comprehensivam: quem errorem, licet plures ex sanctis Patribus, quos inter eminent S. Ioannes Chrysostomus, S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus, fortiter impugnaverint, tamen instaurare conati sunt, saeculo XIV, Beguardi et Beguinae, a concilio Viennensi,

1. Cf. 1, Quaest. LVI, art. 3. Advertendum hic est, primam et secundam visionem Dei non distingui formaliter, sed tantum secundum conditionem videntis, nam, ut ex doctrina Angelici infertur, ipsa natura animae separatae est quoddam speculum divinam similitudinem repraesentans. Ulterius advertendum, distinctionem quae circa cognitionem de Deo solet fieri, scilicet in abstractivam, intuitivam et comprehensivam, ita accipiendam esse, ut prima, seu abstractiva, propria sit homini in hac vita; per intuitivam autem intelligatur visio immediata divinae essentiae quae beatorum est propria; comprehensiva tandem solius Dei sit, qui se solus comprehendere potest. In hac autem divisione, ut patet, non comprehenditur cognitio quam anima separata habet naturaliter de Deo, nec cognitio per fidem; unde manca dicenda est.

anno Domini 1312, sub Clemente V, damnati [1]. — Ex adverso autem Graeci Palamitae contenderunt Deum a beatis minime videri ut in se est, seu in sua essentia, nec supernaturaliter, sed tantummodo abstractive. Quem errorem postea susceperunt Almarici et Arnaldistae, dicentes Deum non in se, sed in creaturis videri, sicut lumen in aëre, scilicet per quamdam claritatem ex illius essentia promanantem, qualem in monte Thabor viderunt Apostoli, et in huius adspectu Sanctorum in caelo beatitudinem consistere. Qui error damnatus est a Concilio Lateranensi IV [2]. — Huic errori affinis est, etsi subtilioribus verbis involuta, positio Rosminii, dicentis Deum esse obiectum visionis beatificae, *in quantum est auctor operum ad extra* [3]. Contra hos omnes, sit

**4.** — PROP. — **Sanctorum beatitudo consistit in visione divinae essentiae, per lumen gloriae complenda.**

**5. — Ecclesiae definitiones. —** Catholicam hanc doctrinam definivit Benedictus XII [4], cum declaravit quod animae baptizatorum omni iam labe purgatae, *etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale, post ascensionem Salvatoris nostri Iesu Christi in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum regno et paradiso caelesti, cum Christo, sanctorum Angelorum consortio aggregatae; ac post Domini Nostri Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente; quodque sic videntes eadem divina es-*

1. Cf. Denzinger-Bannwart, n. 475. — 2. Extrav. de Summa Trin. et fide cath., cap. *Damnamus*, et a Conc. Flor., cap. de Purgat. — 3. Prop. XXXVIII inter XL condemn. 14 Dec. 1887. Cf. etiam Prop. XXXIX et XL. — 4. Constitutio *Benedictus Deus*, 29 Ian., 1336.

*sentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione, eorum animae qui iam decesserunt sunt vere beatae, et habent vitam et requiem aeternam, et etiam illorum* (animae) *qui postea decedent, eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante iudicium generale; ac quod visio huiusmodi divinae essentiae eiusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes, quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva et facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata exstitit, et continuabitur usque ad finale iudicium et ex tunc usque in sempiternum* [1]. — Concilium quoque Florentinum [2], tanquam dogma fidei declarat: *Illorum animas qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus... sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.*

**6. — Verba Domini Nostri.** — Ut rite intelligatur quomodo haec veritas in Sacra Scriptura contineatur, primo loco attendendum est ad haec Domini nostri verba [3]: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* En praemium caritati promissum: at duplex est in Christo natura, humana scilicet et divina: unde plena Christi manifestatio esse non potest, nisi sub utroque respectu se Christus manifestet. Ulterius, observandus est sequens locus [4]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum*

1. Denzinger-Ban., n. 530. — 2. In *Decreto Unionis.* Denz.-B., n. 693. — 3. Io., XIV, 21. — 4. Ibid., XVII, 3.

*verum, et quem misisti Iesum Christum:* ubi, cum Salvator testatus esset, se venisse ad vitam aeternam hominibus dandam, simul ostendit viam qua ad hanc vitam perveniatur, et declarat ipsam huius vitae rationem in Dei cognitione consistere.

Huc denique facit quod de electis profert Dominus, quod scilicet *erunt sicut angeli Dei in caelo* [1], aut *aequales angelis* [2]: atqui angelos visione beatifica frui, idem Dominus noster expresse affirmat [3]: *Angeli eorum in caelo semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* — At videndum modo, in quanam Dei cognitione, aeterna vita formaliter consistat; pro quo recurrendum primo est ad auctoritatem S. Pauli et S. Ioannis.

7. — **Auctoritates S. Pauli et S. Ioannis.** — Dicit ergo S. Paulus [4]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quibus verbis Apostolus imperfectae de Deo rebusque divinis cognitioni, qualem habemus in hac vita, opponit perfectam in futura vita. Enimvero, in praesenti vita tria sunt quibus impedimur ne Deum perfecte videamus: primo, obscuritas, resultans ex creaturarum, per quas Deum videmus, materiali natura, unde dicit Apostolus nos videre *per speculum*, δι᾽ ἐσόπτρου, quasi per inspectorium, qualis est, puta, perspicillus coloratus; secundo, difficultas, significata per aenigma; est quippe aenigma quaestio vel propositio qua, sub verborum involucris, res inventu difficilis proponitur; tertio, limitatio, cum plura longe sint quae de Deo ignoramus, quam quae cognoscimus. Huic ergo imperfectae cognitioni succedet in patria cognitio, primo, clarissima, facilis et iucunda, quod significatur per verba *facie ad faciem;* secundo amplissima,

1. Matth., XXII, 30. — 2. Luc., XX, 36. — 3. Matth., XVIII, 10. — 4. 1 Cor., XIII, 12.

qua beati Deum cognoscent eo proportionaliter modo quo ipsimet ab eo cognoscuntur.

Hanc eamdem veritatem expresse docet S. Ioannes, scribens [1]: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ubi antithesim instituit dilectus Discipulus inter nostram conditionem in praesenti et in futuro saeculo; nimirum, filii Dei nunc sumus per gratiam, etsi inter angustias mundi versemur, et nondum manifestatum est, ἐφανερώθη, quid futuri sumus in vita beata, in qua Deo in hoc similes erimus, quod eum sicuti est, eo scilicet modo quo ille seipsum videt, idest intuitive, et nos ipsi videbimus: etenim nunc *per fidem ambulamus, et non per speciem* [2].

**8. — Ecclesiae traditio.** — Porro, hanc eamdem de Dei visione beatifica doctrinam sancti Patres uno ore proclamant, quorum testimonia, velut compendio redacta, inveniuntur in praeclaro hoc loco S. Irenaei, testis certe antiquissimi et inter apostolicos Patres merito recensiti: *Quae impossibilia sunt apud homines,* ait ille [3], *possibilia apud Deum. Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus: visus quidem tunc* (a prophetis) *per spiritum prophetiae, visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno caelorum paternâliter, Spiritu quidem praeparante hominem in Filio Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in aeternam vitam, quae unicuique evenit ex eo quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem eius percipiunt, sic et qui*

1. 1 Ep., III, 2. — 2. 2 Cor., V, 7. — 3. 1. L. IV Contra Haeres., c. 20, n. 5, t. II, pag. 254.

*vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eius claritatem. Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam qui vident Deum. Et propter hoc incapabilis et incomprehensibilis et invisibilis, visibilem se et comprehensibilem et capacem hominibus praestat, ut vivificet percipientes et videntes se. Quemadmodum enim magnitudo eius investigabilis est, sic et benignitas eius inenarrabilis, per quam visus vitam praestat iis, qui vident eum.* En claris verbis sanctus iste Pater asserit, beatos Deum visuros, non aenigmatice, quemadmodum illum videre prophetae, sed intuitive; addens beatificam hanc visionem meritis Filii Dei atque gratiae Spiritus Sancti esse adscribendam.

Recitatae veritati ex graecis Patribus omnino suffragatur S. Ioannes Chrysostomus, cum ait [1]: *Hic quidem nemo* (Deum) *vidit, illic autem qui adsunt perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum praesentem, verum etiam suae gloriae splendore condecorantem universum caelum.*

Denique latinorum simul et graecorum Patrum sententiam promit S. Augustinus, aiens [2]: *Sicut* (angeli faciem Patris vident), *ita et nos visuri sumus... Praemium itaque fidei nobis visio ista servatur... Facies autem Dei manifestatio eius intelligenda est.*

**9. — Ratio theologica.** — Ut rite intelligatur quomodo intellectus creatus ipsam Dei essentiam per se videat, considerandum est quod sicut ex forma naturali et materia efficitur unum ens simpliciter, ita ex forma intelligibili et ipso intellectu fit unum in intelligendo: intellectus enim in potentia est quasi materia per respectum ad speciem vel formam intelligibilem, et intellectus in actu est intelligibile in actu.

1. Orat. de S. Philogonio, t. XXIII, p. 293. — 2. L. XXII de Civ. Dei, cap. 29, n. 1, t. VII, col. 696.

Non debet autem hoc intelligi[1], ait S. Thomas, quasi divina essentia sit vera forma intellectus nostri, vel quod ex ea et intellectu nostro efficiatur unum simpliciter, sicut fit ex forma et materia; sed quia proportio essentiae divinae ad intellectum nostrum est sicut proportio formae ad materiam. *Quandocumque enim aliqua duo quorum unum est altero perfectius, recipiuntur in eodem receptibili, proportio unius duorum ad alterum, scilicet magis perfecti ad minus perfectum, est sicut proportio formae ad materiam, sicut lux et color recipiuntur in diaphano, quorum lux se habet ad colorem, sicut forma ad materiam: et ita cum in anima recipiatur lux intellectiva et ipsa divina essentia inhabitans, licet non per eumdem modum, essentia divina se habebit ad intellectum sicut forma ad materiam.*

**10. — Deus in caelo a beatis nulla creata similitudine videtur.** — Sciendum autem divinae essentiae visionem nulla creata similitudine mediante compleri: quae veritas in Catechismo Romano ita eleganter exprimitur[2]: *Quoniam vero fieri non potest, ut alicuius rei creatae similitudo aeque pura et spiritualis ac Deus ipse est reperiatur,. ita fit ut ex nulla similitudine divinam essentiam perfecte intelligere possimus. Accedit etiam quod omnes creatae res certis perfectionis terminis circumscribuntur; at Deus infinitus est, neque ullius rei creatae similitudo eius immensitatem capere potest. Quocirca una illa ratio divinae substantiae cognoscendae relinquitur, ut ea se nobis coniungat, et incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollat, atque ita idonei ad eius naturae speciem contemplandam reddamur*[3].

1. Supplem., Quaest. XCII, art. 1. — 2. De XII Symb. art., n. 9 — 3. Cf. tr. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 2, n. 5, p. 391.

**11. — Necessitas luminis gloriae.** — Sciendum porro, animae nostrae vires, utpote naturaliter impares ad rem tam altam, qualis est visio beatifica, eliciendam, indigere auxilio supernaturali, tamquam qualitate permanenter intellectui beatorum superaddita, qua capax reddatur tam altae coniunctionis cum divina essentia. Enimvero, si ad res fidei percipiendas indigemus speciali Dei auxilio, quo mens nostra rebus ad credendum propositis assentiatur; pariter, si ad Deum amandum super omnia in hac vita, supernaturalis virtutis, quae caritas est, dono indigemus, multo magis ad tam sublimem operationem, qualis est coniunctio intellectus creati cum Deo in uno esse intelligibili, speciali animae auxilio opus est, quod lumen gloriae vocatur.

Enimvero, nulla res, ut argumentatur S. Thomas [1], potest ad altiorem operationem elevari, nisi roboretur eius virtus. Atqui virtus intellectus creati naturaliter impar est ad videndam divinam essentiam. Ergo necesse est virtutem ei superaddi, ad hoc ut ad talem visionem perveniat. Non satis autem esset, si naturalis virtus intensior fieret, cum visio beata non sit eiusdem rationis cum visione naturali intellectus. Ergo necesse est ut fiat augmentum virtutis intellectivae per infusionem novae dispositionis, quae quidem altioris sit ordinis, et per quam anima fiat quodammodo deiformis: quae dispositio congrue lumen gloriae dicitur. *Qui* (Deo) *fruuntur,* ait Catechismus Romanus [2], *quamvis propriam substantiam retineant, admirabilem tamen quamdam et prope divinam formam induunt, ut dii potius, quam homines videantur... Id vero lumine gloriae assequemur, cum eo splendore illustrati, Deum lumen verum in eius lumine videbimus: nam beati Deum praesentem semper intuentur* [3].

Huius autem mirabilis coniunctionis essentiae divinae

1. Contra Gent., l. III, c. 53. — 2. P. I, art. XII, nn. 7, 9. — 3. De lumine gloriae, vide tr. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 4, p. 415.

cum intellectu humano exemplum cernere est in ferro quod, admoto igne, ignem ita concipit, ut et ipsum ignis esse videatur, propriam licet naturam non amittat. Simili modo beati, Dei amore inflammati, ita in illum transformantur, ut deiformes esse videantur [1].

**12. — In hac Dei visione consistit perfecta Sanctorum beatitudo.** — Porro, cum beatitudo status sit omnium bonorum aggregatione perfectus, ideoque consistat in apprehensione et possessione summi boni, hinc Sancti, ex quo Deum, qui omnis boni fons est et origo, visione immediata et faciali, possident, omni fruuntur dulcedine et perfecta, in hoc infinito obiecto, voluptate sine fine gaudent. Quocirca, in Sacra Scriptura aeternae vitae felicitas describitur consistens in liberatione ab omnibus malis et in adeptione omnium bonorum. Sic de electis legitur [2]: *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus* , pariter [3]: *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Expressius autem adhuc [4]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Gloria Dei ipse Deus est, qui est sua maiestas, sua pulcritudo, suus splendor: et in huius gloriae manifesta visione omne nostrum explebitur desiderium. *In* (Dei) *visione*, ait S. Augustinus [5], *merces tota promittitur dilectionis et desiderii nostri... Visio est facie ad faciem, quae summum praemium promittitur iustis.*

Praeclari sunt hac in re Aligherii versus [6]:

*Ciò ch'io vedeva, mi sembrava un riso*
*Dell'universo; perchè mia ebbrezza*
*Entrava per l'udire e per lo viso.*

1. Cf. Cat. Rom., P. I, art. XII, n. 10. — 2. Apoc., VII, 16. — 3. Ibid., 17; XXI, 4. — 4. Ps. XVI, 15. — 5. L. I de Trin., cc. 9, 13. — 6. Parad. XXVII, 4, seq.

*O gioia! o ineffabile allegrezza!*
*O vita intera d'amore e di pace!*
*O senza brama sicura ricchezza!*

Ubi notandum, formalem beatitudinem consistere in actu intellectus per visionem Deum attingentis; ad quem quidem actum sequitur delectatio voluntatis [1]: quod dicitur tum contra Scotistas, ponentes beatitudinem formalem in solo actu voluntatis, scilicet, amore amicitiae, vel fruitione, consistere, tum contra alios, illam reponentes in quodam habitu essentiam animae deificante, et potentiam perficiente ad operationem.

**13. — Solvuntur difficultates.** — I. Plus distat Deus ab intellectu nostro, quam intelligibile creatum a sensu. Atqui sensus nullo modo potest pertingere ad creaturam spiritualem videndam. Ergo nec intellectus noster poterit pertingere ad videndam divinam essentiam [2].

Resp. *Dist. mai.:* attenta convenientia in natura, *conc.;* attenta habitudine proportionalitatis inter utrumque *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Duplex, ait Angelicus [3], est similitudo et distantia: una, secundum convenientiam in natura, alia secundum habitudinem proportionalitatis. Et quidem, attenta priori similitudine, magis distat Deus ab intellectu creato, quam intelligibile creatum a sensu; attenta vero altera similitudine, magis distat intelligibile creatum a sensu, quam Deus ab intellectu creato, quia sensus non est proportionatus ad cognoscendum aliquid immateriale, sicut intellectus est proportionatus ad cognoscendum quodcumque immateriale; unde Deus non est extra rationem obiecti intellectus creati. Quocirca divina essentia est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem eius, quemad-

1. 1 2ae, Quaest. III, art. 4. — 2. Supplem., Quaest. XCII, art. 1, ad 7m. — 3. Loco cit.

modum visio directa solis excedit facultatem sensus nostri visus; non vero quasi aliquid omnino extraneum ab intellectu nostro, sicut sonus est extra visum [1].

II. Inter finitum et infinitum non potest esse proportio. Atqui intellectus noster se habet ad Deum, sicut finitum ad infinitum. Ergo intellectus noster non poterit pertingere ad videndam divinam essentiam.

Resp. *Dist. mai.:* non potest esse simplex proportio, *conc.;* non potest esse proportionalitas, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique, finiti ad infinitum non potest esse simplex proportio, seu proportio cum determinata distantia, quia excessus infiniti supra finitum non est determinatus: potest tamen esse inter ea proportionalitas, quae est sine determinata distantia, et est similitudo proportionum. Quando igitur cognoscibilitas rei excedit virtutem cognoscentis, non oportet esse proportionem inter cognoscens et cognitum, sed proportionalitatem tantum: ut, sicut se habet cognoscens ad cognoscendum, ita se habeat cognoscibile ad hoc quod cognoscatur: et talis proportionalitas, ait Angelicus [2], sufficit ad hoc quod infinitum cognoscatur a finito intellectu, vel e converso [3].

**14.** — **Scholion.** — Cum hoc tamen stat, nullum intellectum creatum posse comprehendere divinam essentiam, seu illam cognoscere quantum cognoscibilis est. Hoc quippe proprium Deo est, qui pertingit usque ad finem cognitionis sui ipsius, cum ipse sit ipsa sua cognitio: divinam autem virtutem, cum sit infinita, nullus intellectus creatus potest comprehendere, et sic nullus intellectus creatus potest cognoscere omnia in quae virtus divina potest [4]. — Pariter cavendum, ne dicatur beatos, post resur-

1. Cf. L. III C. Gent., c. 54. — 2. Supplem., Quaest. XCII, art. 1, ad 6m. — 3. Alias difficultates require in tr. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 1, p. 387. — 4. L. III C. Gent. c. 56.

rectionem, visuros esse Deum per oculos carnis suae, cum Deus omnino incorporeus sit, et actio oculi nullimode possit se extendere ultra corporalia [1].

**15. — Reiicitur sententia dicentium probabilem esse, post finale iudicium, unionem hypostaticam Verbi cum creatura rationali glorificata.** — Porro, quidquid de Sanctorum gloria in caelo recitetur, cavendum est ab illa aliquorum recentiorum sententia, opinantium non improbabile dici, creaturam rationalem glorificatam, finali transacto iudicio, unitum iri hypostatice cum Verbo: talis quippe sententia non tantum gratuita est, nulla scilicet Scripturae aut Patrum auctoritate fulcita, sed etiam multipliciter inconvenit. — Primo enim oporteret, in ista hypothesi, perimi creaturae rationalis propriam personalitatem, quod quidem divinae bonitati minime convenit [2]. Secundo, Christo Domino suum demeretur privilegium, quo *praedestinatus est Filius Dei in virtute* [3], id est filiatione naturali, ad cuius praedestinationis similitudinem, nos praedestinamur filii Dei analogice, id est adoptiva filiatione: quod si omnes creaturae rationales glorificatae, post finale iudicium, hypostatice unirentur Verbo, Christo coaequarentur, nec amplius esset ille centrum adorationum totius militiae caelestis.

Sed maxime advertendum est, Incarnationem Verbi ordinatam fuisse primo et per se ad redemptionem generis humani, non autem ad perfectionem universi aut ad ipsius creaturae glorificationem: unde formaliter redemptiva dicitur, ordinata scilicet ad procurandam restaurationem creaturae lapsae eiusque unionem cum Deo per gratiam et gloriam. Quocirca, nonnisi hoc seposito scripturistico conceptu et admissa Scoti sententia, de Incarnatione formaliter mundi ornativa, confingi

1. 1, Quaest. XII, art. 3. — 2. Cf. Tract. *de Incarnatione Verbi*, Quaest. IV, art. 1, n. 6. — 3. Rom., I, 4.

potest praedicta opinio de assumptione finali omnis creaturae glorificatae ad unionem hypostaticam cum Verbo: quae quidem opinio non solum, ut diximus, omni prorsus destituta est fundamento in Ecclesiae magisterio, sed multis etiam aperta est inconvenientibus: unde deserenda prorsus est.

**16. — Solvitur difficultas.** — Obiicienti orationem secretam, quae legitur in Missali Romano ad primam missam Nativitatis Domini nostri Iesu Christi: *Accepta tibi sit Domine, quaesumus, hodiernae festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per haec sacrosancta commercia, in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia,* — respondetur, horum verborum sensum esse, Deum a nobis exorari ut per gratiam suam, per gratiam, inquam sanctificantem quae est habitus, minime vero per gratiam unionis quae est ipsum esse Verbi, participes simus divinitatis, cui humanitas Christi hypostatice coniuncta est: at eo modo quo purae creaturae id convenit, scilicet participatione gratiae in praesenti et gloriae in futuro.

## Articulus II. — *Utrum videntium divinam essentiam unus alio perfectius videat.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum divina essentia, quae est obiectum visionis beatorum in patria, una sit et simplicissima, ex hoc quod omnes beati illam facialiter intuentur in caelis, inferendum videretur eos aequaliter illius visione frui, et sic eodem modo et gradu in felicitate collocari. His igitur permotus Iovinianus, saeculo IV, Stoicorum placitis inhaerens, statuit, omnium merita, sicut etiam peccata, aequalia esse, itemque merita in caelo, et poenas in inferno, eadem mensura omnibus decerni. Hunc haereticum impugnaverunt sancti Hieronymus et Augustinus, eumque

damnavit Siricius Papa in Concilio Romano, anno 390[1]. Errorem istum, aliis ex principiis, renovavit Lutherus, qui cum contendisset homines iustificari, non per propriam iustitiam, sed per imputationem iustitiae Christi, quae quidem, ut censuit ille, aequaliter fit omnibus, consequenter posuit omnes homines esse aequaliter beatos. — Contra quos sit

**2. — PROP. — Quamvis omnes iusti visionis beatificae atque aeternae felicitatis futuri sint participes, perfectius tamen alii aliis hac fruentur visione, ideoque diversus erit pro diversis beatitudinis gradus.**

**3. — Ecclesiae definitiones.** — Quod diversus sit pro diversis Sanctis gradus beatificae visionis, utique respondens meritorum diversitati, expresse tradit Concilium Florentinum, dum statuit Sanctorum animas *in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius*[2]. — Huc redit quod Concilium tridentinum damnat eum, qui dixerit, hominem iustificatum, per bona opera, non mereri augmentum gloriae[3].

**4. — Prob. ex Sacra Scriptura.** — Enunciata veritas, de differentia praemii in caelo, ex S. Scriptura apertissime probatur. Imprimis Dominus Noster non obscure insinuat mercedem bonis operibus respondere, cum ait[4]: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet; et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Expressius autem[5]: *Filius*

1. Mansi, t. III., col. 687, 688. — 2. Decret. pro Graecis. D.-B. n. 693. — 3. Sess. VI, can. 22. — 4. Matth., X, 41. — 5. Ibid., XVI, 27.

*hominis venturus est in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique, secundum opera eius.* Profecto iustus iudex non esset, nisi mercedem pensitaret secundum merita operantis, ita quod diversitas gloriae et beatitudinis responderet gradui caritatis.

Huc quoque pertinet quod ait Apostolus [1]: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem;* et rursus [2]: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Quibus verbis indubitanter significatur, praemium in ultima retributione decernendum respondere debere diversitati meritorum. Idem quoque Apostolus, loquens de differentia gloriae in die resurrectionis, ait [3]: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum: sic et resurrectio mortuorum.*

Igitur, sicut una stella alteri praefulget, ita unus beatus alteri, quemadmodum gratia et meritis, sic etiam praemio et gloria, praeeminet; unde canere possumus:

*Micat inter omnes*
(Virginis) *sidus, velut inter ignes*
*Luna minores* [4].

Apte vero Sancti in caelo stellis comparantur, ob claritatem luminis et visionis qua in caelis refulgent. Denique idem Apostolus ait [5]: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex:* ubi cum vita aeterna nobis proponatur tanquam merces et corona, consequens est illam, pro meritorum varietate diversos gradus accipere.

**5. — Prob. ex traditione. —** Eadem veritas de diversitate praemii consistentis in diverso gradu visionis

1. 1 Cor., III, 8. — 2. 2 Cor., IX, 6. — 3. 1 Cor., XV, 41. — 4. Horatius, Od. ad August. — 5. 2 Tim., IV, 8.

beatificae secundum meritorum diversitatem, a sanctis Patribus saepius recitatur, qui eam fidelibus ad virtutis exercitium proponere solent. Sic, S. Polycarpus, coram iudice constitutus, fidem suam in ipso martyrio ita profitebatur: *Merita mea doloris aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto praemia maiora percipiam*[1]. Pariter Tertullianus[2]: *Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Similiter S. Augustinus[3]: *Etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo Patris mansiones multae sunt; nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito... Multae mansiones, diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates.*

**6. — Prob. rat. theol.** — Intellectus creatus non est aptus natus videre divinam essentiam secundum facultatem suam naturalem, sed secundum lumen gloriae, quod illum in quadam deiformitate constituit et unicuique a Deo superadditur. Atqui omnis forma recipitur in subiecto secundum dispositionem subiecti; intellectus vero disponitur ad lumen gloriae per caritatem viae, cuius augmentum est secundum proportionem meritorum. Ergo, concludit Angelicus[4], *plus participabit de lumine gloriae qui plus habet de caritate: quia ubi est maior caritas, ibi est maius desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de caritate, perfectius Deum videbit, et beatior erit*[5].

1. Ep. Eccles. Smyrn., de mart. S. Polycarpi, n. 11. Ruinart, p. 30. — 2. Scorpiace, c. 6, p. 412. Collect. SS. Eccles. PP., t. V. Mediol., 1831. — 3. Tract. LXVII, in Io., n. 2. t. III, col. 678. — 4. 1, Quaest. XII, art. 6. — 5. Luminis gloriae officium uberius explicat Lessius, l. II de Summo Bono, c. 8, n. 44. Cf. etiam Cat. Rom., P. I, art. 12, nn. 8, 9.

7. — **Solvuntur difficultates.** — I. Contra inaequalitatem visionis beatificae atque proinde contra diversos beatitudinis gradus, obiiciunt protestantes parabolam de operariis qui, postquam diversis horis in vinea patrisfamilias laboraverant, eamdem tamen singuli receperunt mercedem, scilicet denarium.

*Resp.* At imprimis attendendum est, in parabolis non omnia ad rem, pro qua parabola inducitur, extendi debere, quod signanter relate ad praesentem parabolam animadvertit S. Ioannes Chrysostomus. *Parabola narratur,* ait [1]; *nec oportet in parabolis omnia ad litteram explorare; sed cum scopum parabolae didicimus, hunc decerpere, nec cetera curiosius examinare.* Porro, qualis est huius parabolae scopus, nisi ut doceat nos Christus eos, qui vel tarde ad divinum servitium accesserint, si tamen fideliter ad finem usque perseveraverint, non minus ex Dei bonitate fruituros praemio essentiali, quod consistit in visione divinae essentiae, quam eos qui inde a prima hora Deo servierint, quidquid tandem de gradu participationis huius praemii decernatur. Praecipue autem illo ordinabatur parabola ista, ut intelligerent Iudaei vane se, ex quo lucem revelationis et divinas promissiones prae gentilibus accepissent, in seipsis confisuros primas aut potiores in regno caelesti partes se accepturos, cum multi quidem essent vocati, electi vero pauci, et possent etiam novissimi utique fieri primi, primi vero novissimi, si hi prae illis gratiae respondissent. Satis ergo est si, per denarium diurnum, intelligatur substantia vitae aeternae in Dei visione consistentis, quidquid sit de gradu quo praemium illud a diversis participatur. *Denarius ille,* ait S. Augustinus [2], *vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam*

1. Homil. LXIV in S. Matth., c. XIX. t. VII. p. 92. — 2. Serm. LXXXVII de Verbis Ev. S. Matth., c. IV, n. 6. t. V. col. 464.

*aeternam pertinet, aequalis erit omnibus: non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter aeternum est.*

II. Ubi est idem visionis medium, ibi est et eadem visio. Atqui pro omnibus videntibus divinam essentiam, idem est visionis medium, scilicet ipsa divina essentia. Ergo omnes videntes divinam essentiam, aequaliter illam vident.

Resp. *Dist. mai.:* ubi est idem medium visionis se tenens tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti, ibi est eadem visio, *conc.*; ubi est idem medium visionis ex parte obiecti, at non ex parte subiecti, *nego. Contrad. min.:* pro omnibus videntibus divinam essentiam, idem est medium visionis: ex parte obiecti, *conc.*, ex parte subiecti, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Visio, qua videbimus Deum per essentiam, erit quidem eadem pro omnibus illam videntibus, ex parte eius quod videtur, necnon ex parte eius quo videtur: imo erit eadem cum visione qua Deus videt seipsum: est quippe Deus ipse et obiectum quod videtur, et obiectum quo videtur. At efficacia visionis, penes quam attenditur diversitas in visione, sequitur virtutem cognoscentis: sic qui habet visum fortiorem, acutius videt. Porro lumen gloriae est id penes quod mensuratur virtus cognoscentis: quod quidem medium est, se tenens non ex parte obiecti visi, sed ex parte videntis: est enim perfectio quaedam intellectus, confortans ipsum ad videndum Deum: quae perfectio in diversis diversimode participatur [1].

1. 1, Quaest. XII, art 6, ad 3m; Supplem., Quaest. XCII, art. 1, ad 2m.

ARTICULUS III. — *Utrum diversae mansiones in caelo distinguantur penes diversos gradus caritatis.*

**1. — Quid sint mansiones in caelo.** — Mansio, ex verbo *manere,* primo significat quietem vel cessationem a motu, unde aliquis in mansione collocari dicitur, cum iam ad finem motus sui pervenerit, quietem adeptus. Quod quidem, si ad res spirituales transferatur, per metaphoram mansio dicetur cum appetitus rationalis iam quieverit in adepto obiecto sui ultimi finis; ut sic diversi modi consequendi finem ultimum diversae mansiones dicantur: unde unitas domus respondet unitati beatitudinis quae est ex parte obiecti; pluralitas vero mansionum respondet differentiae quae in beatitudine invenitur ex parte beatorum. Cum autem illi qui olim erant in limbo Patrum, et hi qui nunc sunt in purgatorio, nondum pervenerint ad suum finem, hinc nec in limbo, nec in purgatorio distinguuntur mansiones, sed solum in paradiso et in inferno, ubi est finis bonorum et malorum [1].

**2. — PROP. — In regno caelesti diversae mansiones distinguuntur secundum diversos gradus caritatis.**

**3. — Prob. ex Sacra Scriptura.** — Mansiones diversas esse in regno caelorum, expresse tradit Dominus noster [2]: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Ad consolationem discipulorum suorum protulit Iesus verba ista: cum enim eos videret pavidos et anxios ob praenuntiatam suam passionem, eorum corda erigit, promissione perfectae quietis, attamen secundum diversos beatitudinis gradus: non enim unam, sed multas in caelo esse mansiones declarat.

1. Supplem., Quaest. XCIII, art. 2, corp., et ad 3m. — 2. Io., XIV, 2.

**4. — Traditio.** — Praeclara sunt quae hac de re scribit S. Augustinus. *Nullus*, ait [1], *eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille aequalis est omnibus; sed multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates... Ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet... Proinde respuendi sunt a corde christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum caelorum erit aliquid ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regno caelorum intrare non poterunt.*

Rursus S. Gregorius Magnus [2]: *In eisdem multis mansionibus*, ait, *erit aliquo modo retributionis diversitas concors; quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde et non aeque laborantes in vinea, aeque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multae sunt; et tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae* [3].

**5. — Ratio theol.** — Diversitas mansionum, ut dictum est, attenditur secundum diversitatem graduum beatitudinis. Atqui duplex est huius diversitatis principium: aliud proximum, aliud remotum. Principium proximum est diversa dispositio quae est in singulis beatis per

1. Tract. LXVII in Io., C. XIV. n. 2, 3. t. III. P. 2, col. 678. — 2. Lib. IV Moral. c. XXXI. t. 1. p. 92. — 3. Cf. S. IRENAEUS, l. III, c. 21; TERTULLIAN., de Resurrectione carnis, c. 41; S. HIERONYM., adversus Iovinian., l. II, c. 15; S. BASIL., de Spiritu Sancto, c. 16: S. AMBROS., l. de bono mortis, c. 12.

respectum ad opera beatitudinis: puta, maior, minorve promptitudo, facilitas et delectatio ad opera huiusmodi peragenda: et huiusmodi principium est caritas patriae, quae quanto erit in aliquo perfectior, tanto illum reddet capaciorem ad visionem beatificam eliciendam. Principium autem remotum est meritum, quo beati talem beatitudinis gradum consequuntur; atqui meritum procedit ex habitu caritatis viae: unde operibus nostris reddetur gloria, non secundum quod sunt opera utcumque facta, sed secundum quod ex caritate viae procedunt, et attento gradu huiusmodi caritatis [1].

6. — **Verba Aligherii.** — Veritatem hanc pulcherrime, modo suo, exponit Aligherius [2]:

*E dèi saver che tutti hanno diletto,*
*Quanto la sua veduta si profonda*
*Nel Vero, in che si queta ogn'intelletto.*
*Quinci si può veder come si fonda*
*L'esser beato nell'atto che vede,*
*Non in quel ch'ama, che poscia seconda;*
*È del veder è misura mercede,*
*Che grazia partorisce e buona voglia:*
*Così di grado in grado si procede.*

7. — **Scholion.** — Quod hic dicitur, respicit gaudium essentiale beatorum, consistens in visione divinae essentiae, et cuius mensura est caritas, quae est principium et tota ratio merendi in actu vitam aeternam: nam, si sermo sit de gaudio accidentali, quod est de aliquo bono creato, potest aliquis gradus in merendo considerari ex ipso genere actus [3], et sic beati gaudebunt etiam de illis bonis quae forsan extra gratiam Dei fecerint; at diversitas

1. Supplem., Quaest. XCIII, art. 3. — 2. Parad., cant. XXVIII, 104, seq. — 3. Supplem., Quaest. XCIII, art. 3, ad 3m.

mansionum minime attenditur secundum huiusmodi bona, sed tantummodo secundum opera quae ex caritate processerint.

8. — **Nulla invidia est Sanctis in caelo.** — Porro, longe a vero aberraret qui censeret, huiusmodi mansionum diversitatem officere perfectae Sanctorum felicitati, quasi singulis dolorem afferre debeat quod superiorem non occupent locum, aut de alterius maiori gloria invidiae sensu teneantur. Cum enim unusquisque in sua mansione perfecte gaudeat, nequit ipsi desiderium succurrere altioris gloriae gradus, cum huiusmodi gradus capax non sit, nec possit alicui desiderium subesse rei ad quam proportionem non habet: aliunde perfecta caritas, quae unumquemque informat, facit ut singuli de aliorum bonis, perinde ac sua essent, gaudeant, nec relinquit invidiae vel minimum locum.

Egregie, more suo, rem hanc commentatur S. Augustinus. *Caeterum,* ait [1], *qui futuri sint pro meritis praemiorum, etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident archangelis angeli caeteri: tamque nolet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiae vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculos esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.*

9. — **Quaestio.** — *Utrum gloria corporis cooperabitur ad beatitudinem animae in caelo?*

1. L. XXII de Civ. Dei, c. XXX, n. 2. t. 7. col. 700. Cf. supra, n. 4.

*Resp.* Affirmative: cum enim corpus sit pars naturae humanae, ordinatum ad bene esse animae, ut scilicet ei serviat in suis operationibus, anima, ex coniunctione corporis gloriosi, erit in sua natura perfectior et consequenter in operatione efficacior; et licet corpus in praesenti vita, ob suam materialitatem, aggravet animam, tamen in resurrectione erit gloriosum, et sic fiet illi docile instrumentum, cooperans animae ad gaudii intensionem: tanto enim aliqua operatio est delectabilior, quanto est magis consentanea naturae [1]. Pulcre iterum Aligherius [2]:

*Come la carne gloriosa e santa*
*Fia rivestita, la nostra persona*
*Più grata fia, per esser tutta quanta.*
*Perchè s'accrescerà ciò che ne dona*
*Di gratuito lume il sommo Bene,*
*Lume ch'a lui veder ne condiziona.*
*Onde la visïon crescer conviene,*
*Crescer l'ardor, che di quella s'accende,*
*Crescer lo raggio che da esso viene.*

### Articulus IV. — *Utrum Sancti videntes Deum omnia videant quae Deus videt.*

**1. — Obiectum primarium et obiectum secundarium visionis beatificae.** — Ad rite intelligendum quaenam beati in Deo videant, primo distinguendum est in beatifica visione obiectum primarium ab obiecto secundario. Obiectum primarium et principale est ipse Deus per se et immediate, totus quidem, etsi non totaliter visus, in quo quidem essentialis eorum beatitudo consistit. Obiectum vero secundarium sunt creaturae, quae in Deo

1. Supplem., Quaest. XCIII, art. 1. — 2. Parad., cant. XIV, 43, seq.

a beatis videntur, et quorum visio ad eorum beatitudinem accidentaliter tantum confert. — Rursus, circa obiectum secundarium, duplex scientia seu notitia distingui debet: quarum una est scientia visionis, quae respicit ea quae aliquando actu fuerunt, sunt, aut erunt; altera est scientia vel notitia simplicis intelligentiae, quae complectitur omnes res possibiles.

2. — PROP. — **Cum beati nequeant comprehendere divinam essentiam, non omnia in Deo vident quae Deus ipse videt.**

3. — **Prob.** — Quod beati comprehendere non possint divinam essentiam, comprehensione formaliter accepta, ex eo sequitur, quod non vident divinam essentiam secundum modum ipsius essentiae, sed secundum modum proprium qui finitus est. Porro, Deus ipse se comprehendit, quia tam perfecte se cognoscit, quam cognoscibilis est. Omnis res autem in tantum est aut esse potest, in quantum a divina potentia, quae omnia potest, dependet: potest autem Deus infinita, cum eius potentia, sicut eius natura, infinita sit. Si igitur aliquis intellectus creatus videret in divina essentia omnia quae Deus ipse videt, necesse esset illum comprehendere divinam essentiam, quod impossibile est [1].

4. — **Quaenam beati in Verbo videbunt.** — Dicendum ergo singulos beatos tanto plura in divina essentia conspicere, quanto clarius divinam essentiam intuentur. Divina enim essentia est veluti speculum voluntarium, et sicut ostendit se cui vult, ita in se ostendit quae vult, scilicet, secundum gradum luminis gloriae quam unusquisque percipit. Attamen, qui videt Deum per essentiam,

1. Supplem, Quaest. XCII, art 3; Cf. tr. DE DEO UNO. Quaest. XII, art. 7, 8.

etiamsi nihil aliud cognosceret, perfectum tamen haberet intellectum; nec perfectior est aliquis intellectus ex hoc quod cum Deo aliquid aliud cognoscit, nisi quatenus Deum ipsum plenius videt. Quocirca hic applicari potest quod ait S. Augustinus [1]: *Infelix homo, qui scit illa omnia,* scilicet creata, *te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet, et gratias agat, et non evanescat in cogitationibus suis,* quod certe de Sanctis in caelo dici non potest. Desiderium ergo res sciendi, quo Sancti tenentur, perfecte implebitur ex hoc quod Deum videbunt, sicut eorum desiderium habendi bona complebitur in eo quod Deum habebunt. Sicut enim Deus, in hoc quod perfectam habet bonitatem, sufficit affectui, et eo habito, omnia bona habentur quodammodo, ita eius visio sufficit intellectui, iuxta illud [2]: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* [3].

**5. — Augmentum visionis in beatis.** — Quae cum ita sint, potest scientia beatorum, sicut etiam angelorum, augeri usque ad diem iudicii, sicut alia quae ad praemium accidentale pertinent. Post diem iudicii vero, consummata iam gloria hominum et angelorum, ulterius non proficient, cum dici possit omnes beatos tunc cognoscere omnia quae Deus cognoscit scientia visionis, id est omnia quae fuerunt aliquando in actu. Porro, plenitudinem hanc scientiae visionis iam possidet anima Christi: unde, cum superiores intellectus in caelo illuminent inferiores, dicendum, omnes beatos et angelos recipere illuminationem ab eo, iuxta illud [4]: *Claritas Dei illuminavit* (civitatem Hierusalem), *et lucerna eius est Agnus.* Perget vero anima Christi illuminare beatos etiam post diem iudicii,

1. L. V Confessionum, c. 4, n. 7. t. I, col. 110. — 2. Io., XIV, 8. — 3. Supplem., Quaest. XCII, art. 3, ad 7m. — 4. Apoc., XXI, 23.

non quidem nova illuminatione, quasi scientia inferiorum esset augenda, sed continuatione illuminationis, *sicut*, ait S. Thomas [1], *si intelligatur quod sol quiescens illuminat aërem.*

**6. — Quaestio.** — *Quomodo componi possit immutabilitas visionis beatificae cum novis manifestationibus?*

*Resp.* — Ad intelligendum quomodo istae novae accessiones cum immobilitate et aeternitate visionis beatificae consistere possint, sciendum est hanc visionem non esse habitum, sed actum, qui ab obiecto principali, quod est Deus visus, specificatur; unde in huius visione impossibile est esse aliquam novitatem, et videns divinam Essentiam eam a principio tantum videt, quantum unquam visurus est. At, hac visione immota manente, non repugnat, ex parte obiecti secundarii, novas accessiones fieri, non quidem sic, ut obiectum iam visum non amplius videatur et postea videatur, quod mutationem in ipso visionis actu induceret, sed hoc sensu, quod novae manifestationes, et quidem formaliter per divinam essentiam, fiant; quo casu novitas non se tenet ex parte obiecti principalis, et consequenter non ex parte ipsius actus qui ab illo obiecto specificatur, sed se tenet tantummodo ex parte obiecti secundarii.

**7. — Solvitur tacita obiectio.** — Urgenti autem quod aeternitas continet omne tempus, et sic non admittit prius et postea, visio beatifica vero aeternitate mensuratur, — *respondetur* quod aeternitas quidem imparticipata, qualis est aeternitas Dei, continet absolute omne tempus, non autem aeternitas participata. Unde visio beatifica, ex qua parte respicit obiectum principale, sic continet omne tempus ex momento quo incipit, ut additionem non patiatur; ex qua parte vero respicit obiectum secundarium,

1. Supplem., Quaest. XCII, art. 3, ad 12m.

etiam ex momento quo hoc obiectum menti affulget, continet omne tempus, ita tamen ut postea, accipiendo scilicet τό postea ex parte temporis, novum obiectum succedat, quo habito, pro hoc obiecto aeternitas incipiat sine motu, et sic de aliis [1].

**8. — Beatitudinis incrementum.** — Quantum vero ad beatitudinis incrementum ex horum obiectorum additione, dicendum est eam non formaliter, sed causaliter crescere, id est non crescere in ipso obiecto quod constituit formam visionis beatificae, sed in eo quod ex ista forma causatur, scilicet in obiectis secundariis, seu accidentaliter, quod ita explicat Caietanus [2]: *Cognoscere aliquid in Verbo contingit dupliciter: uno modo formaliter, alio modo causaliter. Et dico, quod S. Thomas non intendit, angelos quoscumque de novo videre aliquid in Verbo formaliter, sed tantum causaliter, id est, ex divinis illuminationibus, quae se habent ad visionem Verbi, sicut accidentia quaedam concomitantia non simul, sed successive, iuxta successivam dispositionem ipsorum secundum congruentiam ad officia sua exequenda. Cum hoc tamen stat, quod quaedam mysteria gratiae angeli omnes vel aliqui in Verbo formaliter videant ab initio beatitudinis suae. Nec tamen oportet haec pertinere ad obiectum beatificum, ut sic. Iam enim in quaestione decima secunda declaratum est, quod videre aliquid in Verbo formaliter contingit dupliciter, scilicet, per se primo, et secundario, et quod ipse Deus tantum videtur per se primo creaturae autem secundario. Et propterea ipse solus beatus, iuxta illud Augustini: qui autem te, et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus* [3].

1. Vide quae hac de re scripsimus in Tract. DE ANGELIS, Vol. I, Quaest. LVII, art. 5, n. 7, p. 184; et rursus Vol. II, Quaest. CVI, art. 1, n. 10, p. 13. — 2. In 1. Quaest. LVII, art. 5. — 3. Caiet., loco cit.

## Articulus V. — *Utrum beati poenas damnatorum videant.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum Sancti in visione divinae essentiae perfecte sint beati, videretur poenas quas damnati patiuntur eis abscondi debere, ne qua amaritudo eorum gaudio misceatur, maxime cum inter eos qui aeternis suppliciis deputantur, aliqui esse possint eisdem vel carnis cognatione vel amicitiae consuetudine devincti. Similiter, cum naturaliter homini contristabile sit quidquid contra se aut sui honorem fieri cognoscit, aut malum quod diabolus vel perversi homines contra personas sibi caras attentant, videretur Sanctos in caelo regnantes latere debere iniurias vel maledicta, quae a viventibus contra eorum memoriam interdum proferuntur, aut insidias quas mali in personas sibi caras moliuntur. — At, contra sit

**2.** — PROP. — α) **Beati in regno caelesti damnatorum poenas videbunt; β) sed videre etiam poterunt mala, quae vel in sui memoriam, vel in personas aut instituta sibi cara, a diabolo aut perversis hominibus attentantur.**

**3. — Prob. 1ª Pars.** — Nihil a beatis subtrahi debet, quod ad perfectionem eorum beatitudinis pertineat. Atqui unumquodque magis cognoscitur ex comparatione contrarii, quia contraria iuxta se posita magis elucescunt. Quocirca, ut finalis beatitudo Sanctis magis complaceat, ac uberiores de ea gratias ipsi Deo reddant, datur eis ut poenas impiorum perfecte videant [1].

**4. — Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti turpitudinem obiecti visibilis redundare in imperfectionem vi-

1. Supplem., Quaest. XCIV, art. 1.

sionis, — *respondetur* quod quamvis pulcritudo obiecti visibilis ad perfectionem faciat visionis, visibilis tamen turpitudo sine visionis imperfectione esse potest: species enim rerum in anima, per quas contraria cognoscuntur, non sunt contrariae. Unde etiam Deus, qui perfectissimam cognitionem habet, omnia pulcra et turpia videt [1]; et similiter Sancti, absque ulla sui offensione, damnatorum poenas videre poterunt.

5. — **Prob. 2ª Pars.** — Cum Sancti in caelo ea quae ad se, ad suas familias aut ad instituta ad quae pertinuerunt, naturaliter cognoscere desiderent, hinc credendum est, haec eisdem manifestari, et non bona tantum, sed etiam mala. Haec autem mala, si quidem in seipsis viderentur, dolorem eis et tristitiam utique possent adferre: at cum Sancti ea intueantur in divina essentia, hinc nulla eis ex hac visione molestia potest provenire, quia iustissimam et altissimam vident rationem cur Deus ita fieri permittit; et cum voluntatem habeant divinae voluntati perfectissime conformem, hinc eum de iis quae circa se fieri disposuerit, tanquam de suavissima et amabilissima ordinatione, sine fine collaudant. Oh! utinam possemus et nos in hac vita divinis circa nos dispositionibus tam humiliter et filialiter acquiescere, ut bonum reputaremus quidquid vel grave ex divina ordinatione nobis possit accidere!

6. — **Beati miseriis damnatorum minime compatiuntur.** — Sciendum autem ulterius, quod beati in caelo damnatorum miseriis minime compatientur. Ex hoc enim compassio, ex ratione electionis, in nobis enascitur, quod malum alterius repelli volumus: unde in iis quae secundum rationem nolumus repelli, talem non habemus compassionem. Porro peccatores, quamdiu sunt in hoc mundo,

1. Ibid., ad 2m.

in tali statu sunt, quod sine praeiudicio divinae iustitiae, possunt de statu miseriae et peccati in beatitudinem transferri. Ideoque Sancti in caelo, sicut Deus ipse, ob caritatem qua nos prosequuntur, miseriis nostris quodammodo compatiuntur, cum possibile sit hominem viatorem transferri de statu miseriae ad statum felicitatis: sed damnatorum infelicitati nullimode compatiuntur, cum isti sint omnino extra ordinem caritatis, et divinae iustitiae repugnet eos a suis miseriis liberari [1]. *Omnipotens Deus,* ait S. Gregorius [2], *quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia vero iustus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.*

7. — **Scholion.** — Quinimmo dici debet Sanctos, in regno caelorum, intuentes damnatorum poenas, de eis gaudere, non quidem per se, sed per accidens, contemplantes scilicet in eis adimpletum divinae iustitiae ordinem et suam a talibus poenis liberationem. Enimvero, potest aliquid esse materia gaudii vel per se, vel per accidens. Per se quidem, quando de ea re quis gaudet in quantum huiusmodi; per accidens vero, ratione alicuius adiuncti. Igitur, Sancti per se non laetabuntur de poenis damnatorum, sed per accidens, considerando scilicet in eis divinae iustitiae ordinem, et suam liberationem, de qua gaudebunt; et sic divina iustitia et sua liberatio erunt per se causa gaudii beatorum, poena autem damnatorum, per accidens. — Huc pertinet quod in Psalmo legitur [3]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam;* necnon illud quo Isaias suam prophetiam claudit [4]: *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et*

1. Supplem., Quaest. XCIV, art. 2. — 2. Dialog., l. IV, Cap. 44. t. I, p. 1057. — 3. Ps. LVII, 11. — 4. C. LXVI, 24.

*ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* [1].

**8. — Solvitur difficultas.** — Laetari de malo alterius ad odium pertinet. Atqui in beatis nullum erit odium. Ergo beati non laetabuntur de miseriis damnatorum.

Resp. *Dist. mai.:* laetari de malo alterius, in quantum huiusmodi, *conc.;* laetari, ratione alicuius adiuncti, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Sicut potest quis de malo proprio quandoque laetari, puta in quantum huiusmodi malum confert ad salutem aeternam, quo sensu dicebat S. Paulus [2]: *Placeo mihi in infirmitatibus meis,* ita de alterius malo aliquis potest delectari, scilicet ob bonum huic malo adnexum. — Ubi tamen differentia est inter viatorem et comprehensorem: quia in homine viatore passiones saepe rationem praeveniunt, et proinde ille interdum reficitur aliorum poenis secundum se; in patria autem nullus est motus iudicium rationis non consequens, et ideo beati, cum de poenis damnatorum laetantur, nullimode possunt peccare [3].

1. Supplem., Quaest. XCIV, art. 3. — Potest ad hanc rem referri illud Aligherii, quo a consideratione tormentorum damnatorum exulare vult compassionis vel misericordiae sensum:

*Qui vive la pietà quando è ben morta.*
*Chi è più scellerato di colui*
*Ch'al giudicio divin passion porta?*

Inf., Cant. XX, 28, seq.

Nomen *pietà* hic duplici sensu accipitur: primo, pro *religione,* et secundo pro *commiseratione:* et sensus est, veram religionem compassionem de poenis damnatorum excludere. Nomen vero *giudicio* valet pro *punitione; passion* vero pro *compassione:* et sibivult, ad scelus pertinere, si quis poenis damnatorum compatiatur. — 2. 2 Cor., XII, 10. — 3. Supplem, Quaest. XCIV, art. 3, ad 1m et 3m.

ARTICULUS VI. — *Utrum animabus beatorum convenienter assignentur tres dotes: scilicet visio, comprehensio et fruitio.*

**1. — Quid sit dos.** — Nomen *dos,* a donando derivatum, secundum rationem nominis, significat cuiuscumque generis perfectionem, qua homo ornari potest: quo sensu ait Ovidius [1]: *Et quacumque potes dote placere, place.* Igitur hoc sensu beatorum dotes significant dona spiritualia, eisdem ad ornatum data, quae cum eis in aeterna beatitudine iugiter perseverant. — At strictius acceptum, nomen hoc ad carnale matrimonium translatum est, ad significandum illud quod sponsae pater illi dat, ad convenienter sustentanda onera matrimonii. Porro, cum Sanctorum glorificatio speciem praeseferat spiritualis cuiusdam connubii, hinc naturale est ut ad opera huiusmodi vitae beatae aliqua superaddantur animae, ad interiorem illius decorem pertinentia: nam in matrimonio quidem corporali requiritur decor exterior, in spirituali autem decor interior, iuxta illud [2]: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus* [3]. — Quae cum ita sint, hic quaeritur proprie de dotibus animarum beatarum, nam de dotibus corporum glorificatorum inferius agetur [4].

**2. — Dos differt a beatitudine.** — Ne autem quis falso existimet, dotem idem esse ac beatitudinem, sciendum, beatitudinem dici ipsam operationem perfectam, qua anima beata Deo coniungitur: dotes vero sunt dispositiones animae inhaerentes, per quas anima ordinatur ad perfectam beatitudinis comprehensionem: unde beatitudo et dos realiter differunt. Enimvero, beatitudo, quae una tantum est, non ordinatur ad coniunctionem animae

1. L. I de arte amandi, vers. 598. — 2. Ps. XLIV, 14. — 3. Supplem., Quaest. XCV, art. 1. — 4. Quaest. VIII.

cum Christo, sed est ipsa huiusmodi coniunctio, quae est per operationem; dotes autem, quae plures recensentur, sunt dona disponentia ad huiusmodi coniunctionem [1].

3. — PROP. — **Convenienter beatorum animabus tres assignantur dotes: scilicet visio, comprehensio et fruitio.**

4. — **In Sacra Scriptura**, licet expressa mentio de hisce dotibus non fiat, plura tamen sunt loca, ex quibus eas deducere fas est. Et primo quidem, apud Isaiam dicitur in persona beati [2]: *Induit me vestimentis salutis,.. quasi sponsam ornatam monilibus suis:* porro sponsarum ornamenta ad dotem pertinent. Propius autem, ex S. Paulo accipimus, per corporale matrimonium, spiritualem coniunctionem animae ad Christum significari [3]: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Atqui, in matrimonio corporali, sponsa dotata traducitur in domum sponsi. Ergo cum Sancti, in sua beatificatione, in domum Christi traducantur, conveniens est quod aliquibus dotibus exornentur.

5. — **Ratio theologica.** — Congrue beatifica visio matrimonio comparatur, in quo anima perpetuo desponsatur Christo Domino, iuxta illud [4]: *Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et in misericordia et in miserationibus.* Porro, in matrimonio terrestri dotes dantur, tum ad sublevandum onera matrimonii, tum in solatium matrimonii, scilicet, ad opera matrimonii convenienter adimplenda. Atqui in caelesti illo matrimonio, non sunt quidem aliqua onera; adest tamen ibi summa perfectio et iucunditas operum. Ergo convenienter animabus beatorum dotes assignantur.

1. Supplem., Quaest. XCV, art. 2. — 2. LXI, 10. — 3. Eph., V, 32. — 4. Os., II, 1. 19.

per quas videlicet Sponso Christo delectabiliter coniungantur.

**6. — Scholion.** — Etsi spirituale matrimonium cum Christo inchoative contrahat anima in hac vita per fidem et caritatem, tamen dotes non assignantur Sanctis, nisi quando transferuntur ad gloriam, in qua sponso Christo praesentialiter perfruuntur. Nam et dotes sponsae non consueverunt assignari quando desponsatur, sed quando in domum sponsi traducitur, ut praesentialiter sponsum habeat, et cum eo indivisa et perpetua vitae consuetudine utatur [1].

**7. — Tres animae dotes, visio, comprehensio, fruitio.** — Porro, quod tres animabus Sanctorum dotes convenienter assignentur, scilicet visio, comprehensio et fruitio, ex hoc patet, quod cum ultima nostra beatitudo in visione beatifica reponatur, ipsa debet esse perfectissima et maxime delectabilis. Hoc autem esse non potest, nisi et ipsamet visio prompte, faciliter et delectabiliter eliciatur, et videns coniungatur obiecto visibili cum summa convenientia et delectatione. Igitur, ex parte visionis dos ponitur, quae eodem nomine visio appellatur, et respondet virtuti fidei in hac vita; ex parte autem obiecti visibilis, primo ponitur comprehensio, quae respondet spei, et significat firmam et fixam summi Boni apprehensionem; secundo ponitur fruitio, quae correspondet caritati viae, et significat perfectam quietem in possessione obiecti infinite amabilis [2]. — Ubi sedulo notandum, visionem, de qua hic agimus, minime sumi pro ipso visionis actu: sic enim visio non est dos, sed ipsamet beatitudo formalis; sed sumitur pro habitu, a quo talis operatio elicitur [3].

1. Supplem., Quaest. XCV, art. 1, ad 4m. — 2. Ibid., art. 5. — 3. Ibid., art. 2, ad 3m.

**8. — Christo proprie non competit habere dotes.** — Sciendum autem quod, licet Christus habeat perfectissimam visionem, comprehensionem seu assecutionem, necnon fruitionem divinae essentiae, ista tamen proprie in eo non dicuntur dotes, quia inter sponsum et sponsam exigitur personarum distinctio; unde dicitur [1]: *Qui habet sponsam, sponsus est;* in Christo autem non est aliquid personaliter distinctum a Filio Dei qui est sponsus. Praeterea, Christus ipse est, prout una essentia est cum Patre et Spiritu Sancto, qui dat animae dotes: non autem eiusdem est dare dotes et accipere. Anima igitur beata recipit a tota Trinitate praedictas dotes ut, tanquam sponsa, dilecto sponso Christo fideliter inhaerens, cum ipso, et per ipsum, et in ipso, altissimam et suavissimam divinae essentiae contémplationem, in totam aeternitatem, perficiat [2]: in Christo autem locum horum tenet divina essentia, cui humanitas hypostatice est coniuncta.

**9. — Angelis non proprie convenit habere dotes, sicut hominibus.** — Denique notandum, quod quia inter sponsum et sponsam naturae conformitas exigitur, Christus autem non est angelis conformis secundum naturam humanam, neque secundum naturam divinam, ideo eis non ita proprie convenit ratio dotis, sicut hominibus, licet et ipsi promptitudinem habeant ad videndum divinam essentiam, illam quoque firmiter teneant nec unquam dimittant, et in illa plenissime delectentur. Praeterea, dotes hominibus dantur intuitu passionis Christi, qui pretio Sanguinis sui gloriosam sibi sponsam acquisivit Ecclesiam [3]. At Christus pro angelis non est passus. Ergo non tam proprie angelis dotes assignantur, sicut hominibus [4].

1. Io.. III, 29. — 2. Supplem., l. cit., art. 3. — 3. Eph., V, 25, seqq. — 4. Ibid., art. 4.

## ARTICULUS VII. — *Utrum quibusdam beatis aureola debeatur.*

**1. — Aurea et aureola.** — Essentiale hominis praemium, quod est beatitudo aeterna, consistit in perfecta coniunctione animae ad Deum per visionem beatificam et consequentem perfectam eius fruitionem. Hoc autem praemium merito vocatur corona vel aurea, tum quia redditur tanquam merces pro praelio quod homo viriliter in hac vita sustinuit, eumque quasi regiae dignitatis participem efficit, tum quia hominem in perfectissimo statu constituit, cum circularis figura, coronae propria, perfectionem significet. At praeter huiusmodi praemium essentiale, quod dicitur aurea, distingui solet aliud praemium accidentale, praemio essentiali superadditum, ob specialia quaedam opera, in quibus ratio invenitur excellentis cuiusdam victoriae; at quoniam praemium essentiale, respondens merito ratione caritatis, quantumcumque parvum sit, semper maius est hoc praemio respondente actui ratione sui generis, propterea praemium huiusmodi accidentale diminutive dicitur aureola, quasi minor aurea. Est igitur *aureola praemium quoddam accidentale, praemio essentiali superadditum, ob excellentem quamdam victoriam ab homine reportatam* [1].

**2.** — PROP. — **Aureola in beata patria debetur a) virginibus, b) martyribus atque c) doctoribus.**

**3. — Prob.** — Aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens; ideoque tres aureolae distinguuntur secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quae cuilibet homini imminent: quae sunt

1. Supplem., Quaest. XCVI, art. 1. Cf. tr. DE B.MA VIRGINE MARIA MATRE DEI, P. II, C. I, art. 8, n. 15, p. 335.

contra carnem, contra mundum et contra diabolum, secundum illud[1]: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.*

Primo quidem, in pugna quae est contra carnem, ille potissimam obtinet victoriam, qui a voluptatibus sensus, quae sunt praecipuae in hoc genere, omnino abstinet: huiusmodi autem est virgo, et ideo virginitati aureola debetur. In pugna vero qua contra mundum pugnatur, illa est praecipua victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus; unde et martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. Demum, in pugna qua contra diabolum pugnatur, illa est praecipua victoria, cum quis hostem non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam et praedicationem; et ideo doctoribus et praedicatoribus tertia aureola debetur.

Et in hisce tribus homo nobilissime Christo conformatur qui, ut excellentissimus doctor, veritatem quam a Patre acceperat, mundo manifestavit; ut martyr, acerbissimam a mundo persecutionem sustinuit; ut virgo, maximam in seipso iugiter puritatem servavit[2]. — Nunc de singulis aureolis pauca dicenda sunt.

4. — **Aureola virginum.** — Talis est hominis in hac vita conditio, ut iugiter *caro concupiscat adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*[3]; unde ad specialem hominis laudem pertinet, quod perfectam de carne victoriam obtineat, quod est quando quis firmum servat propositum virginitatem perpetuo conservandi. — Ubi non de actu servata carnis integritate agitur: de qua quidem re beati specialiter gaudebunt, sicut etiam innocentes de servata sua innocentia; sed de proposito, sive voto firmato,

1. 1 Io., II, 16. – 2. Supplem., Quaest. XCVI. art. 11. — 3. Gal., V, 17.

sive non, quod pertinet ad integritatem mentis, et ex munere gratiae provenit [1]. Hoc autem dicitur, attento praesenti corruptionis statu, in quo continua instat homini pugna, ut se incontaminatum a carnis contagione custodiat: in statu enim innocentiae virginitas nullam supra continentiam coniugalem perfectionem addidisset, quia tunc honorabiles fuissent nuptiae, et torus immaculatus [2].

5. — **Scholion.** — Cum virginitatis laus et meritum formaliter consistat in firmo proposito illam perpetuo inviolabiliter servandi, aureolam ex hoc aliqua mulier non amittet, quod per violentiam fuerit oppressa, dummodo illi actui nullo modo consentiat: imo, si hoc pro fide sustineat, violentia huiusmodi cedet ei ad gloriam martyrii, sicut S. Lucia dixit: *Si invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam;* non quod duas habeat virginitatis aureolas, ait Angelicus [3], sed quia duplex praemium reportabit: unum pro virginitate custodita, aliud pro iniuria quam passa est.

6. — **Aureola martyrum.** — Quod martyrio, non secus ac virginitati, aureola debeatur, ex hoc patet quod sicut in passionibus interioribus appetitus concupiscibilis, optimum victoriae genus obtinet qui perfectae virginitatis propositum conceperit, ita tanquam triumphator habetur in exterioribus passionibus, quae a mundo infliguntur, qui mortem fortiter sustinet pro Christo. Huic igitur aureola debetur, propter difficultatem quae inest ipsi pugnae martyrii, licet possit quis, considerata radice merendi quae est ex caritate, praemium essentiale aequale vel maius mereri, ex prompta quam habeat voluntate martyrium, si ita Deo placeret, sustinendi [4].

1. Supplem., loco cit., art. 5. — 2. Ibid., ad 3m. — 3. Supplem., l. cit., ad 1m. — 4. Supplem., l. cit., art. 6, corp., et ad 3m.

**7. — Aureola pro martyrio etiam imperfecte accepto.** — Sciendum vero, ad martyrii aureolam habendam, non absolute necesse esse ut quis sub persecutoris ictu statim decedat: nam potest esse ut homo mortale vulnus propter fidem accipiat et supervivat, quo casu dubium non est quin aureolam mereatur, ut patet de S. Caecilia, quae triduo supervixit, et de multis martyribus qui in carcere sunt defuncti. Sed etiamsi vulnera non mortalia acceperit, et tamen mortem exinde incurrat, creditur aureolam mereri: sicut patet de S. Marcello papa. Igitur, concludit S. Thomas[1], qualitercumque afflictio propter Christum illata usque ad mortem continuetur, sive mors inde sequatur, sive non, aliquis martyr efficitur, et aureolam meretur. Si vero non continuetur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur martyr; sicut patet de S. Sylvestro papa, de quo non solemnizat Ecclesia sicut de martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.

**8. — Quo pacto innocentes ab Herode occisi aureolam consecuti sunt.** — Porro sciendum est parvulos etiam qui, licet usum liberi arbitrii nondum sunt adepti, pro Christo tamen occubuerint, martyrii aureola, licet non secundum perfectam rationem, gaudere: non solum eo modo quo pueri baptizati habent aliquod gaudium de innocentia et carnis integritate, sed quia huiusmodi triumphum virtute sua Christus eisdem comparavit[2].

**9. — Aureola doctorum.** — Denique, praedicationi et doctrinae debetur aureola, non secus ac virginitati et martyrio: quia sicut per virginitatem et martyrium homo perfectissimam victoriam obtinet de carne et mundo, ita cum diaboli insidiis resistit, eum non solum a se, sed etiam ab aliis, per sacrae doctrinae divulgationem et de-

1. Ibid., ad 7m. — 2. Cf. 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 1, ad 1m.

fensionem, expellendo, specialem meretur aureolam, quae etiam sacram doctrinam scribentibus debetur, cum scripta componere, quidam modus docendi sit [1].

Nec est dicendum, observat S. Thomas [2], quod aureola debeatur tantum praelatis, quibus competit ex officio praedicare et docere: nam, quicumque licite hunc actum exercent digni sunt qui aureola decorentur; quae praelatis non debetur, nisi actu praedicent, quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnae.

**10. — Quaestio. —** *Utrum Christo et angelis aureola debeatur?*

*Resp.* — I. Quamvis Dominus noster Iesus Christus fuerit verissime et plenissime virgo, martyr et doctor, tamen, proprie loquendo, ratio aureolae ei non competit, quia aureola, ex ipsa nominis derivatione, significat participationem victoriae super carnem, mundum et diabolum, ad imitationem eius, in quo perfectae victoriae ratio plena consistit. Igitur cum Christus victoriam huiusmodi plenissime reportaverit, hinc eidem non convenit aureolam, ut sic, habere, sed potius ab eo omnes aureolae derivantur [3]; et idem dicatur de Beatissima Matre Domini nostri, gloriosa Virgine Maria [4].

II. Angelis pariter aureola non debetur, quia deest eis conditio ad aureolae praemium necessaria: nimirum, quae in hominibus ad perfectionem meriti pertinent ut virginitatis aureolam accipiant, angeli per naturam habent; pariter, contra diabolum pugnam sustinere debuerunt, sed hoc fuit communis conditio omnium, ut ad praemium vitae aeternae pertingerent; demum, actus secundum quos illi nos docent pertinent ad eorum gloriam et ad communem statum eorum [5].

1. Ibid., art. 7, et art. 11, ad 5um. — 2. L. cit., art. 7. — 3. Supplem., Quaest. XCVI, art. 8. — 4. Vide tr. DE BEAT. VIRGIN. MARIA, MATRE DEI, 4a ed. P. II, C. I, a. 8, n. 15, p. 335. — 5. Ibid., art. 9.

ARTICULUS VIII. — *Utrum fructus debeantur in caelo virtuti continentiae.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum saepe, in sacris Litteris, gaudium regni caelorum fructui comparetur, iuvat ultimo loco, in speciali quaestione, inquirere in quonam formaliter fructus iste consistat. At non est una, huius nominis *fructus*, prout ad vitam spiritualem transfertur, acceptio: nimirum, potest primo considerari modo quodam generali; et secundo, per respectum ad specialem quamdam virtutem, scilicet castitatis vel continentiae; et hoc ob auctoritatem Domini nostri, huius virtutis cultoribus fructum attribuentis in triplici differentia, scilicet trigesimum, sexagesimum et centesimum, prout agitur de castitate coniugali, viduali aut virginali. — Ubi recolendum venit, quod ad castitatem, quae etiam continentia dicitur, pertinet moderari carnis concupiscentiam, quae ad modum procacis pueri est refraenanda, ne hominem a recto tramite virtutis abducat. Coniugalis autem castitas ex hoc solo laudem habet, quod abstinet ab illicitis voluptatibus; supra quam est viduitas, quae soluto iam matrimonio, licitis voluptatibus renuntiat in gratiam maioris virtutis; at huic supereminet virginitas, quae proponit se ab omni carnali voluptate immunem conservare [1]. — Quaestio igitur est, qua ratione fructus proponatur virtuti continentiae vel castitatis.

**2. — Tres sensus quibus nomen fructus in spiritualibus generaliter accipitur.** — Ut igitur primo intelligantur diversi sensus quibus nomen fructus, ad vitam spiritualem translatum, generaliter accipitur, necesse est considerare diversas conditiones quae in fructibus corporalibus possunt inveniri. Porro, fructus corporalis, primo

1. 2 2ae, Quaest. CLII, art. 3, ad 5m.

hominem reficit prout est ultimum ad quod operatio naturae pervenit: et hoc modo fructus spiritualis accipitur pro eo quod reficit quasi ultimus finis, secundum quam significationem dicimur Deo frui, imperfecte quidem in via, perfecte autem in patria; et secundum hanc significationem accipitur fruitio quae est dos animae. Secundo, fructus corporalis dulcedinem habet, qua reficit secundum quod in usum hominis venit: quo sensu virtutes fructus dicuntur, in quantum mentem sincera dulcedine reficiunt. Tertio, fructus corporalis est id quod ex agricultura exspectatur per seminationem, vel quoscumque alios modos; et hoc modo fructus spiritualis est illud praemium quod homo exspectat se in futuro consequi ex labore praesentis vitae, quo sensu ait S. Paulus [1]: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.*

**3. — Specialis acceptio fructus relate ad semen unde consurgit.** — Porro, praeter huiusmodi considerationes de fructu, prout generaliter ad vitam spiritualem refertur, alia est specialis, secundum quam fructus intelligitur ut consurgens ex semine: quod est secundum quod vis sementina est efficax ad convertendum humores terrae in suam naturam; et quanto haec virtus fuerit efficacior et terra ad hoc paratior, tanto sequetur fructus uberior. Atqui spirituale semen quod in nobis seminatur, est verbum Dei, quod fructificat secundum gradum spiritualitatis cordis in quo proiicitur, unde quanto quis magis in spiritualitatem convertitur, a carne recedens, tanto in eo est maior fructus verbi. Cum igitur *aurea,* vel corona, consistat in gaudio quod habetur de Deo, *aureola* vero in gaudio quod habetur de operum perfectione, *fructus,* qualis nunc consideratur, proprie consistit in gaudio quod habetur de ipsa dispositione ope-

1. Rom., VI, 22.

rantis secundum gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine verbi Dei [1].

**4. — PROP. — Castitatis vel continentiae virtuti debetur in caelo fructus.**

Eruitur haec veritas ex ipsismet verbis Domini nostri [2], ubi fructum dividit in trigesimum, sexagesimum et centesimum: quam quidem assignationem a traditione accipimus respondere tribus continentiae vel castitatis gradibus, scilicet continentiae coniugali, continentiae viduali et virginitati.

**5. — Prob.** — Fructus, ut hic accipitur, est praemium quoddam quod homini debetur, ex hoc quod a carnali vita transit in vitam spiritualem. Ergo illi virtuti praecipue fructus respondet, quae hominem principaliter a subiectione carnis liberat. Atqui hoc facit virtus continentiae vel castitatis, qua homo delectationes sensus rationi ita subdit, ut et ab earum imperio liber evadat: tales quippe sunt huiusmodi delectationes, ut intellectum obnubilent et cor indurent, ne fructus vitae aeternae producat. Ergo virtuti continentiae debetur praemium illud quod fructus nominatur.

**6. — Tres fructus tribus continentiae partibus assignati.** — Demum attendendum est, hac in re, ad verba Domini nostri [3]: *Qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert et facit, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum:* qui distincti fructus, ex communi Patrum sententia, respective assignantur castitati virginali, viduali et coniugali.

Enimvero, per continentiam, cui fructus respondet, homo in quamdam spiritualitatem adducitur, carnalitate abiecta: ideoque secundum diversum modum spirituali-

1. Supplem., Quaest. XCVI, art. 1. — 2. Matth., XIII. — 3. Ibid., 23.

tatis, quem castitas vel continentia facit, diversi fructus distinguuntur. Est autem unus gradus spiritualitatis, in hoc consistens, quod quis ex delectatione carnis minime pervertatur, quod est quando quis secundum rectum ordinem rationis utitur delectationibus carnis: et haec est spiritualitas coniugatorum, quibus assignatur fructus trigesimus. Est autem alius gradus spiritualitatis, per quam homo ab huiusmodi delectationibus carnis spiritum suffocantibus se abstrahit secundum aliquod tempus, quae est spiritualitas viduarum, quibus assignatur fructus sexagesimus. Demum est supremus gradus spiritualitatis, per quam homo omni tempore a carnis delectationibus penitus se abstrahit, et haec est spiritualitas virginum, quibus centesimus fructus assignatur [1].

7. — **Virginitatis excellentia.** — Ex abundantia fructus virginitati super continentiam coniugalem et vidualem assignati, patet quam praeclara sit conditio virginum, de quibus dicitur quod *sequuntur Agnum quocumque ierit* [2], et quod cantant *canticum novum*, quod nemo alius potest dicere [3]: virgines scilicet imitantur Christum, non solum in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis; canticum novum autem, quod solae virgines cantant, est gaudium quod habent de integritate carnis servata [4].

*Iesu, corona virginum,*

. . . . . . . . . .

*Quocumque tendis, virgines*

1. Supplem., Quaest. XCVI, art. 4. Silendum hic non est, a quibusdam, cum S. Augustino (de Quaest. evangel., l. I, c. 9, in principio), fructum centesimum martyribus assignari: at hoc est, ut explicat S. Thomas (Loco cit., art. 3, ad 2m), secundum quod fructus large accipitur pro qualibet remuneratione: ut sic per centesimum fructum, remuneratio designetur, quae quibuslibet perfectionis operibus debetur. — 2. Apoc., XIV, 4. — 3. Ibid., 3. — 4. 2 2ae, Quaest. CLII, art. 5, ad 3m.

*Sequuntur, atque laudibus*
*Post te canentes cursitant,*
*Hymnosque dulces personant.*

**8. — Virginitas praemiatur simul aurea, aureola et fructu.** — Ex dictis hucusque consequitur quod virginitati triplex praemium rite assignatur: unum essentiale, scilicet aurea, et duplex accidentale, nempe aureola et fructus: aurea quidem praemiatur, secundum quod propter Deum servatur, imperio caritatis; aureola, secundum quod est quoddam perfectionis opus habens rationem victoriae cuiusdam excellentis; fructu, secundum quod per virginitatem homo in quamdam spiritualitatem transit, a carnalitate recedens [1].

1. Supplem., Quaest. XCVI, art. 2, ad 1m. De Paradisi felicitate utiliter legi potest aureum opusc. P. F. J. BOUDREAUX, S. I. The Happiness of Heaven. London, Burns and Oates.

## QUAESTIO IV.

## DE INFERNO.

### Prologus.

**1. — Ratio huius quaestionis.** — Post considerationem ineffabilium gaudiorum quibus dilectos servos suos Deus in praemium eorum laborum cumulat, sequitur ut agamus de acerbis poenis quae reservantur in inferno iis qui divinam legem fuerint transgressi et in suo peccato ultimum obierint diem. Quae quidem tractatio, etsi lectoris animo iucunditatem non afferat, sed potius gravamen et tristitiam, ob contemplationem irreparabilis miseriae damnatorum, utilis tamen imo necessaria est quae a theologo serio expendatur, utpote cuius notitia efficacissimum medium existit a Deo ordinatum ad hominem a peccato retrahendum. Est enim infernus, de quo hic agitur, *teterrimus et obscurissimus carcer, ubi perpetuo et inextinguibili igne, damnatorum animae simul cum immundis spiritibus torquentur: qui etiam gehenna, abyssus, et propria significatione, infernus vocatur* [1], vel, ut illum appellat Aligherius [2]:

*Il mondo senza fine amaro.*

**2. — Quanti sit momenti hodiedum huius rei accurata tractatio.** — Porro, cum modernisticae labi de-

1. Catech. Rom., de V Art. Symb., n. 3. — 2. Parad., XVII, 112.

beatur, quod ex hodiernis doctoribus nonnulli, ex praedicatoribus plures, de inferno aut silere omnino consueverint, aut saltem doctrinam hac super re traditione receptam ultra modum temperare sategerint, sanctae esse debent theologi partes, eamdem inadulteratam conservare, ne videatur sacrum veritatis depositum, ob vanum timorem hominibus displicendi, prodidisse. Nimirum, primo ostendet, haudquaquam displicere medicinam debere, qua homo a vitio potenter sanatur et in via salutis aeternae collocatur; immo tantum abesse ut qui infernum commemorat crudelis sit, ut potius crudelis ille dici debeat, qui huius tormenti considerationem, qua peccatores salvari possent, turpiter negligit.

Deinde in aperto ponet theologus quam amico foedere societur doctrina catholica de atrocitate, aeternitate et immutabilitate poenarum inferni, cum ratione divinorum attributorum, scilicet iustitiae, sapientiae, fortitudinis atque bonitatis vel amoris: quod Aligherius notissimis hisce versiculis eleganter expressit:

*Per me si va nella città dolente,*
*Per me si va nell' eterno dolore,*
*Per me si va tra la perduta gente.*
*Giustizia mosse il mio alto Fattore:*
*Fecemi la divina Potestate,*
*La somma Sapienza, e il primo Amore.*
*Dinanzi a me non fur cose create,*
*Se non eterne, ed io eterno duro:*
*Lasciate ogni speranza, voi che entrate.*
*Queste parole di colore oscuro*
*Vid' io scritte al sommo d' una porta:*
*Perch' io: Maestro, il senso lor m' è duro* [1].

**3. — Fundamentum erroris circa dogma poenarum inferni.** — Si quis autem rem profunde consideret,


1. Inferno, Canto III, princ.

facile deprehendet fundamentum erroris negantium poenarum aeternitatem in futura vita, in eo situm esse, quod existiment omnes poenas purgatorias esse, et sic quandoque terminandas. At primo quidem advertitur, aliud esse iudicium ferendum de poenis ab homine et a Deo inflictis: et quidem, legibus humanis poenae inferuntur ad emendationem, unde medicinae quaedam sunt; poena autem peccatori post mortem infertur a Deo ad restitutionem ordinis iustitiae ab eo laesi. At etiamsi dicatur poenas nonnisi ad emendationem morum adhiberi, nihil prohibet, ut advertit S. Thomas [1], quin secundum divinum iudicium aliqui debeant a societate bonorum perpetuo separari et in aeternum puniri, ut ex perpetuae poenae timore homines peccare desistant et bonorum societas purior ex eorum separatione reddatur.

4. — **Ordo quaestionis.** — Ut autem hac super re plena habeatur tractatio, primo loco quaerendum erit de inferno, an sit (1), et secundo qualis sit (2-9). Haec autem secunda quaestio bipartita erit: scilicet, primo, inquirendum erit qualis sit infernus in sua poena (2-8), et secundo, relate ad peccatum quo inducitur (9). Poena autem quam damnati in inferno luere debent erit consideranda, tum in se (2-5), tum in sua quantitate (6-8). In se autem considerata, poena inferni duplex distinguitur, scilicet alia est poena sensus (2-3) et alia poena damni (4-5). Et quidem poenam sensus constituit ignis qui est divinae vindictae instrumentum, de quo proinde quaerendum erit qualis sit (2), et qualiter animam, quae spiritualis substantia est, torquere valeat (3). Poena vero damni, consistens in irrevocabili aversione animae damnati a Deo, fonte totius boni, consideranda erit tum in seipsa (4), tum in sua radice, id est, in obstinatione voluntatis in malo (5). Quantitas autem poenae inferni erit conside-

1. L. III c. Gent., c. 145.

randa tum absolute (6-7), tum proportionaliter (8): absolute quidem, ut determinetur tum eius duratio (6), tum eius immutabilitas (7); proportionaliter vero, ut sciatur utrum poenae damnatorum futurae sint aequales (8): post quod, iuxta dicta, determinandum remanebit, utrum vel pro uno peccato mortali aliquis in inferno sit aeternaliter damnandus (9).




Igitur, novem in hac quaestione investiganda proponuntur.

*Primo.* Utrum animae damnatorum in inferno patiantur.

*Secundo.* Utrum ignis inferni sit corporeus.

*Tertio.* Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo.

*Quarto.* Utrum animae in inferno patiantur poenam damni.

*Quinto.* Utrum voluntas damnatorum sit obstinata in malo.

*Sexto.* Utrum poenae damnatorum sint aeternae.

*Septimo.* Utrum poenas inferni aliquando mitigari contingat.

*Octavo.* Utrum poenae damnatorum futurae sint aequales.

*Nono.* Utrum pro quolibet peccato mortali aliquis in inferno aeternaliter sit puniendus.

## Articulus I. — *Utrum animae damnatorum in inferno patiantur.*

**1. — Errores.** — Infernum existere, negaverunt olim, ex ethnicis Epicurus cum suis sequacibus, ex Iudaeis Sadducaei, ex christianis vero Gnostici necnon Socinianorum plures. Hodie vero communis est deistarum necnon atheorum vox, nulla post mortem impiis subeunda esse supplicia.

**2. — PROP. — Existit infernus, qui est locus summe poenalis.**

De *fide* est haec propositio quoad utramque partem; quae evincitur his Innocentii III verbis [1]: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus.* Pari-

1. Ep. *Maiores Eccl. causas,* a. 1201. D.-B., n. 410.

ter, in Concilio Lugdunensi II, sub Gregorio X [1] decernitur, *illorum animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Solemnis quoque est definitio Benedicti XII [2]: *Definimus... quod secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus crucientur.* Denique, in Concilio Florentino [3] idipsum solemniter repetitur.

**3. — Prob. ex Sacra Scriptura.** — In Veteri Testamento, de impiis expresse legitur [4]: *Vae genti insurgenti super genus meum, Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos; dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum:* quam foedam sensuum poenam, ait Tirinus [5], promerita fuit foeda carnis concupiscentia, eo modo quo carnis maceratio et mortificatio promeretur in beatis oblectationem corporalem sensuum externorum in caelo.

**4. — Natura inferni.** — Qualis autem iste sit inferni locus, pictis coloribus describit S. Iob [6]: *Antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat:* quae verba, etsi intelligi absolute possint de regione mortis, quae vulgi opinione tenebris, miseriis et horrore scatet, et in qua nulla aetatis, scientiae aut census ratio habetur [7], tamen, iuxta Patres, maxime S. Augustinum, ad infernum proprie dictum referuntur; ita quod

1. A. 1274, in prof. fidei Michaelis Palaeologi. D.-B., n. 464 — 2. Const. *Benedictus Deus*, 29 Ian., 1336. D.-B., n. 530. — 3. Decreto pro Graecis, 6 Iul., 1439. D.-B., n. 694. — 4. Iudith, XVI, 20, 21. — 5. Comment. in h. loc. — 6. X, 21, 22. — 7. TIRIN., in h. l.

Iob paululum requiei postularet, antequam illuc pergeret, quasi timeret ne, si in tanta miseria persisteret, damnaretur. Certe haec verba Iob.: *Antequam vadam*, etc., hoc sensu dicta accipienda sunt, quatenus optaret illuc non pergere; *quemadmodum*, ait S. Augustinus, *si dicamus alicui: Corrige te antequam damneris, non enim cum se correxerit damnabitur* [1].

Notandum, immutabilitatem status damnatorum demonstrari his verbis: *et non revertar:* aeternitatem vero poenarum his aliis: *sempiternus horror*. Ulterius, non deest in inferno ordo pertinens ad divinam iustitiam, quae impios pro peccatorum gravitate castigat; unde verba illa: *nullus ordo* designant carentiam dispositionis in illo loco secundum dignitatem.

Non incongrue Aligherius ex citato textu argumentum sumpsit poëtice describendi inferni locum [2]:

*Quivi sospiri, pianti ed alti guai*
*Risonavan per l'aer senza stelle,*
*Perch' io al cominciar ne lagrimai.*
*Diverse lingue, orribili favelle,*
*Parole di dolore, accenti d' ira,*
*Voci alte e fioche, e suon di man con elle,*
*Facevano un tumulto, il qual s' aggira*
*Sempre in quell' aria senza tempo tinta,*
*Come l' arena quando il turbo spira.*

**5. — Testimonia ex Novo Testamento deprompta.** — Nec minus eloquentia sunt quae in Novo Testamento prostant testimonia; quo maxime facit sequens locus [3]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*, ubi distincte duae poenae recensentur, scilicet, damni, seu privationis visionis Dei et gloriae caelestis, in eo quod dicit:

1. Annotationes in Iob, C. X, t. III, col. 636; cf. S. Gregor. Magn., l. IX Moral., C. 45. — 2. Inferno, Cant. III, 22, seq. — 3. Matth., XXV, 41.

*Discedite a me, maledicti;* et sensus, seu supplicii ignis aeterni, in eo quod additur: *in ignem aeternum.* Ad hoc etiam pertinet parabola de epulone divite, qui post vitam in luxuria et vitiis absumptam, in inferno sepultus, in igne poenas luit debitas [1]. Denique, ad idem refertur quod in Apocalypsi S. Ioannis legitur [2]: *Timidis,* quod est ex timore succumbentibus hosti et consentientibus peccato, *et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.* Pensanda sunt haec S. Ioannis verba, quibus singulis hisce vitiis, et non tantum omnibus simul, infernum minitatur: ex quo accipimus, quod uberius infra demonstrabitur, per unum solum peccatum mortale, hominem inferni poenas incurrere.

**6. — Quo nomine locus ille poenalis in Scriptura designetur.** — Ex citatis textibus colligi potest, pluribus nominibus locum hunc, ad quem damnati destinantur, designari: sic quippe, ex situ, dicitur infernus; ex materia unde torquentur, lacus aut stagnum aut torrens sulphuris [3], aut etiam ignis ardens et inextinguibilis [4]; ex horrore loci, gehenna [5].

Circa quod nomen (*Ge Hinnon,* idest vallis Hinnon, sic a nomine domini illius dicta), sciendum est olim sic nominatam fuisse vallem angustam ac profundam prope Hierusalem, in qua Iudaei idololatrae locum excelsum aedificaverant, cui nomen Topheth, ubi filios et filias idolo Moloch comburendo, sacrificabant. Quem locum pius rex Iosias polluit [6], immunditiis illuc proiectis hoc fine, ut ab impiis sacrificiis ibi offerendis illi desisterent: incassum tamen, cum illi abominabilem praxim continuarent,

1. Luc., XVI, 19, seq. — 2. Apoc., XXI, 8. — 3. Is., XXX, 33, etc. — 4. Ibid., XXXIII, 14; Matth., III, 12; Marc., IX, 43, etc. — 5. Matth., X, 28; Marc., IX, 12. — 6. 2 Reg., XXIII, 11.

igne ibidem perpetuo conservato, ad cadavera sordesque comburendum. *Tradunt Hebraei,* ait S. Hieronymus [1], *ex hoc loco appellatam gehennam, quia scilicet omnis populus Iudaeorum ibi perierit, offendens Deum. In quo loco etiam filios suos in igne idolis consecrarint, sive holocaustum obtulerint, quae non praeceperit eis, nec ulla legis iusserit sanctione.* Igitur, ab horrore loci ac igne perpetuo, locus impiorum castigationi deputatus dictus est gehenna, quae utique appellatio tempore Domini Nostri in communi usu erat penes Iudaeos.

7. — **Prob. ex traditione.** — Quod timor inferni inde a priscis temporibus in animis fidelium vigeret, clare evincitur ex eo quod praevaricatoribus poenam hanc haud dubitanter Patres minitantur. Huius rei insignis testis est, ex antiquioribus, S. Ignatius qui ita ad Ephesios scribit [2]: *Ne erretis, fratres mei; familiarum perturbatores regnum Dei non haereditabunt. Si autem ii qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti, quanto magis, si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Iesus Christus crucifixus est? Talis inquinatus factus in ignem inextinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum.* Pariter, S. Iustinus martyr [3]: *Quem* (diabolum) *in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, et hominibus qui eum sequuntur, in aeternum puniendos, Christus ante significavit.* Sanctus quoque Augustinus [4]: *Supplicia terreant, quem praemia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur.* Denique solemnis vox est Ecclesiae [5]: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala in ignem aeternum.*

Interdum quoque leguntur martyres ex poenarum in-

1. L. II in Ierem., ad cap. VII, t. IV, col. 897. — 2. Epist., n. 16. Migne, t. V, col. 658. — 3. Apologia, I, c. 28. Ven., 1747, p. 62. — 4. Enarrat. in Ps. XLIX, n. 7, t. IV, col. 447. — 5. In Symb. Athanas.

ferni consideratione, animum sibi addidisse ad toleranda passionum tormenta, aut tentationum impulsus coërcendos. Sic quippe, in Epistola circulari Ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Policarpi, generatim de martyribus Smyrnensibus dicitur [1]: *Ad Christi gratiam attendentes, mundana tormenta spernebant; unius horae spatio se ab aeterna poena redimentes. Frigidus ipsis videbatur immanium carnificum ignis. Ob oculos quippe habebant illum effugere, qui aeternus est nunquamque extinguetur.* Et S. ipse Polycarpus, proconsuli ignem minitanti respondebat: *Ignem minaris, qui ad horae spatium ardet, ac paulo post extinguitur. Ignoras enim illum futuri iudicii et aeternae poenae ignem, qui impiis reservatur* [2].

**8. — Prob. rat. theologica.** — Porro haec veritas, quae quidem revelatione certissime constat, ratione quoque theologica facile demonstratur, consideratis scilicet divinis attributis, sapientia, iustitia, fortitudine et bonitate. Nimirum, in hoc manifestatur Dei *sapientia*, quod sicut iustis, qui videlicet in sui dilectione obierunt, praemium quodammodo infinitum in sui visione Deus decernit; ita reprobis, ob eorum a se aversionem, huiusmodi bonum, quod peccando contempserunt, denegat. Similiter *iustitia* divina per infernum manifestatur, quatenus ob offensam quodammodo infinitam, qualis in peccato continetur, Deus poenam, non quidem intensitate, sed duratione, pariter infinitam decernit. *Fortitudinem* quoque vel omnipotentiam Dei demonstrat infernus, quem solum agens infinitae virtutis potuit e nihilo educere et in aeternum conservare, et in quo poenarum acerbitas declarat celsitudinem divinae laesae maiestatis. Demum *amor*

1. Epist. de Mart. S. Polycarpi, n. 2. RUINART, Acta Martyrum, p. 33. Veronae, 1731. — 2. Ibid., n. 11, p. 35. Similia legere est in actis S. Iulii, S. Felicitatis et filiorum eius, S. Maximi, etc. Vide RUINART, Acta Martyrum, passim.

vel bonitas Dei manifestatur in inferno, tum quia ipsa poena procedit ex amore boni et iustitiae, tum quia Deus citra condignum damnatos punit [1], tum denique quia exhibitio huiusmodi poenarum potentissimum evadit medium ad homines in ordine iustitiae efficaciter continendos [2].

**9. — Confirmatur ex consensu gentium.** — Nimirum, nullam unquam nationem adeo barbaram ac incultam, sive apud Orientem, sive in Septentrionali Europae plaga, sive in America aut Australia, reperire fuit, apud quam non viguerit fides tum in animae immortalitatem, tum in existentiam alicuius loci ubi impii diras poenas luant: quae quidem fides, etsi pluribus fuerit erroribus permixta, disertum tamen existit vestigium primaevae cuiusdam revelationis, cuius reliquiae apud omnes gentes permanserunt, simulque argumento est veritatem hanc naturali rationis lumini haudquaquam contradicere [3].

**10. — Quaestio.** — *Utrum inferni existentia probari possit ratione naturali?*

*Resp.* Negative. Licet enim ratio sat evidenter ostendat, consonum esse hominem vita functum mercedem vel poenam aliquam pro meritis accipere, tamen quod poena huiusmodi proprie in inferno sit luenda, nonnisi fide divina patescit. Nonnisi enim ex revelatione accipimus, tum esse aliquem specialem locum torquendis iniquis deputatum, tum horum poenas specifice esse ignem et privationem beatificae visionis, tum denique tormenta huiusmodi in aeternum esse duratura. Hinc est quod S. Paulus ait [4]: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

1. 1, Quaest. XXI, art. 4, ad 1m. — 2. Vide versus Aligherii superius relatos, prol., n. 2. — 3. Cf. Bernard. Jungmann, Tr. de Novissimis, ed. 2a, p. 28. — 4. Hebr., XI, 6.

ARTICULUS II. — *Utrum ignis inferni sit corporeus* [1].

**1. — Errores.** — Ignem inferni non esse proprie, sed metaphorice dictum, aut esse ignem imaginarium, posuerunt ex veteribus nonnulli, ut Origenes, qui more suo in interpretationem spiritualem Sacri Textus hac etiam in re nimium propensum sese exhibuit; quem secuti sunt, media aetate, Ambrosius Catharinus [2], necnon Novatores, Calvinus et Beza, qui aperte inficiati sunt ignem inferni esse vere corporeum. Hisce modernorum plures, in rationalismum proclives, assensi fuisse perhibentur [3].

**2. — PROP. — Oportet admittere ignem inferni esse verum ignem corporeum.**

Licet deficiat hac super re expressum Scripturae testimonium aut Ecclesiae definitio, sententia tamen quae tenet ignem inferni esse verum ignem corporeum, tanquam certa et catholica retinenda est, adeo ut clariores theologi doceant temerarium esse aliter sentire [4]. Huc facit declaratio S. Poenitentiariae, quae quaerenti, utrum *poenitentes qui in inferno solum ignem metaphoricum, non autem realem agnoscunt, absolvendi sint,* respondit [5], *huiusmodi poenitentes diligenter instruendos esse, et pertinaces non esse absolvendos.*

**3. — Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Re quidem vera, tales a Sacra Scriptura proprietates igni infernali

1. S., Quaest. XCVII, art. 5. — 2. De bonorum praemio et supplicio malorum aeterno. — 3. Ad horum placitum prope accedit quod scribit IER. BONOMELLI, dum poenam damnatorum admittere videtur solum ab intrinseco profectam: *Come il peccato nasce nell' anima e dall'anima si riflette nel corpo, così la pena dell'inferno nasce nell'anima e dall'anima si riverbera nel corpo.* Il giovane studente istruito e difeso nella Dottrina crist., p. I, p. 541, VII ed. — 4. Cf. inter alios SUAREZ, de Angelis, l. VIII, cap. 12, n. 9. — 5. 30 April., 1890.

assignantur, quae nonnisi igni materiali competunt: sic quippe legimus [1]: *Pones eos ut clibanum ignis,... et devorabit eos ignis;* rursusque [2]: *Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos;* et iterum [3]: *Ecce Dominus in igne veniet,... reddere... increpationem suam in flamma ignis;* praeterea [4]: *Ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit;* iterum [5]: *Mittent eos* (angeli) *in caminum ignis;* denique [6]: *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.*

4. — **Traditio.** — Ignem inferni vere corporeum esse, disertis plurium Patrum testimoniis comprobatur. Imprimis audiatur Minucius Felix, qui, in suo *Octavio,* in quo ea quae a Christianis communiter tenebantur, proponit, ait [7]: *Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt; sicut ignes Aetnaei montis et Vesuvii montis et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Citari etiam potest Arnobius († 327), sic paganos redarguens, et ad eorum traditiones provocans [8]: *Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deiici... cognovimus. Quid? Plato idem vester, in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem... nominat, in quibus animas asseverat volvi?*

5. — **Scholion.** — Cum hoc tamen stat, negari non posse, a nonnullis Patribus, in incerto relictum fuisse, utrum ignis infernalis dicendus sit proprie materialis, an

1. Ps., XX, 10. — 2. Ibid., CXXXIX, 11. — 3. Is., LXVI, 15. — 4. Ierem., XV, 14. — 5. Matth., XIII, 42. — 6. Apoc., XIX, 20. — 7. Octav., c. 35. — 8. L. II, Adv. Gent., c. 14.

sufficiat ut ponatur metaphoricus: sive quod difficile illi intellexerint corpus in animam intellectivam agere posse, sive quod in uno eodemque loco Scriptura et ignem et vermem commemoret; et cum ab omnibus admittatur vermem spiritualiter dici, similiter videretur idipsum de igne concludendum.

His tamen non obstantibus, nequit absolute dici, a praefatis Patribus aperte negari materialitatem ignis inferni, sed potius rem ab eis academice in utramque partem agitatam fuisse, et nonnisi serius hanc veritatem expresse fuisse expositam atque propugnatam: in quo quidem insigne exemplum habemus eius quod progressus in dogmate vocatur [1].

**6. — Prob. rat. theol.** — Cum ignis corporeus convenientissimum instrumentum sit corporibus cruciandis, hinc apte intelligitur assumptus ad torquenda damnatorum corpora; unde de igne, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, S. Thomas dicit quod oportet asserere illum esse corporeum, *quia corpori non potest convenienter adaptari poena, nisi sit corporea* [2]. Similiter S. Gregorius [3], ex hoc ipso probat ignem inferni esse corporeum, quod reprobi, post resurrectionem, in eum detrudentur; et S. Augustinus [4] confitetur ignem illum, quo cruciabun-

1. Patres, qui de materialitate ignis infernalis dubitasse videntur, sunt potissime sequentes: S. Gregorius Nyssenus (De anima et resurr. col. 803); S. Ambrosius (In Luc., l. VII, nn. 204, seqq.; t. III, col. 247); S. Ioannes Damascenus (Dial. contra Manich., n. 36, t. I, p. 446; de Fide orth., l. IV, c. 27, p. 304); S. Hieronymus (In Isa. Cap. 66, v. 24, col. 829, t. IV; ib. Cap. 30, v. 30, col. 421; ib. Cap. 14, v. 7, col. 250); S. Augustinus (De Civitate Dei, lib. XXI, cap. 9, 10, col. 629, t. VII): at quod sanctus hic praesul propenderit in eam sententiam quae nunc in scholis obtinet, sat aperte constat ex eo quod scribit (Ibid., l. XXII, c. 10): *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi?* — 2. Suppl., Quaest. XCVII, art. 5. — 3. L. IV Dialog., c. 29. — 4. L. XXI de Civ. Dei, c. 10. Habetur in 4, Dist. XLIV.

tur corpora, esse corporeum. — Atqui ex auctoritate Sacrae Scripturae habemus [1], ignem illum communem esse daemonibus, adeo ut eodem igne corporeo et homines damnati et daemones crucientur. Idipsum ergo dicendum est de animabus separatis ante diem iudicii, cum istae, non secus ac daemones, sint incorporeae et communis sit utrisque inferni locus.

7. — **Solvitur tacita difficultas.** — Corporalia, quae de praemiis beatorum in Scripturis leguntur, spiritualiter intelligi debent, ut patet de promissione ciborum et potuum. Ergo pariter corporalia, quae circa poenas statuuntur, spiritualiter intelligenda sunt.

*Resp.* Nego paritatem; quaedam enim corporalia, quae Scriptura peccantibus comminatur in poenam, corporaliter debent intelligi et quasi proprie dicta. Ratio autem differentiae est, quia non convenit quod natura superior per usum inferioris praemietur, sed magis quod praemietur per hoc quod superiori coniungitur; punitur autem convenienter natura superior per hoc quod cum inferioribus deputatur [2]. — Cum hoc tamen stat quaedam quae de damnatorum poenis in Scriptura corporaliter dicta leguntur, spiritualiter accipi debere, ac veluti per similitudinem: cuiusmodi est *vermis*, de quo inferius dicetur. Ceterum, distinctio institui debet inter damnatos ante et post resurrectionem, quando videlicet corpora resument.

8. — **Fletus, stridor dentium ac tenebrae exteriores.** — Certe si sermo sit de damnatis post resurrectionem, corporaliter intelligenda sunt fletus, stridor dentium ac tenebrae exteriores, quae expresse in Scriptura commemorantur.

Et primo quidem, quod damnatis in inferno futurus sit *fletus* ac *stridor dentium,* apposite ait Dominus No-

1. Matth., XXV, 41. — 2. C. Gent., l. IV, c. 90.

ster [1]; at huiusmodi in substantiis spiritualibus, ait Angelicus [2], *nonnisi metaphorice intelligi possunt; quamvis in corporibus damnatorum, post resurrectionem, nihil prohibeat corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum et capitis, prout in fletibus esse solet.*

Pariter, de *tenebris exterioribus,* id est, extra caenaculum existentibus, in qua ex Domini sententia conviva veste nuptiali carens proiicitur [3], tenendum est illas, ante diem resurrectionis, spiritualiter dici, eo modo quo lux dicitur, quae facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem [4]: ut sensus sit, veritates in mente damnatorum obfuscari, eosque illa iucunditate privari, quam purae et serenae lucis possessio in anima iusti producit: post resurrectionem vero, tenebrae etiam corporales existent.

9. — **Solvitur difficultas.** — S. Ioannes Damascenus ait [5]: *Tradetur diabolus, et daemones, et homo eius, scilicet Antichristus, cum impiis, et peccatoribus in ignem aeternum, non materialem, qualis est qui apud nos est, sed qualem novit Deus,* εἰς τὸ πῦρ αἰώνιον, οὐχ ὑλικὸν οἷον τὸ παρ᾽ ἡμῖν, ἀλλ᾽ οἷον ἂν εἰδείη ὁ Θεός.

*Resp.* S. Damascenus hic non negat simpliciter illum ignem materialem esse, sed vult eum non sic materialem esse qualis apud nos est, eo quod quibusdam proprietatibus ab hoc igne distinguitur. — Vel dicendum quod, quia ignis ille non materialiter alterat corpora, sed quadam spirituali actione agit in ea et etiam in animam separatam necnon in daemones ad punitionem, ideo dicitur non esse materialis, non quasi materialis non sit quantum ad

1. Matth., XIII, 42, 50. — 2. C. Gent., loco cit. — 3. Matth., XXII, 13. — 4. 1, Quaest. LXVII, art. 1. — 5. L. IV Orthod., c. 27, p. 304.

substantiam, sed quantum ad punitionis effectum in corporibus, et multo amplius in animabus [1].

**10. — Quaestio I.** — *Utrum ignis inferni sit eiusdem speciei cum igne nostro?*

*Resp. Affirmative:* quocumque enim modo ignis inveniatur, ait S. Thomas [2], semper est idem in specie, quantum ad naturam ignis pertinet [3], licet sit diversitas quantum ad modum quo explicatur: quo modo flamma et carbo differunt, et similiter lignum igneum et ferrum ignitum, et praeterea quaedam habent in se ignis principium, ut sulphur, quaedam vero ab extrinseco, ut in ferro patet. Quonam autem ex his modis ignis inferni succendatur et succensus perduret, definiri non potest. — Id unum tamen notari oportet, illum ignem pluribus ab igne

1. S., Quaest. XCVII, art. 5, ad 1m, fere ad litt. — 2. Ibid., art. 6. — 3. Opportune hic notabitur, perperam, ex hoc quod ignis inferni agit in animam, concludi illum necessario differre ab igne nostro: agit enim per modum alligationis, ut dicetur, quo modo etiam ignis noster agere potest: unde non ita rectum est quod legimus in Manuel Biblique, t. III, p. 759, Paris, 1910 : *Un feu qui agit directement sur les esprits, diffère nécessairement du nôtre:* nisi hic solum accidentalis differentia intendatur. — Nec ex hoc quod theoria de quatuor elementis inventa est falsa, rite deducitur inferni ignem nostro dissimilem existere, cum probe stet id quod de proprietatibus ignis inferni dicitur, quaecumque demum sit eius natura: unde non est probandum quod habet ATZBERGER in Handbuch der Kathol. Dogmatik, IV B, Freiburg in B., 1903, p. 336 : *Wenn man aber auch daranfestzuhalten hat, dass das Höllenfeuer ein eigentliches Feuer ist, so soll damit doch keineswegs gesagt sein, dass es ganz dieselbe Natur wie unser irdisches Feuer habe. Vor allem ist es nicht eines jener vier Elemente, woraus nach der irrthümlichen Lehre der Alten die körperlichen Dinge bestehen sollen. Man kann ferner kaum annehmen dass es durch einen Gegenstand erzeugt werde, welcher verbrennt, weil sonst Gott fortwährend auf wunderbare Weise ihm neue Nahrung zuführen müsste. Am besten nimmt man vielleicht an, irgend eine Materie, sei es eine entsprechende Masse von ponderablem Stoffe, oder ein bestimmter Theil des Aethermeeres, befinde sich (durch Gottes Kraft) dauernd in einem derartigen Zustand der Bewegung der kleinsten Theile, dass dadurch eine bestimmte sehr grosse Zahl von Hitzegraden bewirkt wird.*

nostro discriminari: nam, *primo,* ignis noster est a Deo tanquam naturae auctore, ignis autem inferni a Deo est, tanquam summo peccatorum iudice ac vindice; *secundo,* prior ignis indiget elementis chimicis ut succendatur atque nutriatur, alter vero ignis solo Dei flatu fovetur; *tertio,* ille lucet, hic autem tenebris obvolvitur; *quarto,* ille inflammando dissolvit et consumit, hic vero urit nec tamen destruit; *quinto,* ille minui aut extingui potest, hic autem in aeternum perdurabit [1].

**11. — Quaestio II.** — *Utrum ignis inferni sit sub terra?*

Huic quaestioni responderat olim S. Augustinus [2]: *In qua mundi vel rerum parte* (ignis) *futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit;* et S. Gregorius Magnus [3]: *Hac de re temere definire non audeo; nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt; alii vero hunc sub terra esse existimant;* addit vero [4]: *Quid obstet, non video, ut infernus esse sub terra credatur,* quod est intra terrae viscera.

Hanc vero opinionem S. Gregorius probabiliorem esse ostendit, *primo,* ex ipsa nominis ratione, sic dicens: *Si idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet, quod terra a caelo est, hoc esse debet infernus a terra;* — *secundo,* ex hoc quod dicitur [5]: *Nemo poterat, neque in caelo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum;* ut hoc quod dicitur *in caelo,* referatur ad angelos, hoc quod dicitur *in terra,* referatur ad homines viventes in corpore, hoc quod dicitur *subtus terram,* referatur ad animas existentes in inferno. — S. Augustinus etiam [6] duas rationes tangere videtur, quare congruum

1. S. Thom., l. cit. — 2. L. XX de Civ. Dei, c. 16, t. VII, col. 593; habetur 4, Dist. XLIV. — 3. L. IV Dialog., c. 42, t. I, pag. 1058. — 4. Ibid. — 5. Apoc., V, 3. — 6. Lib. XII super Gen. ad literam, *cap. 34, circ. med.,* t. III, col. 322.

sit infernum esse sub terra: *una* est, ut quoniam defunctorum animae carnis amore peccaverunt, hoc eis exhibeatur, quod ipsi carni mortuae solet exhiberi, ut scilicet sub terra recondantur: *alia* est, quod sicut est gravitas et levitas in corporibus, ita est tristitia et laetitia in spiritibus: unde *sicut secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora:* et sic sicut conveniens locus gaudio electorum est caelum empyreum, ita conveniens locus tristitiae damnatorum est infimum terrae [1].

His igitur omnibus sedulo perpensis, concludit Angelicus Doctor [2], convenientius his, quae in Scriptura dicuntur, esse, ut agnoscatur infernus esse sub terra, cum id innuere videantur innumera Scripturae loca [3]. Ceterum, existimanti ea quae de inferni loco sunt dicta incerta manere, probanda certe videbitur illa S. Chrysostomi sententia [4]: *Ne igitur quaeramus ubi sit* (gehenna), *sed quomodo eam fugiamus.*

**12. — Solvitur difficultas.** — Corpora locum replent. Atqui in igne inferni, omnia corpora damnatorum post diem iudicii cruciabuntur. Ergo cum futura sit maxima multitudo damnatorum, quia *stultorum infinitus est numerus* [5], maximum oportet esse spatium, in quo ignis ille continetur; sed inconveniens videtur dicere, infra terram esse tantam concavitatem.

*Respondet* Angelicus, quod infernus nunquam deficiet in amplitudine, quin sufficiat ad damnatorum corpora capienda; infernus enim, inter tria insatiabilia ponitur [6]:

1. S. Thom., S., Quaest. XCVII, art. 7. Cf. S. Augustin., L. II Retract., c. 24. — 2. L. cit. — 3. V. gr., Is., XIV, 9; Luc., XVI, 22; Apoc., V, 3; Cf. Matth., XII, 40; Iob., XXI, 13; etc. — 4. Homil. XXXI, in Ep. ad Rom. n. 5, pag. 103. — 5. Eccl., I, 15. — 6. Proverb., XXX, 16.

nec est inconveniens, quod intra viscera terrae tanta concavitas conservetur divina virtute, quae damnatorum omnium corpora possit capere [1].

### Articulus III. — *Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo* [2].

**1. — Sententiae non probandae.** — Cum ignem inferni corporeum esse dixerimus, haud levis instat difficultas, quo pacto animam humanam, quae substantia est spiritualis, affligere possit: ad quod explicandum alii alias vias ingressi sunt. — Et primo quidem aliqui dixerunt animam ab igne pati, eo ipso quod ignem videt: at hoc non videtur sufficere: quia quodlibet visum, ex hoc quod videtur, est perfectio videntis; unde non potest in eius poenam cedere inquantum est visum; sed quandoque est punitivum vel contristans per accidens, inquantum scilicet apprehenditur ut nocivum; unde oportet quod praeter hoc, quod anima ignem illum videt, sit aliqua comparatio animae ad ignem, secundum quam ignis animae noceat.

Alii igitur dixerunt quod, quamvis ignis corporeus non possit animam exurere, tamen anima apprehendit ipsum ut nocivum sibi, et ad talem apprehensionem afficitur timore et dolore: at hoc iterum non videtur sufficere, quia secundum hoc passio animae ab igne esset solum secundum apprehensionem et non secundum rei veritatem; nec est supponendum quod animae separatae vel daemones, qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur [3].

1. S., Quaest. XCVII, art. 7. — 2. S., Quaest. LXX. art. 3. — 3. Loco cit.

2. — **Duplex ignis consideratio.** — Quapropter alii, admittentes quod revera anima separata ab igne corporeo gravatur, edixerunt illum dupliciter posse considerari: uno modo, secundum quod est res aliqua corporea, alio modo secundum quod est instrumentum divinae iustitiae vindicantis. Porro, recolendum est, omne instrumentum duplicem habere actionem in id circa quod operatur: unam, secundum propriam formam, alteram, secundum quod movetur a principali agente; immo, exercendo propriam actionem, efficit secundam, seu communicat in operatione principalis agentis, sicut aqua lavando corpus in baptismo, sanctificat animam, et serra secando lignum, producit formam domus. — Quae cum ita sint, sponte prodit

3. — PROP. — **Anima separata torquetur ab igne, in quantum ignis illam detinet, tanquam instrumentum divinae iustitiae vindicantis.**

**Prob.** — Anima separata, prout superius dictum est, est in loco eo modo quo hoc spiritibus competit: scilicet, non ut forma informans materiam, sed in quantum in tali loco definitur, ut dum ibi existit, in alio loco esse non possit. Porro, quamvis res corporea ex sua natura habeat, quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex sua natura habet quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, ut ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non possit, cum spiritus non sit ita in loco naturaliter, ut loco subdatur; sed quod sic detineat spiritum, superadditur igni corporeo, in quantum instrumentum est divinae iustitiae vindicantis, ut sic locus ille efficiatur ei poenalis, retardans spiritum ab executione propriae voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult. Revera, *ea quae sunt contraria voluntati et appetitui, affligunt, et magis interdum quam ea quae sunt dolorosa secundum sensum; praeeligeret enim aliquis verberari et graviter secundum*

*sensum affligi, quam vituperia sustinere, vel aliqua huiusmodi, quae voluntati repugnant* [1].

Igitur, ex natura quidem sua ignis habet, ut spiritus incorporeus ei possit coniungi ut loco locatum; sed quod ipsum quodammodo retineat alligatum, hoc habet in quantum est instrumentum divinae iustitiae vindicantis, ut quia anima per culpam se corpori subiecit per pravam concupiscentiam, in poenam subiiciatur rei corporeae per passionem, *a quo* enim *quis superatus est, huius et servus est* [2]. Duplex ergo distingui potest causa afflictionis animae separatae ex igne provenientis: una remota, scilicet violenta eius alligatio ad hoc elementum; altera proxima, apprehensio huius alligationis: unde vere spiritus damnatorum in carcere detrudi dicuntur.

Cum hoc etiam sedulo recolendum, nil animae carius esse libertate, pro qua libenter homo caeteris bonis valedicit, iuxta illud:

*Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes,*
*Sit modo libertas, quae velit ira, loqui* [3].

Quocirca maximum sacrificium quod homo Deo offerre potest, est libertatis abrenunciatio, et Dominus Noster iustis praemium pollicitus est, una cum veritatis assecutione, libertatem [4]: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Ex hoc deduci debet, quanta sit animae, in libertatem natae, miseria, ex eo quod se sentiat tali carceri ac tam exosae latumiae [5] perenniter alligata.

**4. — Auctoritates.** — Et hoc est quod apud S. Augustinum legitur, cum ait [6] quod sicut anima, in hominis

1. Quaest. Disput. de Anima, art. 21. — 2. 2 Pet., II, 19. Opportune etiam Angelicus (1. Quaest. LXIII, art. 8): *Habet enim hoc ordo divinae iustitiae, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in poena.* — 3. PROPERTIUS, Eleg. I ad Tull., v. 27, 28. — 4. Io., VIII, 32. — 5. Hoc est lapicidinae, seu loco caesis lapidibus exsecto: quo nomine primo syracusanus carcer, tum ipsi romani carceres appellati sunt. — 6. L. XXI de Civ. Dei, c. 10.

conditione iungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale et hoc corporale, et ex illa coniunctione vehementer concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, ut accipiens ab eo poenam, et ex illa coniunctione concipit horrorem. Praeterea S. Gregorius Magnus [1] ordinatim exponit ignem veraciter esse spiritui nocivum, in quantum illum contra voluntatem alligat, et ex hac apprehensione, animam ab igne veraciter cruciari [2]. Similiter S. Bonaventura ait [3]: *Quod ignis animae indissolubiliter alligetur, et anima in eo recludatur ut in carcere, divinae iustitiae est, ad quam spectat malefactorem in carcere recludere.*

**5. — Solvitur tacita difficultas ex S. Augustino.** — Quod si S. Augustinus ait [4]: *Non sunt corporalia, sed corporalibus similia, quibus animae corporibus exutae afficiuntur, seu bene, seu male,* — hoc, ait S. Thomas [5], intelligendum est, vel quod S. Augustinus loquatur inquirendo, cum alium modum ponat determinando, ut supra diximus, vel quod ea quibus anima proxime afficitur ad dolorem vel tristitiam, sunt spiritualia: *non enim affligeretur, nisi ignem ut nocivum sibi apprehenderet: ignis ergo apprehensus est proximum affligens, sed ignis corporeus extra animam existens est affligens remotum,* ut dictum est supra.

**6. — Quaestio.** — Quaerenti autem quomodo anima separata, vel etiam angelicus spiritus igne corporeo ita poenaliter retineatur, ut libertatem alio pergendi amittat, *responderi* potest, hoc fieri, quatenus in igne,

1. L. IV Dialog., cap. 29. — 2. Exhinc falsum est quod ait Ios. Turmel (Histoire de la théol. positive depuis l'origine, jusqu'au Concile de Trente. L'Eschatologie, p. 190): *A la fin du sixième siècle, le pape saint Grégoire donna à la doctrine du feu matériel une adhésion ferme et sans restriction, mais il négligea de la motiver.* — 3. 4, Dist. XLIV, P. II, a. 3, Quaest. II. — 4. L. XII Sup. Gen. ad litt., c. 32. — 5. Ad 1m.

tanquam in instrumento divinae vindictae, qualitas quaedam inducatur, substantiam spiritualem ligans ac eam impediens, ut ait S. Thomas, *a quadam naturali libertate, qua est absoluta ab omni obligatione ad locum corporalem*[1]: quae quidem qualitas concipi potest ad modum proportionis cuiusdam, qualis est, utique in alio ordine, proportio animae humanae ad corpus proprium. Nec hoc irrationabiliter dicitur, cum ad generalem oeconomiam divinae Providentiae pertineat effectus permanentes, sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae, non producere, nisi mediantibus quibusdam formis seu principiis proximis rei proportionatis.

7. — **Scholion.** — Cum hoc tamen stat, minime debere admitti, quemadmodum Suarez[2], Jungmann[3], aliisque visum est, igni inferni inditam esse ex divina virtute vim quamdam supernaturalem doloriferam, qua spiritus damnatorum miro modo torqueantur. *Id sane fieri potest,* ait Jungmann[4], *immissa turpi quadam dispositione ipsi naturae valde ingrata, ex qua cruciatus spiritualis provenit. Quamvis vero Deus hac in re nullo agente materiali indigeat, tamen eodem ut instrumento utitur, quo magis superbi spiritus deprimantur ac torqueantur, dum ipsi materiae subiiciuntur. Potest porro concipi, illum dolorem spiritualem ab igne ut instrumento supernaturali productum, analoga ratione respondere illi affectioni, quam ignis in corpore animato producit, adeoque ex harmonia quadam rerum rationem aliquam insinuari, cur Deus ad cruciandos spiritus igne potius quam alia re materiali uti voluerit.*

Hoc, inquam, nullatenus admitti potest. Esto enim Deum

1. Quaest. disp. De anima, art. 21, ad 17m. — 2. De Angelis, l. VIII, c. 14, nn. 47, 48. — 3. De Novissimis hominis, de exist. poenisque inferni, pp. 34, 35. — 4. Loco cit.

uti posse creaturis etiam materialibus ad effectus spirituales producendos, quemadmodum videre est in sacramentis, quae licet res materiales sint, operantur tamen instrumentaliter ad gratiae productionem, tamen hoc supponit et in instrumento operationem effectui producendo adaptatam, et in suscipiente capacitatem effectum illum recipiendi. Atqui anima separata vel spiritus angelicus capax non est passionis cuiuscumque corporalis; sed solum potest, in virtute suae ad mundum corporeum relationis, alligari materiae corporali. Ergo nequit Deus uti igne corporeo ad producendam in spiritu passionem dolorosam, sicut etiam nequit Deus facere ut oculus corporeus videat spiritualia, puta divinam essentiam [1].

Quomodo autem ignis inferni acturus sit in corpora damnatorum, uberius tradetur infra [2], nimirum hoc erit

1. Cf. tr. DE DEO, P. I, Quaest. XII, art. 3, n. 4, p. 403. Videri de hac re potest LESSIUS, De perfection. divinis, l. XIII, c. 30; VASQUEZ, in 1 Part., disput. 243, c. 5. Recentiori tempore Dr. LEONHARD ATZBERGER, continuator M. Ios. SCHEEBEN, sententias Schmid et Gutberlet resumens, novam viam aperire contendit, qua intelligi valeat animam separatam ab igne infernali torqueri. *Man kann noch weiter gehen,* ait ille (Handbuch der Kathol. Dogmatik, IV B, p. 839. Freiburg im B. 1903), *und sagen, dass der durch das Höllenfeuer in den Geistern verursachte Schmerz dem Wesen nach wirklich ein physischer Schmerz ist. Denn auch bei jedem sonstigen physischen (sinnlichen) Schmerz wird die Seele des Menschen (ganz ähnlich wie beim Höllenschmerz) in einen bestimmten Bewegungs-oder Schwingungszustand versetzt. Regelmässig ist damit allerdings auch eine Reizung irgendwelcher sensorischer Nerven verbunden. Es scheint jedoch aus der neueren Erklärung des Wesens der Dissonanz und Consonanz zweier oder mehrerer Töne hervorzugehen, dass es ein wahres sinnliches Gefühl und einen wahren sinnlichen Schmerz geben könne, der durch blosse Bewegungszustände der Seele erzeugt wird.* — Nimirum, talis sententia incompatibilis omnino est cum natura pure spirituali animae separatae. Ceterum, periculosa semper res est, ex iis quae in physica noviter deducuntur, conari probare dogmata fidei nostrae, quae altius longe fundamentum habent, quam tota natura subministrare possit: experientia vero docet, huiusmodi explicationibus fidem nostram potius incredulorum irrisioni exponi, qui censent nos ob tam levia momenta revelatis veritatibus assentiri. — 2. Quaest. IX, art. 3, n. 6.

illa torquendo passione intentionali, non autem passione naturae, cum corpora tunc futura sint incorruptibilia.

**8. — Difficultates solvuntur.** — I. Agens semper nobilius est patiente. Atqui nullum corpus est anima separata nobilius. Ergo anima separata pati nequit ab igne corporeo.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Simpliciter et secundum se, *conc.;* secundum quod est instrumentum divinae iustitiae, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis anima humana sit simpliciter igne nobilior, ignis tamen, in quantum est instrumentum divinae iustitiae, est secundum quid nobilior anima [1].

II. Omne agens corporeum agit per contactum. Atqui nequit esse contactus ignis corporei et animae. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Per contactum vel quantitatis vel virtutis, *conc.;* semper per contactum quantitatis *nego. Contradist. min.* Nequit dari contactus quantitatis, inter animam et ignem, *conc.,* contactus virtutis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis non sit contactus corporalis inter animam et corpus, est tamen contactus virtualis; quo modo etiam motor caeli, cum sit spiritualis, spirituali tactu tangit caelum, ipsum movens, per modum quo dicitur contristans tangere, et hic modus sufficit ad actionem [2].

**9. — Quaestio.** — *An damnati in inferno sola poena ignis affligantur?*

*Resp.* Hoc habet ordo divinae iustitiae ut peccatores, qui ab uno Summo Bono recesserunt et in rebus materialibus, quae multae sunt ac variae, finem suum collocaverunt, ex multis et multipliciter affligantur. Unde non solum poenam ignis patientur, cui coniuncta erunt fletus, stridor dentium ac tenebrae exteriores, de quibus supra diximus, sed quidquid etiam ignobile est in elementis, in infernum proiicietur ad eorum poenam, se-

1. Ad $2^m$. — 2. Ad $7^m$.

cundum S. Basilium [1], ut sic ex omnibus creaturis tormentum damnatis accrescat, secundum illud [2]: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos,* et [3]: *Ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Pariter de damnatis dicitur [4]: *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium,* ad significandum quod nullum eis refrigerium praestabit poenarum vicissitudo aut varietas, quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis a sua pristina naturali dispositione, sed per actionem spiritualem, secundum quod sensibilia agunt in sensum prout sentiuntur, imprimendo formas illas secundum esse spirituale vel intentionale in organum, et non secundum esse materiale [5].

**10. — Scholion.** — Quia igitur reprobi corporis sensibus abusi sunt, merito infertur illos varia in his omnibus tormenta passuros, ita ut fame, siti, frigore, tenebris, foetore, in inferno crucientur. Quo faciunt illa Imitationis Christi [6]: *In quibus homo magis peccavit, in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgebuntur, et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur. Ibi luxuriosi et voluptatum amatores ardenti pice et foetido sulphure perfundentur, et sicut furiosi canes prae dolore invidiosi ululabunt. Nullum vitium erit quod suum proprium cruciatum non habebit. Ibi superbi omni confusione replebuntur, et avari miserrima egestate arctabuntur. Ibi erit una hora gravior in poena, quam hic centum anni in gravissima poenitentia.*

**11. — Gravitas tormentorum inferni.** — Porro, quidquid de igne inferni eiusque proprietatibus proferatur,

1. Serm. XIV de futuro iudicio, et Homil. I in Ps. XXVIII. — 2. Sap., V, 21. — 3. Ps. X, 7. — 4. Iob, XXIV, 19. — 5. S., Quaest. XCVII, art. 1. Ad huius doctrinae intelligentiam, prae oculis habendum est id quod docet S. Thomas de immutatione naturali et spirituali in sensibus. 1, Quaest. LXXVIII, art. 3. — 6. L. I, C. 24, nn. 3, 4.

certum est tormenta animabus corporibusque damnatorum, a divina iustitia inflicta, gravissima esse; cuius rei testis continenter est traditio. Sic quippe S. Ioannes Chrysostomus acerbitatem illarum poenarum describit [1]: *Etenim cum ignem audis, cave putes esse huic igni similem: hic enim quidquid corripit, devorat et absumit; ille vero quos semel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam desistit; ideoque inextinguibilis dicitur. Siquidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem, non ad honorem; sed ut perpetuum sit illius supplicii viaticum: id vero quam sit horrendum, nullo unquam potest sermone declarari... Quis enarraverit terrores a tenebris illis iniectos animis nostris? Quemadmodum ignis ille non consumit, ita neque lucet: alioquin non essent tenebrae. Perturbationem itaque nobis immissam, tremorem, resolutionem, stuporem, illud solum tempus declarare potest. Multa quippe illic variaque tormenta, cruciatuumque ingens procella undique immittitur in animam.*

Pariter S. Cyrillus Alexandrinus [2] loquens de statu damnatorum, ait: *Non est illam commemorare necessitatem; linguae non datur assequi cruciatus illic detentarum animarum. Ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur; clamant e profundis, at nemo flectitur; lamentantur, et nullus eripit.* Denique, S. Augustinus ostendit quantae sint damnatorum poenae, his verbis [3]: *Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitae aeternae, ita nullus cruciatus poenarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.*

**12. — Utilitas considerandi et praedicandi poenas inferni.** — Ultimo loco advertimus, perutile esse hanc de in-

1. Ad Theodorum lapsum, l. II, n. IX, t. XXI, pp. 469, 470. — 2. Oratione de exitu animae. — 3. L. de Catechiz. rudibus, C. 24.

ferni poenis sensibilibus doctrinam fideli populo praedicare, ut confirmatur ex praxi insigniorum Sanctorum qui munus annuntiandi Dei verbum executi sunt, quique hoc potentissimo medio innumerabiles animas e barathro perditionis eruerunt.

Idipsum erui potest ex Catechismo Romano qui, de septimo articulo Symboli agens, cum de novissimis, et signanter de igne inferni verba fecisset, addit [1]: *Haec sunt quae pastores fidelis populi auribus saepissime inculcare debent: nam huius articuli veritas, fide concepta, maximam vim habet ad fraenandas pravas animi cupiditates, atque a peccatis homines abstrahendos.* Quapropter, inter perniciosissima aevi nostri mala, quae modernismi labes peperit, connumeranda venit illa multorum concionatorum agendi ratio, qui a poenis inferni e suggestu recensendis sese abstinent, sub vano praetextu dubium aut de ipsius inferni existentia aut de Dei misericordia in auditorum animis ingerendi.

Certe, vitandae semper et ubique sunt exaggeratae ac omni theologico fundamento carentes de inferno seu de alio quocumque dogmate descriptiones: stat tamen valde terribilia esse damnatorum tormenta, et magno caritatis argumento deberi, si quis amicum, a poenarum in quas, ni caveat, lapsurus foret, opportuna monitione terreat, ut illas evitare possit. Aliunde dubitatio de inferni existentia non descriptionibus quas de illo fecerint concionatores, sed alii valde diversae causae debetur, scilicet invadenti sensualitatis ac infidelitatis spiritui. Ceterum ob oculos habere debent sacri concionatores grave illud prophetae monitum [2]: *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?* [3].

1. P. I, de VII Sym. art., n. 11. — 2. Ierem., XXIII, 28, 29. — 3. Lugendum valde, in aliquo theologiae dogmaticae manuali, sacris concionatoribus consilium dari, ut a describendis poenis inferni se ab-

ARTICULUS IV. — *Utrum animae in inferno patiantur poenam damni.*

**1. — In quonam consistat poena damni.** — Poena damni intelligitur privatio visionis beatificae, ac per antonomasiam ita vocatur, quum nequeat immanior iactura fingi. De hac loquitur Catechismus Romanus cum, commentans verba Evangelii [1]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum,* ait [2]: *Prioribus illis verbis,* DISCEDITE A ME, *maxima poena significatur, qua impii plectendi erunt, quum a Dei aspectu quam longissime eiicientur; neque ulla spes eos consolari poterit, fore aliquando, ut tanto bono perfruantur; atque haec quidem a theologis poena damni appellata est, quod scilicet impii apud inferos divinae visionis luce perpetuo carituri sint. Quod vero additur:* MALEDICTI, *mirum in modum auget illorum miseriam et calamitates: si enim, quum a divina praesentia expellendi essent, aliqua saltem benedictione digni haberentur, hoc profecto magno eis solatio esse potuisset; at quoniam nihil huiusmodi ipsis expectandum est, quod calamitatem leviorem faciat, iure optimo, quum expellentur, divina iustitia eos omni maledictione persequetur.*

**2. — PROP. — Praeter poenam sensus, agnoscenda in inferno est poena damni, qua reprobi maximo dolore afficientur.**

---

stineant, ob timorem, ut dicitur, de illius existentia dubium in animis fidelium suscitandi, aut Deum tanquam crudelem tyrannum traducendi: quam revera vanus, imo perniciosus sit huiusmodi timor, demonstrat invadens infidelitas, praecise ex praetermissa de inferno consideratione et praedicatione orta.

1. Matth., XXV, 41. — 2. Pars I, de VII Symboli Art., n. 9.

**3. — Prob. ex S. Scriptura.** — Hanc poenam evidenter significatam legimus non modo verbis Scripturae superius relatis, sed etiam pluribus aliis locis, ut in hoc [1]: *Et dicet vobis: Nescio, vos unde sitis: discedite a me, omnes operarii iniquitatis;* quibus verbis aperte Dominus docet professionem nominis christiani haud prodesse, ad perennem cum Christo societatem ineundam, iis qui iniquitatem hic fuerint operati [2]. Cuiusmodi autem sint delicta hominem excludentia a consortio Christi, recenset S. Paulus [3]: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

**4. — Traditio.** — Idipsum traditionis voce constanter resonatur, cuius testis est, imprimis, S. Ioannes Chrysostomus, cum ait [4]: *A tantis excidisse bonis, tantum inferet doloris, afflictionis, angustiae, ut etiamsi nullum aliud esset supplicium peccatoribus destinatum, illud solum posset graviorem aliis gehennae cruciatibus inferre poenam animaeque perturbationem... Multi sane sunt, qui absurdo iudicio usi, a gehenna solum liberari peroptant; ego vero gehenna multo graviorem esse poenam puto, non assecutum esse gloriam illam, indeque excidisse; nec opinor, adeo lugendum esse de gehennae malis, ut de amisso caelorum regno; hic enim est cruciatus omnium acerbissimus.* S. quoque Augustinus scribit [5]: *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est*

1. Luc., XIII, 27. — 2. Cf. Ps. VI, 8; Matth., VII. 23. — 3. 1 Cor., VI, 9, 10. — 4. Ad Theodorum lapsum, L. II, nn. 9, 11, t. XXI, pp. 471, 474. — 5. Enchir., c. CXII. t. VI, col. 239.

*poena, ut nulla ei possint tormenta, quae novimus, comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quamlibet multis saeculis longa.*

5. — **Ratio theol.** — Quando in aliqua re salvatur operationis principium, etsi forsan defectus res ista habeat, isti reparabiles sunt; at si ipsum operationis principium subtrahatur, tunc talis defectus reparari nequit. Sic si, salvo principio visivo in homine, aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem; sed si corrumpatur principium visivum, reparatio visionis fieri non potest, nisi sola virtute divina. Atqui principium visionis divinae essentiae est intellectus, non simpliciter, sed lumine gloriae adiutus, elevatus ac transformatus, quod lumen gloriae sequitur, post mortem, ex divina ordinatione, gratiam sanctificantem in via. Ergo qui in gratia decedit, etsi aliqua forsan impedimenta habeat ne statim ad Dei visionem admittatur, ista tamen reparabilia sunt; at si decedat sine gratia, quae est nuptialis stola, seu si decedat onustus peccatis caritatem auferentibus, non potest ad divinae essentiae visionem admitti [1].

Porro, in visione beatifica consistit ultima hominis felicitas, tum quantum ad intellectum, qui in ista visione perfecte satiatur, tum quantum ad affectum, qui immobiliter in hoc bono quietatur, secundum illud [2]: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* — Consistit igitur extrema hominis miseria in hoc quod intellectus totaliter divino lumine privatur, et affectus a Dei bonitate obstinate avertitur [3]: et haec est poena damni, quae quidem essentialis est, *et consistit in separatione a Deo et dolore exinde proveniente* [4].

1. Cf. 1 2ae, Quaest. LXXXVII, art. 3. — 2. Ps. XVI, 15. — 3. S. Thom., Opusc. II, c. 174. — 4. De Malo, Quaest. II, art. 2, ad 8m.

**6. — Qua ratione damnati de Deo cogitabunt.** — Cum hoc tamen stat quod damnati de Deo cogitabunt, non tamen ita quod ista cogitatio eis cedat in gaudium. Nimirum, non de eo cogitabunt secundum quod est ei proprium, scilicet esse totius bonitatis principium, quae quidem cogitatio voluptate non vacat, sed solum in quantum ab eo puniuntur vel prohibentur sua libertate uti: quae quidem cogitatio eis in tristitiam cedet [1]. — Ubi notandum, perperam Mivart, ex eo quod damnati nequeunt cogitare de Deo ut auctore boni, deduci illos latere quid amiserint [2].

**7. — Quaestio.** — *Quomodo damnati poenam damni sentire possint, cum Deum per essentiam nusquam viderint?*

*Resp.* Licet damnati Deum per essentiam videre nusquam potuerint, nam digni non sunt tanto beneficio, et aliunde videns habitualiter Deum per essentiam amplius peccare nequit, tamen quanta sit huius visionis amissio, multipliciter, etsi non adaequate, cognoscere valent. Primo enim videre possunt, et in resurrectione propriis cernent oculis, ineffabile gaudium beatorum, illud cum extrema sua miseria sponte comparantes; in quo gaudio, quasi reflexe deducere possunt quanta sit in Dei visione voluptas percipienda.

Ulterius animadvertendum est, animam a corpore separatam, perfectius videre Deum naturali modo, quam illum nos in hac vita videamus: scilicet, Deum nunc videmus ex effectibus visibilibus, anima vero post mortem Deum videt in seipsa, in quantum est quodammodo speculum illum repraesentans, sicut etiam angeli Deum in sua essentia

1. S., Quaest. XCVIII, art. 8. — 2. *According to St Thomas the damned cannot think of God as Auctor boni. If so, they must at least be unconscious of what their loss really is.* XIX^th Cent., n. 194. April, 1893, p. 643. n. 9. Cf. opusc. DELL'ANIMA UMANA SEPARATA DAL CORPO, 2a ed., p. 105.

naturaliter vident. At visio ista naturalis non est nisi visio Dei indirecta, ex qua tamen quodammodo ascendere potest anima ad cognoscendum quanta sit visio Dei facialis; insuper visio haec naturalis, pro anima damnati, non est fons beatitudinis, eo quod intime connectitur cum attributo inexorabilis iustitiae: videlicet Deus ille, quem anima in seipsa cernit, semper ulciscetur in ea iniurias ab ea sibi in vita praesenti illatas: unde haec visio, quae de se esse deberet causa gaudii, potius est perennis fons maioris miseriae.

8. — **Solvitur obiectio.** — Obiicienti damnatos fidem non habere, ideoque non posse cognoscere possibilitatem visionis beatificae, *respondetur* eos utique fide proprie dicta carere, habere tamen quamdam cognitionem coactam de mysteriis fidei, eo modo quo de daemonibus dicitur [1] quod *credunt et contremiscunt;* unde et damnati se sciunt a Deo creatos fuisse ut eius visione fruerentur, et quidem quamdam in se irresistibilem attractionem ad hunc suum ultimum finem persentiunt, cuius proinde frustratio eos in maximam miseriam perducit.

9. — **Damnatorum miseria augebitur ex notitia quam in hoc mundo habuerunt, necnon ex consideratione gloriae beatorum.** — Ulterius considerandum est, in damnatis futuram esse cognitionem eorum quae prius fecerunt, quod cedet ipsis in augmentum tristitiae, ut sit eorum consummata miseria. Revera, cognitio rerum in praesenti vita gestarum potest esse, post mortem, materia gaudii aut tristitiae: et quidem beatis laetitiam afferet illa notitia, ne videlicet quid desit perfectioni beatitudinis eorumdem; damnatis vero erit ratio tristitiae: primo quidem, ex parte rerum cognoscibilium, in quantum considerabunt et mala quae gesserunt, ex quibus

1. Iac., II, 19. Cf. 2 2ae, Quaest. V, art. 2.

damnati sunt, et bona delectabilia quae amiserunt, iuxta illud quod diviti damnato dicitur[1]: *Recordare, quia recepisti bona;* secundo autem, ex parte ipsius cognitionis, in quantum damnati considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerunt, imperfectam esse, seque summam illius notitiae perfectionem, quam adipisci poterant, amisisse[2].

Praeterea, ad augmentum miseriae damnatorum spectabit, ut non solum ipsi poenas suas experiantur, sed ut etiam beatorum gloriam, ante diem iudicii, videant, quod est, ut cognoscant sanctos collocari in gloria inaestimabili: ex quo turbabuntur et affligentur, tum propter invidiam, dolentes de eorum felicitate, tum propter suam ipsorum miseriam. Attamen, hac visione post diem iudicii privabuntur, ut etiam cognoscant se indignos reputari, qui cernant gloriam quam Sancti merentur habere[3].

**10. — Miseria damnatorum in Scriptura descripta.** — Praetermittere hic non debemus vividam descriptionem quam tradit Scriptura de damnatorum miseria, qualis ex eorum cognitione resultat[4]: *Videntes* (impii gloriam iustorum) *turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit*

1. Luc., XVI, 25. — 2. S., Quaest. XCVIII, art. 7. — 3. Art. 8. — 4. Sap., V, 2, seq.

*superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius praecurrens, et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinae illius in fluctibus: aut tamquam avis quae transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aërem: commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic et nos nati continuo desivimus esse: et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.*

## ARTICULUS V. — *Utrum voluntas damnatorum sit obstinata in malo.*

1. — **Ratio articuli.** — Acto de poena damnatorum quantum ad intellectum, sequitur ut de conditione eorum voluntatis agatur. Ubi primo advertendum est, non tam hic dubitari utrum damnatorum voluntas sit in malo obstinata, cum id, ut iam diximus, ex eo sequatur, quod eorum liberum arbitrium, sicut liberum arbitrium daemonum, non est amplius flexibile ad utrumque oppositorum [1]: sed propria huius articuli intentio est determinare qua ratione ista obstinatio voluntatis damnatorum in malo explicari debeat.

2. — PROP. — α) **Licet voluntas naturalis damnatorum bona esse possit,** β) **tamen voluntas eorum deliberativa est in eis solum mala.**

1. 1, Quaest. LXIV, art. 2

**3. — Prob. 1ª Pars.** — Voluntas naturalis, seu ut natura, quae graece θέλησις vocatur, non est in damnatis ex seipsis, sed ex auctore naturae, qui hanc eis inclinationem posuit; quia autem in eis natura bona ac integra remansit, ideo voluntas sic considerata poterit in damnatis esse bona. — *Poterit*, dicimus: etenim, vel ista bona inclinatio naturalis per eorum malitiam corrumpetur, in quantum hoc bonum, quod naturaliter ipsi desiderant, sub malis circumstantiis desiderant; ideoque etsi velint vivere, intelligere et huiusmodi, tamen quia hoc bonum non bene volunt, ideo voluntas eorum non potest censeri vel dici bona simpliciter.

**4. — Prob. 2ª Pars.** — At voluntas deliberativa damnatorum, id est quae est in eis ex seipsis, secundum quod est in potestate eorum inclinari in hoc vel in illud per affectum, quae vocatur voluntas ut ratio seu βούλησις, est in damnatis solum mala, quia nulla voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem ultimum, damnati vero sunt ab hoc fine penitus aversi [1].

**5. — Scholion.** — Potest haec propositio sequenti S. Thomae argumentatione claudi: *Non esset perpetua poena animarum quae damnantur, si possent voluntatem mutare in melius: quia iniquum esset, quod ex quo bonam voluntatem haberent, perpetuo punirentur. Voluntas igitur animae damnatae non potest mutari in bonum* [2].

**6. — Damnati Deum odio habent.** — Ex hoc sequitur, damnatos vero amore carere, et odium spirare contra Deum, licet sit ipse obiectum summe amabile. — Revera, quod Deum odio habeant damnati, ex hoc resultat, quod illum non vident nisi per effectus iustitiae, ut dictum est: qui effectus poenales sunt, et ob hoc voluntati eorum re-

1. S., Quaest. XCVIII, art. 1. — 2. C. Gent., l. IV, c. 93. Ex quo deducitur, aeternitatem inferni sola naturali ratione posse demonstrari.

pugnant; unde dicitur [1]: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* — En, quanta differentia est, ex hac parte, inter damnatos et beatos: isti, cum Deum per essentiam videant, ad illum necessario affectu trahuntur: est enim Deus per essentiam bonitas, et non potest per se voluntati displicere [2]; illi vero, cum Deum apprehendant ut peccatorum suorum ultorem, ideo ab eo radicaliter avertuntur.

**7. — Damnatorum odium in proximos.** — Est pariter in damnatis intensum odium relate ad proximos, per quod de omnibus eorum bonis dolebunt, maxime vero de Sanctorum felicitate; dum e contra in beatis erit perfectissima caritas, propter quam illi de omnibus bonis gaudebunt. Unde damnati cupient omnes pariter fore damnandos, non quod expectaturi sint solatium ex multiplicatione sociorum, nam potius ex multitudine damnatorum, poena singulorum augebitur; sed tantum supercrescent in eis odium et invidia, quod potius eligent torqueri magis cum multis quam minus soli [3]. — Quinimmo, tanta erit in eis invidia, quod etiam propinquorum gloriae invidebunt, cum ipsi sint in summa miseria; cum etiam in hac vita hoc accidat, crescente invidia; sed tamen minus invidebunt propinquis, quam aliis, et maior esset eorum poena si omnes propinqui damnarentur, et alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur: et exinde fuit, quod dives petiit fratres suos a damnatione eripi [4], sciebat enim quod aliqui eriperentur; maluisset tamen fratres suos cum omnibus aliis damnari [5]. Potest etiam dici quod dives timebat ne fratres sui in infernum venirent, ne eorum praesentia maior ipsi esset causa tormenti, in quantum ipsemet, tanquam propter sua scandala causa eorum damnationis, gravius foret puniendus.

1. Ps. LXXIII, 23. — 2. S., Quaest. XCVIII, art. 5. — 3. Ibid., art. 4. — 4. Luc., XVI, 28. — 5. L. prox. cit., ad 1m, ad litt.

**8. — Solvitur difficultas.** — Affectiones inordinatae a damnatis non auferuntur. Atqui nonnulli damnati aliquos non damnatos inordinate dilexerunt. Ergo illos adhuc diligent, et consequenter nollent illos esse damnatos.

Resp. *Dist. mai.:* quantum ad causam huiusmodi affectionum, *conc.;* quantum ad obiectum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Dilectio quae non fundatur super honestum, facile rescinditur, et praecipue in malis hominibus, ut Aristoteles dicit [1]: unde damnati non servabunt amicitiam ad eos, quos inordinate dilexerunt: sed in hoc voluntas eorum remanebit perversa, quod causam inordinatae dilectionis adhuc diligent [2].

**9. — Damnati seipsos odio prosequuntur.** — Denique et erga seipsos damnati vera dilectione destituuntur, cum longa miseria pertaesi, exoptent, incassum tamen, annihilari, iuxta illud [3]: *Dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos* [4]; et rursus [5]: *In die illa, desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis.* Appetent autem damnati non esse, non quidem secundum se, cum sic non esse non sit appetibile, est enim pura boni privatio, sed per accidens, quatenus est ablativum miseriae, quo modo accipit rationem boni: carere enim malo est aliquod bonum: unde appetent non esse, tanquam viam qua a tanta miseria eripiantur [6]. — Advertit autem opportune Sylvius [7], quod damnati possent utique sic velle non esse, quia non esse ex parte obiecti consideratum secundum rectam rationem, melius est quam in extremis gehennae poenis vivere, iuxta illud [8]: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille;* attamen

1. L. IX Ethic., cap. 4, a med. Aristotelis verba sunt: ʼεπεὶ τῶν γε κομιδῇ φαύλων καὶ ἀνοσιουργῶν οὐδενὶ ταῦθ᾽ ὑπάρχει, ἀλλ᾽ οὐδὲ φαίνεται. -- 2. L. c., ad 2m, ad litt. — 3. Os. IX, 8. — 4. Cf. Luc., XXIII, 30; Apoc., VI, 16. — 5. Apoc., IX, 6. — 6. L. c., art. 3. — 7. In h. loc. S. Thom. — 8. Matth., XXVI, 24.

illa damnatorum volitio mala est, propter eorum obstinatam adhaesionem ad malum finem.

**10. — Solvitur difficultas.** — S. Augustinus dicit[1]: *Considera quantum bonum est esse, quod et beati et miseri volunt; maius enim est esse et esse miserum, quam omnino non esse.*

*Resp.* Hoc verbum S. Augustini est intelligendum, quod non esse non est per se eligibile, sed per accidens, in quantum scilicet est miseriae terminativum: quod enim dicitur, quod esse et vivere ab omnibus appetitur naturaliter, non oportet hoc accipere quantum ad malam vitam et corruptam, et eam quae est in tristitiis, ut dicit Philosophus[2], sed absolute[3].

**11. — Scholion.** — Ex hisce facile apparet quam profunde damnati in malum devenerint, et quanta sit spiritualis eorum miseria, quam vivide describit Aligherius, dicens de eis[4]:

*Bestemmiavano Iddio, e i lor parenti,*
*L'umana specie, il luogo, il tempo e il seme*
*Di lor semenza e di lor nascimenti.*

Ubi cavere quammaxime theologum oportet ab illa hodiedum fere universaliter vigente opinione, illam de inferni poenis sententiam, quae communiter in media aetate obtinebat, ethico sensui hominum hodierni temporis, iam plurimum evoluto, repugnare: immutata enim manet Ecclesiae fides[5].

1. Lib. III de Lib. Arb., cap. 7, a princ. t. I, col. 618 ad sensum. — 2. L. IX Ethic., cap. 4. — 3. S., Quaest. XCVIII, art. 3, ad 1m, ad litt. — 4. Inferno, Canto III, vv. 103, seqq. — 5. En quomodo non ita pridem hanc sensus ethici mutationem exprimebat Prof. St. George Mivart (HAPPINESS IN HELL *The XIXth Century* n. 190, December, 1892, p. 899): *The mental agony of despair, in ad-*

**12. — Vermis conscientiae.** — Ad poenam damni, ex qua parte voluntatem afficit, referendus est vermis ille conscientiam rodens, de quo Dominus Noster ait [1]: *Vermis eorum non moritur;* qui aliud non est, nisi conscientiae remorsus, quo impii crudeliter torquebuntur. Hic certe spiritualiter intelligitur: non enim est possibile, quod corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quae incorruptibilia erunt. Unde remorsus ille dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit, sicut corporalis vermis, ex putredine ortus, corpus affligit pungendo [2]. *In poenis malorum,* ait S. Augustinus [3], *inextinguibilis ignis et vivacissimus vermis, ab aliis atque aliis aliter atque aliter exponitur: alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt; alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem: quod esse credibilius videtur.* — *Poena haec,* ait Al. Ad. Paquet [4], *dolori ex poena damni provenienti superaddere videtur recordationem caelestium munerum; quibus nisi abusus esset, facile homo potuisset aeterna consequi bona, aeternaque evadere supplicia. Ista recordatio tum divinae caritatis, tum hu-*

---

*dition to the extreme physical torture, was recognised as the inevitable lot of the multitude of lost souls... But the modern mind has come to feel an abhorrence for beliefs which were viewed with complacency or accepted without difficulty for so many ages. And not only the sentiment of our day but what we take to be its more highly evolved moral perceptions, are shocked beyond expression at the doctrine that countless multitudes of mankind will burn for ever in hell fire, out of which there is no possible redemption.* Sane huius auctoris scriptum, ex quo praedicta verba excerpuntur, licet in indicem librorum prohibitorum fuerit relatum (Decret. S. Off. 19 Iul. 1893), haud parum contulit erroneis opinionibus de poenis inferni in vulgus disseminandis.

1. Marc., IX, 43. Is., LXVI, 24. — 2. S., Quaest. XCVII, art. 2. Cf. supra, Quaest. IV, art. 2, n. 7, p. 174. — 3. L. XXI de Civ. Dei. c. IX, n. 2, t. VII, col. 630, ad sensum. — 4. De Novissimis, Disput. X, Quaest. IV, art. 2, p. 477.

*manae ingratitudinis, utpote cor pungens et veluti arrodens, maximam analogiam praebet cum poena sensus proprie dicti. — Hae cogitationes et hi dolores,* ait Lessius [1], *sunt vermes acerbissimi, quorum morsus, id est, tristitia inde nascens, est praecipuum damnatorum tormentum. Exacuit et animat hos vermes iustitia divina, faciendo ut mens eorum haec omnia assidue et acriter apprehendat et cogitet; ac imprimis horum omnium aeternitatem, nempe haec damna et haec supplicia fore aeterna, et nullis unquam saeculis finienda.*

13. — **Nunquam damnatos vere poenitebit malorum quae fecerunt.** — Attamen, ex hoc quod damnati conscientiae remorsu iugiter torquebuntur, perperam inferretur eos aliquando malorum quae fecerunt vere poenitere, cum malitia voluntatis in eis sit perpetuo perseveratura, ideoque peccatum, in eo quod peccatum est nunquam sint odio habituri; licet peccatum ratione adnexae poenae odio habeant; propter quod de ipsis dicitur [2]: *Intra se poenitentiam agentes;* quo sensu Aristoteles dicit [3] *quod poenitudine replentur mali;* mox enim tristantur de hoc quod male *laetati sunt* [4].

1. De perfect. div., l. XIII, c. 29. — 2. Sap., V, 3. — 3. L. I Ethic., c. 4. Μεταμελείας γὰρ οἱ φαῦλοι γέμοισιν. — 4. S., Quaest. XCVIII, art. 2. — Perperam P. Io. Stufler, S. I., in iam citato op. *Die Heiligkeit Gottes und der ewige Tod* (p. 108), in hac S. Thomae doctrina, quam in nostro opere *Dell' anima umana separata dal corpo* (2a edit., pag. 221), commentati sumus, contradictionem reperit. *Unbegreiflich ist es daher,* ait, *wie Lépicier, der durchwegs die thomistische Ansicht verteidigt, sagen kann, die Verdammten empfänden Gewissensbisse und verabscheuten ihre Sünden als die Ursache ihres Unglücks. Diese Regungen des Gewissens seien aber ganz natürlich und unfrei, weil sie hervorgingen aus dem natürlichen Verlangen der Verdammten nach der Glückseligkeit. Durch diese Worte gerät er mit sich selbst in Widerspruch. Denn wenn die Verdammten ihre Sünden verabscheuen, weil und insoferne sie Ursache ihrer Verdammnis sind, und wenn sie ein natürliches Verlangen nach*

Huc faciunt verba S. Thomae[1]: *In damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem, alioquin non esset in eis remorsus conscientiae: sed quod non reducatur in actum, contingit, quia deest gratia secundum divinam iustitiam: sicut etiam in caeco remanet aptitudo ad videndum in ipsa radice naturae, inquantum est animal naturaliter habens visum; sed non reducitur in actum, quia deest causa, quae reducere possit, formando organum, quod requiritur ad videndum.*

**14. — Suarezii sententia.** — Cum haec proprie sit causa obstinationis et indurationis damnatorum in malo, patet retineri haudquaquam posse rationem quam de eadem obstinatione reddit Suarez[2], qui ex causa potius morali eam repetendam esse ducit. Nimirum, ait ille, in tantum miseriae abyssum ipsi deveniunt, ut Deum amplius non considerent tanquam summum bonum in se, sed tantummodo ut inflictorem poenarum; hinc, cum sciant eius voluntatem esse ut illos perpetuo puniat, ideo nullum ab eo beneficium sperant se obtenturos fore, nullam a suis cruciatibus liberationem aut mitigationem: unde ab illo exorando, desperatione moti, se abstinent, et nonnisi in actus odii vel aversionis contra Deum prorumpunt.

---

*der ewigen Glückseligkeit des Himmels haben, dann können sie unmöglich die Sünden lieben und sich darüber freuen, dass sie gesündigt haben, und so gesinnt sein, dass sie auch jetzt wieder dieselben Sünden begehen würden, wenn sie dazu Gelegenheit hätten.* — Vane, inquam, fingitur a R. P. Stufler in allata a nobis S. Thomae doctrina contradictio, cuius apparentia, si quae sit, facile evanescit, si obiectum seu motivum formale, ex quo, ut philosophi dicunt, actus specificantur, ut decet, distinguatur: nimirum, damnati diligunt peccata a se commissa qua formaliter sunt offensa Dei; odio autem ea habent qua formaliter causa sunt suae miseriae. Ceterum, nec S. Thomas, nec nosipsi unquam diximus damnatos desiderare aeternam felicitatem *caeli*, sed simpliciter felicitatem: quae duo toto caelo differunt.

1. 1 2ae Quaest. LXXXV, art. 2, ad 3m. — 2. L. VIII de Angelis, c. 11.

Hanc, inquam, sententiam, uti iacet, sustineri non posse ex eo evincitur, quod sic prima causa obstinationis malorum refundenda foret in Deum, dum e contra refundi debet in ipsosmet damnatos: nimirum, propositis duabus sequentibus propositionibus, videlicet: ideo damnati nolunt ad Deum converti, quia sciunt illum se non esse exauditurum, et: ideo Deus non vult exaudire damnatos, quia ipsi ad illum sese convertere nolunt, prior est simpliciter falsa, altera simpliciter vera.

## Articulus VI. — *Utrum poenae damnatorum sint aeternae.*

1. — **Ratio articuli.** — Expedita quaestione de intensitate poenarum inferni, sequitur ut de earumdem duratione sermo instituatur, et quidem tum secundum quod respiciunt dolorem de amissione boni infiniti, in quo poena damni consistit, tum secundum quod important cruciatum, sive animae sive corporis, qui cruciatus poenam sensus constituit. Et quaestio est de aeternitate, non quatenus nomen istud metaphorice accipitur pro longissima duratione, sed proprio sensu, quatenus significat durationem omni fine carentem.

2. — **Errores.** — Ubi multiplex invenitur, tum in antiquitate, tum recentiori tempore, falsitas irrepsisse. Et quidem, viguit olim plurium error, ex Origenis doctrina profectus [1], reprobos omnes, sive angelos, sive homines, iterum probationi subiiciendos, usquedum tempus adveniat, quo certa poenarum mensura expleta, ad societatem cum beatis restaurentur: quem errorem aliqui attemperare conati sunt, aeternae damnationi angelos quidem,

1. L. I περὶ 'Αρχῶν, c. 6.

sed exclusis hominibus, adiudicantes [1]. — Medio aevo, ex protestantibus, anabaptistae atque unitarii Origenis sententiam renovarunt; sociniani autem maluerunt hominis destructionem, quam aeternam eius ac irreparabilem damnationem confiteri; quam sententiam amplexi sunt recentiores fautores systematis, cui nomen conditionalismus, immortalitatem solis iustis concedentes. — Hodierno demum tempore, ut nihil dicamus de pseudophilosophis, qui cum Voltaire revelationi valedicentes, dogma de poenarum inferni aeternitate tanquam rationi contradicens traducunt, viget ac in dies latius disseminatur doctrina universalistarum qui, ut catholicum dogma de inferno, rationalistis, ut opinantur, acceptius reddant, traditionis vim enervare non dubitant, docentes aut inferni tormenta finem aliquando habitura esse, aut saltem paucissimis in aeternum reservanda [2]: idem quoque placitum spiritistis hodiernis arridet.

**3. — Quantitas poenae comparata quantitati culpae.** — Porro, ad intelligendum quomodo poena duratione infinita componi valeat cum transeunte culpa, sciendum est, quod in poena duo sunt distinguenda: scilicet intensio acerbitatis et duratio temporis. Et quidem, quod ad intensionem acerbitatis pertinet, poena culpae respondere debet quantum fieri possit, ut secundum quod gravius quis peccaverit, secundum hoc gravior ei poena infligatur [3]. At duratio poenae non respondet durationi culpae: videmus enim quod, etiam secundum leges humanas, adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentanea poena non punitur. Igitur duratio poenae mensuratur secundum dispositionem peccantis: sic peccans quandoque a civili consortio totaliter excluditur, vel per mortem, vel

1. Cf. S. Augustin., l. XXI de Civ. Dei. cc. 17, seqq. — 2. Ita posuit supra citatus St. George Mivart, op. cit. De hoc argumento, vide Hettinger, Apologia del Cristianesimo, Vol. III, pp. 30, seq. Firenze, Marcheselli. — 3. Cf. Apoc., XVIII, 7.

per exilium aut perpetuum carcerem; quandoque vero eiicitur ad tempus longius vel brevius secundum quod expedit eius curationi, ut postea in civitate pacifice possit vivere. Quod autem poena, inflicta a civitate mundana, perpetua non reputatur, hoc est per accidens, vel quia homo perpetuo non manet, vel quia ipsa civitas deficit: unde si homo in perpetuum viveret, poena exilii in eo perpetuo maneret.

Similiter habetur in foro divinae iustitiae: nam qui ita peccaverunt, ut non reddantur digni totaliter separari a consortio sanctae civitatis, ut sunt venialiter peccantes, ad tempus ab illa civitate excludentur; sed qui in morte peccato lethali invenientur maculati, a sanctorum societate in perpetuum abiicientur: nam, ut ait S. Augustinus [1], *quod est, de civitate ista mortali, homines supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortali, homines supplicio secundae mortis, auferre.*

Egregie Alighierius [2]:

*Ben è che senza termine si doglia,*
*Chi, per amor di cosa che non duri,*
*Eternalmente quell'amor si spoglia.*

**4. — PROP. — Poenae damnatorum in inferno in aeternum durabunt.**

Haec propositio omnino de fide est, sic in Symbolo Athanasiano expressa: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.* Similia leguntur in diversis conciliis, verbi gratia, Constantinopolitano II, Nicaeno II, Lateranensi IV, cuius haec sunt verba [3]: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod... omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut re-*

1. L. XXI de Civ. Dei, c. 11, t. VII, col. 632. — 2. Parad. cant. XV, 10, seq. — 3. Cap. *Firmiter*. D.-B., n. 429.

*cipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.*

5. — **Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Haec autem veritas tam expresse in Sacra Scriptura ponitur, ut videatur Deus voluisse omnem de hac re dubietatem dissipari. Equidem, in veteri Testamento legitur [1]: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni;* et rursus [2]: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Pariter apud Danielem [3]: *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper.* Ubi ly *multi* ponitur pro *omnibus*, eo modo quo dicitur [4]: *Per unum hominem... peccatores constituti sunt multi,* id est *omnes,* ut ibidem exprimitur [5]: *In quo omnes peccaverunt.* Denique, quod dicitur: *Ut videant semper,* hebraice habetur: *in contemptum sempiternum.*

6. — **Auctoritas ex S. Matthaeo.** — At classicus locus ad rem hanc conficiendam, est sequens [6]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Ne autem verba haec quis de igne tantum, non vero de supplicio accipiat, subiungit Dominus [7]: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam,* ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Circa quem locum, quem moderni nonnulli intelligi volunt de diuturna, non vero perpetua duratione, attendendum est, vocem hanc, *aeternum,* αἰώνιον, ex unanimi Patrum et Doctorum consensu revera in hoc loco, pro

1. Is. LXVI, 24. — 2. Ibid., XXXIII, 14. — 3. C. XII, 2. — 4. Rom., V, 12, 19. — 5. Vers. 12. — 6. Matth., XXV, 41. — 7. Ibid., vers. 46.

interminabili duratione usurpari. Imprimis enim ipsa solemnitas iudicialis sententiae a Domino nostro tunc prolatae exigere videtur ut eidem proprius verborum sensus attribuatur. Deinde ipsa vox, ὁ αἰών, et derivatum αἰώνιος, constanter in novo Testamento durationem significat fine sive termino carentem: sic, verbi gratia, legimus [1]: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* εἰς τὸν αἰῶνα; pariter [2]: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* similiter [3]: *Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea;* rursus [4]: *Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna:* τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρά ἐστιν, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια.

Idipsum clare suadetur ex parallelismo contextus; nimirum eodem censu damnatorum poena, aeterna, κόλασις αἰώνιος, declaratur, quo iustis tanquam praemium, vita aeterna, ζωὴ αἰώνιος, repromittitur, quae quidem antithesis expresse continetur in textu citato: atqui vita aeterna omni fine carebit. Ad rem S. Augustinus [5]: *Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, Vita aeterna sine fine erit, Supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est. Unde, quia vita aeterna Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem procul dubio non habebit.*

At vero, clarior adhuc praedicta antithesis patescit ex sequenti loco S. Marci [6]: *Et si scandalizaverit te*

1. Io., IV, 13. — 2. Ibid., VI, 52. — 3. Ibid., X, 28. — 4. 2 Cor., IV, 18. — 5. De Civit. Dei, l. XXI, c. 23, t. VII, col. 641. — 6. C. IX, 42, 43.

*manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur:* quae ultima comminatio ter repetitur [1]. — *Non eum* (Marcum) *piguit,* ait S. Augustinus [2], *uno loco eadem verba ter dicere: quem non terreat ista repetitio et illius poenae comminatio tam vehemens ore divino?* [3].

**7. — Vox traditionis.** — Porro, tanta est in hac re graecorum Patrum cum latinis, contra unum Origenem, consensio, ut nequeat traditionalis fides in perpetuitatem poenarum infernalium tanquam ab ipsismet sanctis Apostolis praedicata non agnosci. Illorum testimoniis viam sternat S. Irenaeus, qui utriusque Ecclesiae fidem repraesentans, indubitanter provocat ad Christi doctrinam oretenus traditam, necnon ad auctoritatem Scripturarum [4]: *Quoniam quidem transgressoribus ignis aeternus praeparatus est, et Dominus manifeste dixit, et reliquae demonstrant Scripturae* [5].

I. Ex graecis Patribus, audiatur S. Cyrillus Hierosolymitanus [6]: *Si quis peccator est,* (in resurrectione) *corpus accipiet aeternum, perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in igne aeterno combustus nunquam absumatur* [7]. Similiter S. Basilius [8]: *Si aeterni supplicii futurus est aliquando finis, finem utique habitura est etiam vita aeterna. Quod si non possumus illud de vita aeterna intelligere, qua ratione supplicio aeterno adscribitur finis?* S. pariter Gregorius Nazianzenus, duplici igne distincto, altero ad quem in terram mittendum venit Christus, altero scelerum vindice, sive in hac vita, ut fuit ignis

1. Sc. vers. 43, 45, 47. — 2. L. XXI de Civ. Dei, c. 9, n. 1, col. 630. — 3. Cf. Matth., III, 12; 2 Thess., I, 8; Apoc., XIV, 11; ibid., XX, 9; etc. — 4. L. II Haeres., c. 28, n. 7, t. I, p. 158. — 5. Cf. l. III, c. 13, n. 3. — 6. Catech. XVIII, n. 19, p. 294. — 7. Cf. Catech. XIII, n. 38, p. 718; Catech. XV, n. 26, p. 239. — 8. Regul. brevior., c. 267, p. 201.

Sodomiticus, sive in futura vita, qui cum verme conscientiae coniunctus est, de hoc posteriori dicit[1] quod *nunquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum poenam perennis est et sempiternus.* S. Chrysostomus quoque[2], recensito loco S. Marci[3]: *Vermis eorum non moritur,* etc., concludit: *Si ergo vita aeterna est, supplicium est aeternum.* Et alibi[4]: *Sicut enim huius vitae poenae simul cum vita solvuntur, sic illic poenae aeternae erunt.*

II. Non minus diserte et explicite loquuntur Patres Occidentis, ex quibus primus audiatur S. Iustinus Martyr[5]: *Nos immortalitatem eos consequi solos dicimus, qui Deum vitae sanctitate et virtute propius contingunt; qui autem improbe vivunt nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri.* Similiter S. Cyprianus[6]: *Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena, nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem... In aeternam poenam sero credent, qui in vitam aeternam credere noluerunt*[7]. S. quoque Hilarius, expresse testatur[8] ignem aeternum in gentibus, id est in hominibus pagano more vita functis, ignis aeterni futuram esse aeternam materiam, in eisque sempiterne victuris exercendam ultionem sempiternam.

Continuitatis huius traditionis testis est S. Ambrosius, cuius notissima sunt verba[9]: *Pone ergo martyrem inter pericula constitutum... Pone, inquam, circumspectantem omnia plena supplicii, deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam poenae recru-*

1. Orat. XL, n. 36, t. I, p. 720. — 2. Homil. XXV in Ep. ad Rom., n. 5, t. XIV, p. 37. — 3. IX, 43. — 4. Homil. XXIII in 1 Cor., n. 4, t. XIV, p. 421. — 5. Apol. I, n. 21, p. 57. — 6. L. ad Demetrianum, c. 24, p. 135. — 7. Cf. l. de Mortalitate, c. 14, p. 113; L. de laude martyrii, c. 5, p. 121. — 8. In Matth., c. V, n. 12. — 9. In Ps. CXVIII, Sermo 21, n. 8, t. 2, col. 762.

*descentis aerumnam: trepidare corde, ne dum praesentibus cedit, perpetuis se dedat exitiis.* Pariter S. Hieronymus [1], expendens verba [2]: *Dilatavit infernus animam suam,* haec inter alia scribit: *Qui saeculi deliciis occupati, nec respicientes opera Dei, captivi ducuntur in peccatum..., detrahentur in gehennam, ibique aeternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent et humilitate mutari.* Rite ergo S. Augustinus, traditionem quatuor priorum saeculorum resumens, concludit [3]: *Sunt huius Origenis alia dogmata, quae catholica Ecclesia omnino non recipit..., maxime de purgatione et liberatione... Quis enim catholicus christianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum, id est etiam eos qui hanc vitam in flagitiis... finierunt..., purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui?*

8. — **Patrum dubiae voces.** — Porro nonnulli, Petavium secuti [4], citatorum Patrum auctoritatem, ex quibusdam eorum dictis, infirmare contendunt, at frustra. Primo quidem occurrit S. Ambrosius, qui loquitur *de divite evangelico qui, licet peccator, poenalibus urgetur aerumnis, ut citius possit evadere* [5]: ex quibus verbis sanctum hunc Patrem traducit ille tanquam in Origenis dogma proclivem. — At immerito prorsus, cum haec verba intelligi debeant non de divite epulone qui in inferno sepultus est [6], sed de illo divite adhuc vivente, de quo sequentia narrantur [7]: *Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?... Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam re-*

1. In Cap. V Is. t. IV, ed. Vall., col. 79. — 2. Vers. 14. — 3. L. de Haeres., c. 43, t. VIII, col. 13. — 4. L. III, de Angelis, cc. 7, 8. Opp. Venet., 1757, t. III, p. 92. — 5. In Ps. CXVIII, Serm. 20, n. 23. — 6. Luc., XVI, 22, seq. — 7. Ibid., XII, 16, seq.

*petent a te:* nimirum, amara haec cogitatio iuxta S. Ambrosium, est poenalis illa aerumna, qua urgetur ut possit aeternas poenas evadere [1].

Nec potiori iure conatur idem Petavius demonstrare, S. Gregorium Nazianzenum de poenarum aeternitate dubitasse, ex eo quod scripserit [2]: *Hi omnes* (ignes) *eam vim habent, ut perdant ac deleant, nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitiorem et, ut puniente dignum est, malit intelligere:* non enim mitior iste ignis, τοῦτο φιλανθρωπότερον, idem est, in mente S. Doctoris, cum igne sodomitico aut cum igne qui daemonem aut reprobos cruciat, sed est ignis tribulationis, qui malos in tempore purgat et a peccatis emundat, de quo illud quod S. Augustino solet tribui: *Hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas.*

Denique, ex S. Hieronymo solet aliquis in contrarium adduci locus [3]: qui tamen ad aliam spectat quaestionem, utrum videlicet omnibus omnino qui in quocumque peccato mortali decesserint, poenae reservandae sint aeternae [4].

Caeterum, canon solemnis est, in hermeneutica patristica, si quae unquam dubiae exurgant de aliquo catholico dogmate voces, eas intelligendas esse sub luce eorum quae, generalem secuti traditionem, clarius atque apertius ipsimet auctores conscripserint.

De uno S. Gregorio Nysseno seria dubitatio movetur, in cuius scriptis, scilicet *Oratione catechetica,* necnon *Dialogo ad Macrinam,* naevi origeniani erroris reperiuntur. At graves sentiunt auctores, scripta illa ab origenistis fuisse ex professo corrupta [5]; quod si nec hac via sanctus ille Pater valeat defendi, dicendum erit, sin-

1. Cf. Card. Billot, Quaestiones de Novissimis, Quaest. III de inferno, p. 69, n. 1. — 2. Orat. XL, n. 36, post citata superius verba. — 3. Vid. 1 Dialog. contra Pelagianos, n. 28, t. II, col. 711, 712, ed. Vallarsi, Veronae, 1735. — 4. Vide infra, art. 9, n. 9. — 5. Vide Card. Billot, loco cit., p. 72.

gularem eius vocem nequidquam rumpere harmoniam traditionis catholicae de aeternitate tum poenarum in inferno, tum praemii in caelo.

**9. — Confirmatur.** — Quod autem persuasio haec, de aeterna punitione peccatores manente, vulgata fuerit vel penes ipsos gentiles, apparet ex iis quae canit Virgilius:

*... Stat ferrea turris ad auras:*
*Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,*
*Vestibulum insomnis servat noctesque diesque* [1].
*... Rostroque immanis vultur obunco*
*Immortale iecur tundens...*
*... Nec fibris requies datur ulla renatis* [2].
*... Sedet, aeternumque sedebit*
*Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes*
*Admonet, et magna testatur voce per umbras:*
*Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos* [3]*!*

Huc quoque faciunt verba Aristotelis [4]: *Inconveniens est mutari mortuum, et fieri aliquando felicem, rursus autem miserum,* ἄτοπον δὴ γίνοιτ᾽ ἄν, εἰ συμμεταβάλοι καὶ ὁ τεθνεώς· καὶ γίνοιτο ὁτὲ μὲν εὐδαίμων, πάλιν δὲ ἄθλιος.

Ex quibus merito deduci potest, doctrinam hanc, ex primaevo revelationis fonte, ad infideles quoque populos, utpote rationi conformem, pluribus licet erroribus forsan implexam, dimanasse [5].

**10. — Rationes theol.** — I. *Ex natura peccati mortalis.* — Homo, quando propria voluntate labitur in peccatum mortale, etsi forsan oretenus in actu peccandi proponat vitam suam in melius quandoque commutare,

1. Aeneid., l. VI, vers. 554, seq. — 2. Vers. 597, 598. — 3. Vers. 617, seq. — 4. L. 1 Ethic., c. 10. — 5. De variorum populorum doctrinis de inferno, cf. Patuzzi, de futuro impiorum statu, l. III, c. 18.

realiter tamen ponit se in statu a quo erui nequit, nisi divinitus adiutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare mortaliter, consequenter vult in peccato perpetuo manere, sicut si quis se in foveam praecipitet, unde exire non posset nisi adiutus, posset dici quod in aeternum ibi manere voluerit, quantumcumque aliud cogitaret [1]. — Eo vel magis hoc verum est, quod talis, ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit; et quia ad finem vitae tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illud peccatum, et vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi esset impune. Igitur, talis est conditio peccantis mortaliter, ut in suo aeterno peccare censendus sit.

II. *Ex conditione morientis in mortali peccato.* — Ea est relatio poenae ad culpam, ut hac manente, illa tolli nequeat. Porro, culpa auferri non potest sine gratiae infusione; gratiae autem infusio in anima peccatoris supponit illum iam a sua malitia recedere. Atqui post praesentem vitam, non potest voluntas, quae peccato mortali inhaeserit, mutari de malo in bonum, ut supra dictum est. Ergo nec potest eius poena in aeternum tolli. Quocirca, sicut daemones sunt in malitia obstinati et sic perpetuo puniendi, ita et illorum hominum animae, qui sine caritate decesserint, cum hoc hominibus sit mors, quod angelis est casus, ut ait S. Ioannes Damascenus, ὅτι ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις [2].

III. *Ex ratione divinae iustitiae.* — Per culpam mortalem homo graviter offendit Deum qui est infinitus, unde poena infinita, quantum possibile est, dignus redditur. Atqui non potest esse poena infinita per intensionem, quia creatura capax non est alicuius qualitatis infinitae. Ergo requiritur quod poena huiusmodi sit saltem duratione infinita [3].

1. S., Quaest. XCIX, art. 1. — 2. L. II Orth. fid., c. 4. — 3. Ibid.

IV. *Ex restitutione ordinis laesi.* — Nimirum, cum bonum et malum morale in hac vita dividant genus humanum, necesse est, ad ordinis laesi restitutionem, ut etiam malum et bonum in finali retributione idem genus dividant, ut diversitas utriusque permanenter appareat. *Si longo post circuitu,* ait S. Hieronymus [1], *atque infinitis saeculis omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium, quae distantia erit inter virginem et prostibulum? Quae differentia erit inter Matrem Domini et, quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem Apostoli et daemones? Idem prophetae et pseudo-prophetae? Idem martyres et persecutores? Finge quotlibet annos, et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Et hoc quidem ab eis notetur, qui quodam falsae pietatis sensu abducti, totum vellent infernum ultimo vacuari.

V. *Ex efficacia sanctionis divinae.* — Si legis divinae violatio poenis tantum temporalibus, etsi forsan diuturnissimis, vindicaretur, talis sanctio non certe satis efficax foret, ut hominem semper, maxime in gravissimis tentationibus positum, in officio contineret. Experientia enim docet homines flagitiosos, quo liberius passionibus ac voluptatibus indulgeant, primo conari ut sibi persuadeant inferni poenas aut non esse, aut certo non esse aeternas [2].

1. In Ionam, III. 6, t. VI, col. 419. — 2. Quod nonnisi poenarum aeternarum sanctione homines plerumque efficaciter a peccando arceantur, ipse Lucretius Carus, poeta licet epicureus, agnoscit (De natura deorum, I, 108):

*... Nam si certum finem esse viderent*
*Aerumnarum homines, aliqua ratione valerent*
*Religionibus atque minis obsistere vatum:*

Ex quo patet quanti sit momenti dogma hoc in populi christiani auribus saepius inculcare, si velit efficaciter a vitiis retrahi; et hoc ad modernisticam labem, qua nostra affligitur aetas, pertinere, ut a mentione poenarum aeternarum inferni concionatores in sacris praedicationibus sese abstineant [1].

**11. — Excluditur sententia dicentium ignem quidem futurum aeternum, non vero poenam eius.** — Pretium operae hic erit eorum recensere sententiam, qui distinguentes inter ignem et poenam eius, illum quidem aeternum fore admittebant, hanc vero temporalem: quos ita memorat et confutat S. Augustinus [2]: *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, dicentes ignem aeternum dictum, non ipsam poenam aeternam. Per ignem quippe, qui aeternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem: ut videlicet ipse ignis aeternus sit, combustio vero eorum, hoc est, operatio ignis, non sit in eos aeterna; cum et hoc praevidens Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens:* SIC IBUNT ILLI IN COMBUSTIONEM AETERNAM, IUSTI AUTEM IN VITAM AETERNAM. *Erit ergo aeterna combustio, sicut ignis: et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.*

---

*Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,*
*Aeternas quoniam poenas in morte timendum.*
. . . . . . . . . . . .
*Et metus ille foras praeceps Acherontis agendus*
*Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,*
*Omnia soffundens mortis nigrore, neque ullam*
*Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.*

1. Ex harum rationum expositione patet ab aliquo auctore immerito dici, *aeternitatem poenarum non posse ratione apodictice demonstrari, sed solum probabilibus argumentis suaderi.* — 2. L. de fide et operibus, c. XV, n. 26, t. VI, col. 179.

**12. — Solvuntur difficultates.** — I. Divina bonitas vel misericordia est infinita, iuxta illud [1]: *Miserationes eius super omnia opera eius;* et rursus [2]: *Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes.* Atqui misericordiae infinitae repugnat damnatos in aeternum torquere. Ergo poenae inferni finem habebunt.

Resp. *Dist. mai.*: et divina bonitas sapientiae ordine regulatur, *conc.*; aliquid decernit praecisive a ceteris Dei attributis, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* — Utique Deus, quantum in ipso est, miseretur omnibus; sed quia eius misericordia sapientiae ordine regulatur, inde est quod ad quosdam non se extendit qui se misericordiae fecerunt indignos, sicut daemones et damnati qui sunt in malitia obstinati: potest tamen dici quod in eis quoque misericordia locum habet, in quantum citra condignum puniuntur, non quod a poena totaliter absolvantur [3]. Immo ex Dei bonitate provenit quod tantas poenas, scilicet aeternas, homini comminatur, ut videlicet illum a peccato et consequenter ab irreparabili morte deterreat.

II. Sapientis est nil frustra moliri. Atqui poenae aeternae pro peccatis mortalibus decretae non prosunt nec α) damnatis, quorum sors irreparabilis dicitur; nec β) aliis hominibus, cum tunc non sint aliqui futuri qui per hoc corrigi possint; nec γ) ipsi Deo qui in poenis minime delectatur. Ergo.

Respondet S. Thomas [4], *primo,* quantum ad ipsos damnatos, idem contingit ac illis qui in societate humana puniuntur: qui quidem si non sint a societate penitus abiiciendi, emolumentum correctionis ex poenis percipiunt; si autem a societate totaliter exterminantur, tunc poenae non medicinales, sed solum vindicativae fiunt. *Secundo*

1. Ps. CXLIV, 9. — 2. Sap., XI, 24. — 3. S., Quaest. XCIX, art. 2, ad 1m. Cf. tr. DE PERTINENTIBUS AD DIV. OPERATIONEM, Quaest. XXI, art. 4, n. 5, p. 306. — 4. Ibid., art. 1, ad 3m, et 4m.

tamen, sic possunt esse ad correctionem et tranquillitatem aliorum qui in civitate manent, et ita aeterna impiorum damnatio est ad correctionem eorum qui nunc sunt in Ecclesia : non enim poenae sunt ad correctionem solum quando infliguntur, sed etiam quando determinantur. *Tertio,* relate ad Deum, dicendum est quod per huiusmodi poenas divina iustitia conservatur, quae est Deo accepta propter seipsam ; sed et electi quoque de his gaudent, dum in eis divinam iustitiam contemplantur, et se eas evasisse cognoscunt, iuxta illud [1]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* — *Iniqui omnes,* ait S. Gregorius Magnus [2], *aeterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut iusti omnes et in Deo videant gaudia quae percipiunt, et in illis perspiciant supplicia quae evaserunt : quatenus tanto magis in aeternum divinae gratiae debitores se esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciunt, quae eius adiutorio vicerunt.*

III. Iustitia Dei exigit ut illis bonis homo privetur, quibus per ingratitudinem indignum se reddidit. Atqui peccator se indignum reddidit ipso esse suo, quo abusus est. Ergo potius divina iustitia exigit ut peccatores ad nihilum redigantur.

*Resp.* Quamvis ex hoc quod quis peccat contra Deum qui est auctor essendi, mereatur ipsum esse amittere, considerata tamen ipsius actus inordinatione, non debetur ei amissio esse, quia esse praesupponitur ad meritum et demeritum, nec per inordinationem peccati esse tollitur vel corrumpitur ; et ideo non potest esse debita poena alicuius culpae privatio ipsius esse [3].

IV. Domini nostri redemptio ad omnes se extendit, iuxta illud [4]: *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut*

1. Ps. LVII, 11. — 2. L. IV Dialog., c. 44, t. I, p. 1057. — 3. S. Quaest. XCIX, art. 1, ad 6m. — 4. Rom., XI, 32.

*omnium misereatur*; et rursus [1]: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ergo necesse est omnes aliquando salvos fieri.

*Resp.* Domini nostri redemptio, utique sufficiens pro omnibus, efficaciam tamen non habet nisi eis qui Christo per fidem et caritatem coniunguntur; in verbis autem illis S. Pauli intelligenda est distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum: scilicet, pro hominibus tum ex iudaeis, tum ex gentilibus, et quidem secundum statum viae, non autem pro omnibus gentilibus vel pro omnibus iudaeis [2]. Equidem non decet divinam bonitatem ut totum unum genus creaturae deficiat a fine propter quem est factum: unde nec omnes homines, nec omnes angelos damnari convenit; sed nihil prohibet quin aliqui vel ex hominibus vel ex angelis in aeternum pereant, quia divinae voluntatis intentio impletur in aliis qui salvantur [3]. — Ceterum, quod Apostolus dicit, *omnes in Christo* vivificatum iri, potest intelligi de resuscitatione a morte ad vitam, quam omnes, sive boni, sive mali, per Christum consequentur.

V. S. Petrus repromittit *tempora refrigerii,* necnon *tempora restitutionis omnium* [4]. Ergo damnati aliquando salutem consequentur.

*Resp.* Tempora refrigerii solis illis quos peccatorum suorum poenituerit, qui conversi fuerint et quorum peccata fuerint deleta repromittuntur, ut patet ex contextu [5]; per restitutionem omnium vero, intelligenda est nova mundi ordinatio sub iudice Christo, iustis in caelum, reprobis in infernum aeternaliter receptis.

**13. — Scholion. —** Non abs re erit hic recoluisse, eorum conatus, qui nova in Ecclesia dogmata introducere

1. 1 Cor., XV, 22. — 2. Ibid., Art. 2, ad 2m. — 3. Ibid., ad 3m. — 4. Act., III, 20, 21, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. — 5. Vers. 19: *Poenitemini igitur et convertimini,* etc.

unquam moliti sunt, ab impetenda aeternitate poenarum inferni consuevisse inchoari: quod signanter hodie factitum videmus, opera praesertim theosophiae atque spiritismi: quorum systematum placita de universali animarum restitutione, constanti traditione refutantur. Sed nec felicius procedunt qui praedicto dogmati quidquam vellent, ex quibusdam Servorum Dei revelationibus, detrahendum: quo modo praestitit G. Tyrrell, arguens contra aeternitatem poenarum inferni ex sequentibus verbis Ven. Iulianae Norwicensis [1]: *One time our good Lord said:* ALL MANNER OF THINGS SHALL BE WELL... *He shall make all things well for right, as the Blessed Trinity made all things of nought, right so the same Blessed Trinity shall make all well that is not well.*

Sane, quod attinet ad praedicta verba, primo quidem adverti potest, privatas revelatiônes, qualis est haec revelatio, semper intelligendas esse sub luce dogmatum fidei nostrae, ideoque nihil unquam per eas contra receptam fidem posse adstrui; deinde, quicumque sensus verbis praedictis velit attribui, in eadem revelatione expresse continetur daemonium ita reprobari a Deo, ut sine fine damnatus maneat [2]: *I saw the devil is reproved of God and endlessly damned.* Idem profecto de animabus impiorum dicendum est, quae sicut statum daemoniorum post mortem induunt, ita simili culpae, similique poenae subiacent [3].

1. Revelations of divine Love shewed to a devout Anchoress, by name Mother Julian of Norwich. London, 1877, c. XXXII, p. 101, seq. — 2. Ibid., c. XXXIII, p. 106. — 3. Noti sunt hac in re versus anglici poetae Ioannis Milton (Paradise lost, I, 60):

*Regions of sorrow, doleful shades, where peace*
*And rest can never dwell, hope never comes*
*That comes to all, but torture without end.*
*Such place eternal justice hath prepared*
*For those rebellious...*

Non restat ergo nisi ut cum Ecclesia humiliter deprecemur [1]:

*Ut cum tribunal Iudicis*
*Damnabit igni noxios,*
*Et vox amica debitum*
*Vocabit ad coelum pios,*
*Non esca flammarum nigros*
*Volvamur inter turbines,*
*Vultu Dei sed compotes*
*Caeli fruamur gaudiis.*

Ut autem tam acerbum tormentorum locum efficaciter evitemus, saepe in illum cogitatione descendere debemus; nam, ut advertit S. Ioannes Chrysostomus [2], nullus ex eis qui infernum ob oculos habent, in illum incidet: e contra, qui eum despicit, poenas eiusdem non effugiet.

**14.** — **Quaestio.** — *Quomodo dicitur Christus solvisse dolores inferni?*

*Respondet* Felicianus Capitonus [3], ex S. Augustino [4], Christum dici solvisse dolores inferni, quatenus, cum esset immunis a peccato et divinitati unitus, ibi teneri non potuit, quo modo laquei venantium rumpi dicuntur, non quia tenuerunt, sed quia tenere debebant; vel quatenus Patrum in limbo degentium dolores solverit, eos secum ad caelos adducendo; denique, dicitur Christus inferni morsus, quia generis humani partem, id est, electos, assumpsit, partem vero, id est damnatos, sempiternis ignibus reliquit cruciandos.

1. Hymn. ad Matut., tempore Adventus. — 2. Homil. in 1 Ep. ad Thessal. — 3. Insignis theologus ex Ord. Serv. B. M. V., Archiep. Avinion., in op. *Explicationes catholicae locorum fere omnium Vet. ac Novi Test.,* Ven., 1579, p. 103. — 4. Ep. ad Evod., quae est CLXIV, al. XCIX, n. 3. t. II, col. 574.

## Articulus VII. — *Utrum poenas inferni aliquando mitigari contingat.*

**1. — Divinae misericordiae partes in impiorum damnatione.** — Cum ex anteactis appareat damnatorum poenas tam graves esse tum intensitate, tum extensione seu duratione, non tamen propterea deducendum est omnem in eis decernendis abesse divinae misericordiae respectum, cum noverimus in omnibus operibus Dei misericordiam simul et iustitiam inveniri [1], iuxta illud [2]. *Universae viae Domini misericordia et veritas;* et rursus [3]: *Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes.* Quocirca, et in damnatione reproborum apparet misericordia, ait Angelicus [4], non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum. Quod si plenam misericordiam, quantum ad poenae expiationem, non assequuntur, hoc ideo est, quia se misericordia fecerunt indignos [5]. — Quae cum ita sint, quaeritur modo utrum hoc saltem ex divina misericordia damnati assequentur, quod temporis tractu eorum punitio aut interdum suspendatur, aut saltem tolerabilior reddatur: quae res diu fuit quovis tempore agitata.

**2. — Poena essentialis et poena accidentalis.** — Ad quod solvendum, primo loco opportune distinguetur poena essentialis, qualis scilicet luenda in inferno est pro peccatis mortalibus nequaquam ante mortem condonatis, a poena accidentali, quae debetur aut peccatis venialibus non remissis, aut peccatis, sive venialibus, sive mortalibus, remissis quidem quoad culpam, sed pro quibus peccator poenam debitam adhuc minime persolverit. Et

1. Cf. Tr. DE PERTINENTIBUS AD DIVINAM OPERATIONEM, Quaest. XXI, art. 4. — 2. Ps. XXIV. 10. — 3. Sap., XI, 24. — — 4. Loco cit., ad 1m. — 5. S., Quaest. XCIX, art. 2, ad 1m.

quidem, quaestio nunc de utriusque generis poenis proponitur, ut sciatur utrum ex divina misericordia mitigatio aliqua locum obtineat.

**3. — Sententia de mitigatione poenarum infernalium.** — Imprimis, sciendum est, nonnullis ex veteribus scriptoribus visum esse, ex divina misericordia, momentaneam intermissionem aut suspensionem vel saltem aliqualem mitigationem poenarum inferni haberi, qua sors damnatorum, utique semper lugenda eo quod a Deo in aeternum separati manent, tolerabilior reddatur. In hac sententia videtur olim fuisse Prudentius, qui in hymno Cathemerinon, qui in quibusdam ecclesiis tempore paschali cani solebat, utique magis fictione poëtica, quam ex regula orthodoxae veritatis, haec habet [1]:

*Sunt et spiritibus saepe nocentibus*
*Poenarum celebres sub styge feriae,*
*Illa nocte, sacer quâ rediit Deus*
*Stagnis ad superos ex acheronticis...*
*Marcent suppliciis tartara mitibus,*
*Exsultatque sui carceris otio*
*Umbrarum populus liber ab ignibus*
*Nec fervent solito flumina sulphure* [2].

Citatur etiam in hanc sententiam S. Augustinus qui, agens de suffragiis pro mortuis, ait [3]: *Quibus prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* At, ut rite advertit Angelicus Doctor [4], in verbis illis, nomen *damnatio* large accipitur pro quacumque punitione: ut sic includat etiam poenam purgatorii, quae per suffragia quandoque totaliter

1. Hymn. V, 125. — 2. Hanoviae, 1613, pp. 21, 22. Pariter, illud certe deprehenditur haud satis caute scriptum, quod in peroratione Hamartigeniae legitur, esse videlicet in inferno teporem et clementiam (v. 973), nisi forte de poenis ignis purgatorii sit ibi sermo. — 3. Enchir., c. 110, t. VI, col. 238. — 4. S., Quaest. LXXI, art. 5; ad 2m.

expiatur, quandoque vero solummodo diminuitur. Ceterum haec interpretatio apprime consonat menti S. Doctoris, qui paulo ante expresse dixerat, ex suffragiis vivorum pro defunctis *valde malis nulla adiumenta* derivari.

In idem adferunt quod habet S. Ioannes Chrysostomus, qui scribit, vivos posse precibus vel eleemosynis quidpiam solatii decedentibus in peccato afferre [1]. At hic sanctus Pater alibi [2], de damnatis loquens, expresse ait quod *nec extremo quidem digito quispiam eis aliquid refrigerii distillabit* [3].

Ex recentioribus citantur in hanc sententiam Emery [4], necnon St. George Mivart, qui ad illam mitigationem explicandam, recurrit ad systema evolutionis moralis in anima damnatorum, per quam longo tandem poenitentiae circuitu, ad beatitudinem illi sint perventuri [5]. — Contra quos sit

**4. — PROP. I. — Damnatorum poenae nunquam in inferno mitigabuntur.**

Haec propositio, licet non sit proprie de fide, est tamen theologice certa, et primo quidem pluribus apertis Scripturae testimoniis fulcitur. Sic quippe legimus [6] divitem frustra petiisse ut Lazarus intingeret extremum digiti sui in aquam, ut refrigeraret linguam eius : quod ideo negatum dicitur, quia inter damnatos et sanctos chaos magnum firmatum est, non tam distantia locali, quam propter hoc quod damnati a Sanctorum communione irrevocabiliter exclusi manent. Similiter [7] : *Fumus tormento-*

1. In Ep. ad Phil. c. 1, Hom., III, n. 4, t. XVI, p. 441. — 2. Paraen. 2 ad Theod. lapsum, n. 9, t. XXI, p. 466. — 3. Videri potest art. in *Etudes religieuses,* juillet, 1894. — 4. Dissertation sur la mitigation de la peine des damnés, Migne, 1857, pp. 1358, seqq. — 5. Happiness in Hell, XIXth Cent., n. 190, Dec. 1892, p. 899 ; n. 192, Febr., 1893, p. 320 ; n. 194, April, 1893, p. 637. — 6. Luc., XVI, 24. — 7. Apoc. XIV, 11.

*rum eorum ascendet in saecula saeculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam et imaginem eius:* ubi nomen fumus pro igne positum est.

**5. — Patrum traditio.** — In idem incidit Patrum fere unanimis traditio, quam ita exhibet S. Cyprianus [1]: *Nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem.* Pariter S. Gregorius Nyssenus [2] animam damnati exhibet tanquam poenas luentem *luctum extendentes in aeternum.*

Nec tacendus pius quidam auctor qui, sub nomine S. Bernardi, de damnatis scribit [3]: *Nunquam refrigerium adepturi* (sunt); *sed per millia millium annorum, in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi, ubi neque qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur.*

**6. — Ecclesia pro damnatis non orat.** — At potissimum argumentum desumitur ex hoc quod, ut iam olim testabatur S. Augustinus, Ecclesia nunquam orat pro damnatis [4]; unde merito contrariam praxim *a communi sensu catholicorum alienam* pronunciat Petavius [5].

Revera, declaratur in libro *Ecclesiasticae Hierarchiae* [6], quod *summus sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc averteretur a divino ordine;* et consequenter ibidem dicitur, quod *pro peccatoribus non orat remissionem, quia non audiretur pro illis.* Similiter, S. Gregorius dicit [7]: *Eadem causa est, cur non oretur tunc* (scilicet post diem iudicii) *pro hominibus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam ea est, ut non oretur pro diabolo, angelisque eius aeterno supplicio deputa-*

1. L. ad Demetrianum, p. 135. — 2. Lib. adversus eos qui castigationes aegre ferunt, col. 609. — 3. Inter opp. S. Bernardi Medit. piissimae de cognitione humanae conditionis, c. 3, t. V, pag. 141. — 4. L. XXI de Civ. Dei, c. 24, n. 1, t. VII, col. 641. — 5. L. III de Angelis, c. 8, n. 18. — 6. C. 7. — 7. L. XXXIV Moral., cap. 16, vers. fin., t. I, p. 862.

*tis; quae nunc etiam causa est, cur non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, qui de eis utique, quos aeterno deputatos supplicio iam noverunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suae meritum cassari refugiunt.* Denique a Magistro Sententiarum[1] recitantur verba S. Augustini[2]: *Qui sine fide quae per dilectionem operatur eiusque sacramentis, de corpore exeunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur.* Porro, omnes damnati sunt huiusmodi: ergo eis suffragia minime prosunt.

Quae cum ita sint, rite advertit Angelicus[3] opinionem dicentium pro damnatis orationes fundi posse, esse praesumptuosam, utpote sanctorum dictis contrariam et vanam, nulla auctoritate fultam. Quinimmo, addit, est et irrationabilis, tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum caritatis, secundum quam opera virorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad vitae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti qui sunt in patria; quod enim adhuc restat de poena, vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non praebet, cum gloria essentialiter, et radicaliter consistat in anima, et similiter miseria damnatorum; et ideo non potest eorum poena diminui, sicut nec gloria sanctorum augeri, quantum ad praemium essentiale.

Quocirca, concludit S. Thomas[4], tutius est simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit[5].

**7. — Solvuntur difficultates.** — I. In secundo Machabaeorum libro legimus[6] quod, perfecto praelio, *in-*

1. 4 Dist. 45. — 2. Serm. 172, de Verb. Apost. n. 2, t. V. col. 827, — 3. S., Quaest. LXXI, art. 5. — 4. Loco cit. — 5. Hinc Aligherius de damnatis loquens, ait (Infern., Cant. V, vers. 44, 45):

*Nulla speranza li conforta mai,*
*Non che di posa, ma di minor pena.*

6. 2 Mac., XII, 40.

*venerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum,... a quibus lex prohibet Iudaeos:* et tamen mox subditur [1], quod *Iudas duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Atqui constat illos peccasse mortaliter, contra legem agentes, et ita in peccato mortali decessisse, et sic ad inferos esse translatos. Ergo existentibus in inferno suffragia prosunt.

Huic difficultati, quam sibi proponit, respondet Angelicus [2], quod donaria idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ita quod ex eis deduci posset milites illa in reverentiam idolorum detulisse; sed intelligi posse quod ea acceperant tanquam victores, quia eis iure belli debebantur, in quo tamen per avaritiam venialiter peccaverant: unde non erant in inferno damnati, et sic suffragia eis prodesse potuerunt. — Potest etiam dici quod in ipsa pugna videntes periculum sibi imminere, de peccato poenituerunt, secundum illud [3]: *Cum occideret eos, quaerebant eum;* et propterea pro eis potuit oblatio fieri.

II. S. Ioannes Damascenus refert [4], quod Macarius, cum in via invenisset calvariam cuiusdam defuncti, oratione praemissa, quaesivit cuius caput fuisset; et caput respondit, quod fuerat sacerdotis gentilis, qui in inferno erat damnatus; et tamen confessus est, oratione Macarii se et alios iuvari.

Respondet S. Doctor [5], adiutorium illud non fuisse in hoc, quod poena illorum diminueretur, sed in hoc solum, ut ibidem dicitur, quod eo orante, concedebatur eis ut mutuo se viderent: in quo gaudium aliquod, non verum, sed phantasticum, percipiebant, dum implebatur hoc quod desiderabant; sicut et daemones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc

1. Vers. 43. — 2. S., Quaest. LXXI, art. 5, ad 1m. — 3. Ps. LXXVII, 34. — 4. De iis qui in fide dormierunt, n. 10. Opp., t. I, p. 587. — 5. S. Quaest. LXXI, art. 5, ad 4m.

eorum poena nullatenus minuatur, sicut nec minuitur angelorum gaudium per hoc, quod malis nostris compati dicuntur.

Ceterum, expresse legitur in citato opere, quod post finalem sententiam, *non suppetet auxilii tempus, sed omnis deprecatio frustranea evadet,* τότε γὰρ ὅλως βοηθείας οὐκ ἔσται καιρός, ἀλλὰ πᾶσα παράκλησις ἄπρακτος [1]. Denique non inopportune advertetur, orationem hanc a doctis viris tanquam genuinum Damasceni partum merito reiici.

8. — **Prob. rat. theol.** — Cum Dei misericordia sit idipsum ac eius iustitia, vanum esset exspectare Deum alicui poenam relaxare, nisi secundum ordinem eius iustitiae. Atqui hoc habet ordo iustitiae divinae, ut quia poena ordinatur ad culpam reparandam, ideo illa minime relaxetur, nisi quatenus voluntas culpam abhorreat: unde detestatio culpae est conditio sine qua nulla poenae relaxatio exspectari potest. Porro reproborum voluntas adeo in malo fixa est immobiliter, ut quaecumque illi volunt, etsi forsan de se bonum existat, non tamen bene velint; unde et de suis peccatis, formaliter ut sunt offensa Dei, nullatenus veram contritionem habent. Quocirca, cum culpa continuo maneat in damnatis, nullatenus potest quidquam de eorum poena essentiali relaxari, aut poena ipsa interrumpi [2].

9. — **Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti damnatis, ob dolorem quem iam passi sunt, eiusdem diminutionem deberi, — *respondetur* dolorem huiusmodi non esse verae poenitentiae dolorem, qui poenae remissionem operatur, sed purum dolorem qui refugit a poena, non

1. Ibid., n. 8. — 2. Ex hucusque dissertis apparet nimis absolute a quodam recenti auctore asseri *opinionem hanc* (nempe de mitigatione poenarum inferni)... *permitti a S. Augustino, insinuari a S. Chrysostomo, expresse doceri a S. Ioanne Damasceno.*

ob iniuriam Deo illatam, sed ob proprium incommodum; ita ut patiens, malum, ob quod punitur, amare non desistat, ideoque nullam sibi meretur mitigationem [1].

**10.** — **Scholia.** — I. Ex hisce apparet, non bene locutos fuisse qui, distinguentes inter tempus praesentis mundi et tempus sequens finale iudicium, et rursus inter homines qui fidem habuerunt et sacramentis fuerunt imbuti atque aliquod bonum opus perfecerunt, et homines valde malos, edixerunt primos quidem, non autem secundos usque in diem iudicii aliquod solamen per suffragia pro eis facta percipere posse: deest quippe omnis auctoritas vel ratio pro tali distinctione introducenda.

II. Sed nec admitti potest subtilis ille modus diminutionis a Porretanis excogitatus [2]. Dicebant nempe quod hoc modo proceditur in diminutione poenarum per suffragia, sicut proceditur in divisione linearum; quae cum sint finitae, in infinitum tamen dividi possunt, et nunquam per divisionem consumuntur, dum fit subtractio non secundum eamdem quantitatem, sed secundum eamdem proportionem; velut si primo auferatur pars quarta totius et secundo pars quarta illius quartae, et iterum quarta illius quartae, et sic deinceps in infinitum: et similiter dicunt, quod per primum suffragium diminuitur aliquota pars poenae, et per secundum pars aliqua re-

1. Conceptum hunc pulcre evolvit MONSABRÉ (La vita futura, Confer. 98): *Non confondete queste due cose, il dolore e il pentimento. Il dolore è egoista; esso non detesta il male, ma il castigo del male. Il pentimento si effonde e piange dinanzi alla maestà e all'amore che ha offeso. Il peccatore pentito non uscirebbe dalla pena che per gettarsi a corpo perduto sulla via dimenticata della virtù: il peccatore che si addolora, se potesse, ritornerebbe sulla via colpevole. Caduto tra le mani punitrici di Dio, non cessa di amare il male, tuttochè si lagni del castigo che lo strazia, e non ha per Colui che glielo infligge se non un'eterna avversione. Che cosa volete che Dio faccia per lui?* — 2. Sic dicti sunt sequaces Gilberti Porretani (de la Porrée), qui etiam realistae vocati sunt, cum nominalistas, quibus dux erat Abaelardus, oppugnarent.

manentis diminuitur secundum eamdem proportionem [1]. — Sed modus iste *multipliciter* defectivus est: *primo,* quia infinita divisio, quae congruit continuae quantitati, non videtur posse ad quantitatem spiritualem transferri: *secundo,* quia non est aliqua ratio, quare secundum suffragium minus de poena diminuat, quam primum, si sit aequalis valoris: *tertio,* quia poena diminui non potest, nisi diminuatur et culpa, sicut nec auferri, nisi ea ablata: *quarto,* quia in divisione lineae tandem pervenitur ad hoc quod non est sensibile, corpus enim sensibile non est in infinitum divisibile; et sic sequeretur quod post multa suffragia poena remanens, propter sui parvitatem, non sentiretur, et ita non esset amplius poena.

III. Nec magis plausibilis videtur modus ab aliis excogitatus. Nimirum, posuit Altissiodorensis [2], quod suffragia prosunt damnatis, non quidem per diminutionem poenae, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis; sicut si homo portaret grave onus, et faciem suam perfunderet aqua: sic enim confortaretur ad melius portandum, cum tamen onus suum in nullo levius fieret. — Sed hoc iterum esse non potest, quia aliquis plus vel minus aeterno igne gravatur, ut S. Gregorius dicit [3], secundum meritum culpae; et inde est quod eodem igne quidam plus, quidam minus cruciantur: unde cum culpa damnati immutata remaneat, non potest esse quod levius poenam ferat.

IV. Denique nec admitti potest explicatio a quibusdam excogitata, qui censuerunt damnatos inde solamen percipere, quod sciunt aliquos pro se orare, unde seipsos non tam abiectos esse percipiunt: enimvero spiritus defunctorum non vident naturaliter ea quae hic aguntur

1. Cf. cum hac explicatione mathematicam de asymptotis theoriam. — 2. Hic est Gulielmus, celebris Doctor Parisiensis, dictus Altissiodorensis, ab Auxerre, in Gallia, qui theologicam Summam conscripsit. Mortuus est circa annum 1209. Quae hic recitatur sententia, invenitur in l. 4 Sent., tract. 14, q. 1. — 3. Lib. IX Moral., cap. 39, a princ.

aut quae eveniunt in ista vita inter homines, ut expresse declarat S. Augustinus [1].

**11.** — **Quaestio.** — *Utrum damnatorum poenas accidentales aliquando contingat mitigari vel suspendi?*

Resp. *Negative,* nec enim ulla de hoc prostat auctoritas, sive in Sacra Scriptura, sive in traditionis deposito, et vanum est ad divinam misericordiam appellare, cum haec nonnisi ordinate procedat, id est secundum iustitiam, qua aut ipse reus, aut alius pro ipso poenas solvat. Atqui nec damnati capaces sunt solutionis per se, nec eis possunt aliorum satisfactiones aut suffragia applicari, cum sint omnino extra caritatis ordinem. Nec contrarium docet S. Thomas, cum dicit [2]: *Ipsa poena durante, misericordia operabitur eam diminuendo:* per hoc enim aliud non intendit, nisi quod damnati citra condignum puniuntur, ut etiam dicit Magister Sententiarum [3]. Huius autem verba sunt sequentia: *Non incongrue dici potest, Deum, etsi iuste id possit, non omnino tantum punire malos in futuro, quantum meruerunt, sed eis aliquid, quantumcumque mali sint, de poena relaxare;* quod commentans S. Thomas ait [4]: *Potest dici quod etiam in eis* (damnatis) *misericordia... locum habet, in quantum citra condignum puniuntur, non quod a poena totaliter absolvantur.*

Quae cum ita sint, concludendum est cum S. Gregorio Magno [5]: *Hoc sciendum, quia illic* (id est in futuro saeculo) *de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis actibus, in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.*

1. L. de Cura pro mortuis agenda, c. 13. Quae in hoc numero recitantur sumpta snnt fere ad litt. ex S., Quaest. LXXI, art. 5 — 2. S., Quaest. XCIX, art. 3, ad 4m. — 3. 4, Dist. XLVI. — 4. In h. dist., Quaest. II, art. 3, q. IV, ad 1m, seu S., Quaest. XCIX, art. 2, ad 1m. — 5. L. IV Dialog., c. 39.

**12. — PROP. II. — Poenae damnatorum accidentales, non autem essentiales, usque ad diem iudicii augeri poterunt.**

**13. — Exponitur.** — Equidem, damnatorum poenae essentiales augendae quidem viderentur ex eorum in inferno odio et continuis blasphemiis in Deum. At, sicut respectu retributionis essentialis, nullum erit novum meritum in beatis, ita nec in damnatis novum aliquod demeritum, sive ante diem iudicii, sive postea. Nam meritum vel demeritum ordinantur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum : sed quantum ad retributionem essentialem, tum ante diem iudicii, tum postea, est ultima consecutio et bonorum et malorum. — At quia usque ad diem iudicii, aliqui trahuntur ad bonum officio angelorum bonorum aut exemplo bonorum hominum, et aliqui incitantur ad malum, instigatione malorum angelorum aut exemplo malorum hominum, ideo respectu praemii accidentalis ac poenae secundariae, possunt augeri meritum et demeritum usque ad diem iudicii, tum in angelis, tum in hominibus bonis vel malis. Ex hoc enim supercrescit gaudium bonorum angelorum aut hominum, quod plures salvari vident, et pariter supercrescit poena malorum ex eo quod suis malis desideriis se frustrari cernunt et novos sibi damnatos sociatos habent: quod tamen non erit ultra diem iudicii [1].

**14. — Quaestio.** — *Quisnam sit sensus verborum S. Thomae* [2]: NEC EST INCONVENIENS QUOD, QUANTUM AD ALIQUID ACCIDENTALE, POENA INFERNI MINUATUR USQUE AD DIEM IUDICII, SICUT ETIAM AUGETUR ?

*Resp.* Quia praedicta verba a nonnullis adduci solent in favorem sententiae mitigationis poenarum inferni,

1. S., Quaest. XCVIII, art. 6. — 2. 4, Dist. XXII, Quaest. I, art. , ad 5m.

ideo pretium operae est illa accuratius perpendere. — Imprimis, advertendum est, hic agi a S. Thoma formaliter de poena solvenda in inferno pro peccatis sive mortalibus, sive venialibus, iam quoad culpam remissis; et quaestio est: eritne poena illa aeterna?

Respondet autem Angelicus Doctor, academice recitans, ex aliorum sententia, duas opiniones: quarum altera, quae nostra refert, vult quod huiusmodi punientur tantummodo temporaliter; et ratio redditur: *Nec est inconveniens quod, quantum ad aliquid accidentale, poena inferni minuatur usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur.* Igitur in hac responsione, si quidem, uti decet, ex contextu perpendatur, duo continentur: primum, admitti posse poenam praedictam minutum, imo totaliter sublatum iri; secundum, admitti etiam posse poenam augeri. At primum certe S. Thomas ipsemet aut non admittit, aut si unquam admiserit, retractavit, cum expresse doceat sine gratia non fieri remissionem poenae [1]; alterum vero, scilicet de augmento poenarum, intelligi potest hoc sensu quod sicut sancti, ex perspectis effectibus virtutum suarum, accipiunt augmentum accidentale gloriae et beatitudinis, ita damnati, ex perspectis consequentiis peccatorum suorum, augmentum accidentale poenae consecuturi sint, ut supra dictum est [2]. Igitur nullimode ex citatis S. Thomae verbis, licet deducere illum tenuisse poenas inferni, etiam accidentales, minutum aut suspensum iri [3].

1. 1 2ae, Quaest. LXXXVII, art. 5, ad 2m. — 2. N. 11. — 3. Quocirca perperam a notato superius (p. 227, n. 2) auctore inducitur citatus S. Thomae locus, cuius tamen ultima verba: *sicut etiam augetur,* ab eo praetermittuntur, ad evincendum quod *probabilius admittitur quaedam mitigatio poenae accidentalis* in inferno. — Demum vix opus est ut dicatur futile nimium esse, ut considerationem mereatur, id quod in apocripho libro: *Apocalypsis B. M. V.* legitur, de mitigatione poenarum damnatis a Domino Nostro concessa die Pentecostes, per intercessionem B. V., S. Michaelis et omnium sanctorum. Cf. Robinson, *Texts and Studies,* t. II, Apocrypha anecdota, p. 126. — Qui cupit mo.

## ARTICULUS VIII. — *Utrum poenae damnatorum futurae sint aequales.*

**1. — Ratio articuli.** — Acto iam de natura et duratione poenarum inferni, sequitur ut de earum diversitate, pro demeritorum varietate, peragatur. — Ubi certe quaestio non est de substantia poenarum, cum satis constet damnatos omnes poena tum sensus seu ignis, tum damni seu privationis visionis beatificae, torqueri: at dubitatur de respectiva quantitate huius duplicis poenae, quatenus ad singulorum demerita referatur. Ubi supponimus, ut patet, diversorum damnatorum demerita esse inaequalia, quod olim negavit Iovinianus, asserens omnium hominum tum merita, tum demerita, paria esse: ex quo profecto sequeretur, parem omnium tum mercedem tum poenam esse debere; a qua conclusione et ipse Lutherus non abhorruit.

**2. — PROP. — Poenae inferni diversae sunt pro peccatorum diversitate.**

Haec veritas de fide tenenda est, ita in Concilio Florentino definita [1]: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

**3. — Sacra Scriptura.** — Qua de re prostant manifesta Sacrarum Scripturarum testimonia. Sic, verbi gratia, legimus [2]: *Iudicium durissimum his qui praesunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem poten-*

---

dernorum protestantium doctrinam circa poenas inferni cognoscere, utiliter adibit opus IOS. C. SASIA, S. I., *The future Life according to the authority of divine Revelation, the dictates of sound reason, the general consent of Mankind.* P. X.th. New York, 1918.

1. Decreto pro Graecis, Bulla *Laetentur caeli*, 6 Iul., 1439. — 2. Sap., VI, 6, 7.

*ter tormenta patientur... Fortioribus autem fortior instat cruciatio,* quod est, secundum meritum ac mensuram patratorum criminum, severior sequetur sententia et amplior cruciatio. In graeco, loco τοῦ *tormenta patientur,* habetur *examinabuntur,* ἐταθήσονται, et loco τοῦ *cruciatio,* adest *scrutatio* vel *inquisitio,* ἔρευνα: at latinus interpres poenam expressit, quae examen consequitur [1]. Solemnis quoque est Domini Nostri sententia [2]: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati,* quae videlicet Evangelii gratiam abiecit. Denique, Apostolus monet quod in ultima die Deus *reddet unicuique secundum opera eius* [3].

4. — **Patrum traditio.** — Nulla quoque est, hac super re, de Patrum mente dubitatio. Sic S. Hieronymus, commentans superiorem locum S. Matthaei, ait [4]: *Si tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum, quam illi civitati quae non receperit Evangelium, et idcirco tolerabilius quia Sodomis et Gomorrhis non fuit praedicatum, huic autem praedicatum sit, et tamen non receperit Evangelium, ergo inter peccatores diversa supplicia sunt.* Nec dissimiliter S. Augustinus [5]: *Dubitandum non est, ipsas poenas, quibus cruciabuntur qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, et alias aliis acriores, ut in ipso igne aeterno, pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta poenarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit:* TOLERABILIUS ERIT SODOMIS, QUAM VOBIS IN DIE IUDICII. Denique S. Gregorius Magnus [6]: *Unus quidem est gehennae ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores: uniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tanta illic sentiet poena.*

1. Tirinus, in h. l. — 2. Matth., X, 15. — 3. Rom., II, 6. — 4. T. VII, P. I, col. 60. — 5. L. IV, contra Donatist., c. 19, t. IX, col. 187. — 6. L. IV, Dialog., c. 43, vol. I, p. 1058.

**5. — Prob. rat. theol. — I. Ex parte poenae damni.** — Ad intelligendum quomodo poena damni, consistens in privatione visionis beatificae, possit esse maior in uno damnato quam in alio, licet dici solet quod privationes non suscipiunt magis et minus, iuvabit advertere duplex esse privationum genus. — Est enim quaedam simplex et pura privatio, quae consistit quasi in corruptum esse, sicut mors est privatio vitae, et tenebrae privatio luminis: et tales privationes non recipiunt magis et minus, quia nihil residuum est de habitu opposito; unde non minus est mortuus aliquis primo die mortis, quam post annum, quando iam cadaver fuerit resolutum, et similiter non est magis tenebrosa domus, si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quam si sit operta uno solo velamine totum lumen intercludente. — Est autem alia privatio, non simplex, sed aliquid retinens de habitu opposito; quae quidem privatio magis consistit in corrumpi, quam in corruptum esse; sicut aegritudo, quae privat debitam commensurationem humorum, ita tamen quod aliquid eius remaneat, alioquin non remaneret animal vivum: et similiter est de turpitudine, et aliis huiusmodi. Huiusmodi autem privationes recipiunt magis et minus ex parte eius quod remanet de habitu contrario: multum enim refert ad aegritudinem vel turpitudinem, utrum plus vel minus a debita commensuratione humorum vel membrorum recedatur [1]. Igitur, simile dicendum est de poena damni, qua quis visione beatifica privatur: per hoc enim non totaliter tollitur ordo intellectus ad Deum, ut ad obiectum beatitudinis finalis in ordine supernaturali: quocirca multum interest, ad gravitatem poenae damni, utrum plus vel minus aliquis per peccatum mortale recesserit a Deo, tanquam a fonte gratiae et totius beatitudinis.

1. 1 2ae, Quaest. LXXIII, art. 2, ad litt.

**6. — II. Ex parte poenae sensus.** — Ignis infernalis, in quo consistit potissime poena sensus, erit instrumentum divinae iustitiae punientis: instrumentum autem non solum agit in virtute propria et per proprium modum, sed etiam in virtute principalis agentis et secundum quod est regulatum ab eo: unde, quamvis ignis secundum propriam virtutem non habeat quod aliquos cruciet secundum magis vel minus secundum modum peccati, habet tamen hoc secundum quod eius actio modificatur ex ordine divinae iustitiae; sicut etiam ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione, secundum quod competit ad effectum artis [1].

## Articulus IX. — *Utrum pro quolibet peccato mortali aliquis in inferno aeternaliter sit puniendus.*

**1. — Ratio articuli.** — Ponitur articulus praesens contra illos qui, Origenis sententiae adhaerentes, excludere conati sunt ab aeterna damnatione eos qui baptismatis charactere fuerint insigniti, vel saltem eos qui cum fide, etsi caritate destituta, decesserint, vel ad minus eos qui aliquando operibus misericordiae in hac vita institerint, de quibus omnibus fuse edisserit S. Augustinus [2]. His vero, qui *semiuniversalistae* dicti sunt, accensentur et moderni illi auctores, qui contendunt inferno aeternaliter esse addicendos illos solum qui magnis criminibus fuerint inquinati [3]: scilicet, qui id contendunt, eo moti videntur, quod intelligere non valent quomodo Deus, cuius bonitatis

1. S., Quaest. XCVII, art. 5, ad 3m, ad litt. — 2. 1. L. XXI de Civ. Dei, cc. 18, seq. — 3. Sic quippe legitur in DICTIONNAIRE DE THÉOLOGIE CATHOLIQUE, Vacant-Mangenot (t. V, col. 116): *Il est souverainement probable, comme le pensent plusieurs théologiens, que Dieu ne précipite pas le pécheur en enfer pour un péché mortel isolé, surtout pour un péché de fragilité; mais qu'il n'y envoie que des pécheurs invétérés.* Cf. L'Ami du clergé, n. 33, 10 Avril, 1919, p. 766. Verba haec, etsi benignae forsan interpretationi obvia, tamen, ut sonant, vera non sunt.

infinitus est thesaurus, vel pro uno mortali peccato, possit hominem tanto et tam gravi supplicio adiudicare.

2. — PROP. — **Poena aeterna eos omnes sine exceptione manet, qui ex hac vita vel cum unius mortalis peccati reatu decesserint.**

3. — **Suadetur.** — Primo quidem suadetur propositio haec verbis Domini nostri [1], quibus distincta enumeratione iubet amputari manum, pedem aut oculum, si quando haec membra peccati et ruinae causa extiterint: significans tollendam esse nobis peccati occasionem, etsi hoc nobis gravem dolorem causare deberet, perinde ac si nobis erueretur oculus, vel abscinderetur manus vel pes. Hac autem enumeratione sat aperte innuitur, ob quodcumque peccatum grave imminere homini gehennam ignis, *ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.*

4. — **Prob. ex Sacra Scriptura.** — I. Apud S. Matthaeum legimus [2]: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo:* quibus verbis Dominus noster docet, non solum externum adulterii vel fornicationis actum vetari, sed etiam internum eiusdem affectum vel desiderium. Mox autem subiungit verba quibus modo alludebamus: *quod si oculus tuus dexter scandalizat te,* etc., plane significans eamdem imminere mortis aeternae damnationem, sive quis adulterium vel fornicationem actu, sive solum desiderio commiserit.

II. Clarius adhuc res ista elucescit ex S. Paulo, dicente [3]: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei*

1. Marc., IX, 42, seq. — 2. V, 27, 28. — 3. 1 Cor., VI, 9.

*possidebunt.* Porro, idem est excludi a regno Dei, et poenis aeternis addici, ut testatur S. Augustinus [1]: *Si in regni Dei possessione nunquam erunt, aeterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus medius ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.* Ergo reus cuiuscumque ex supradictis delictis aeternas patietur poenas in inferno.

III. S. Iacobus ait [1]: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: qui enim dixit: non moechaberis, dixit et: non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Haec verba Apostolus adducit contra nonnullos iudaeos, quos et quidam christiani postea secuti sunt, quos S. Augustinus confutavit [2], docentes aeternaliter damnandos non fore qui observata aliqua parte legis, aliam partem fuissent transgressi. Vult igitur S. Iacobus violatorem legis, etiam in uno puncto, in eadem conditione esse, quantum ad substantiam poenae aeternae, etsi non quantum ad qualitatem aut quantitatem, ac violatorem eiusdem in toto aut in maiori parte.

**5. — Prob. rat. theol.** — I. Homo, committendo vel unum peccatum mortale, deordinat se deordinatione radicali per respectum ad finem ultimum: quae quidem deordinatio, quamdiu perdurat vita praesens, reparari potest per gratiam Dei; fit autem irreparabilis adveniente termino vitae, cum tunc voluntas immobilis perseveret in obiecto suae ultimae electionis. Ergo decedens vel cum uno solo mortali peccato exclusionem a vita aeterna et addictionem ad aeternas poenas meretur [3].

1. L. XXI de Civ. Dei, c. 25, n. 1, t. 7, col. 645. — 2. II, 10, 11. — 3. Enchirid., c. 17, t. VI, col. 201. — 4. Rite de singulis animabus, mortali peccato inquinatis, canit Poëta (Inf., canto III, v. 106, seq.):

*Poi si ritrasser tutte quante insieme,*
*Forte piangendo alla riva malvagia*
*Ch'attende ciascun uom che Dio non teme.*

6. — **Explicatur** — Iuvat autem auream regulam a S. Thoma traditam heic recitare, qua simul proposito dubio respondetur, et tuta traditur norma qua sedari possunt conscientiarum anxietates. *Peccatum,* ait ille [1], *causat reatum poenae aeternae, inquantum irreparabiliter repugnat ordini divinae iustitiae, per hoc scilicet quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est ultimus finis: manifestum est autem, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, sed solum circa ea quae sunt ad finem, inquantum plus vel minus debite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem: puta, cum homo, etsi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra praeceptum eius faciendo, unde huiusmodi peccato non debetur aeterna poena, sed temporalis* [2].

7. — **Confirmatur.** — Signanter autem eadem veritas patescit singillatim percurrendo varias opiniones dicentium, hominem non pro quolibet mortali peccato aeternaliter puniendum.

α) Si quidem dicatur quod illi solum ab aeterna poena erunt immunes, qui sacramenta fidei sunt consecuti et fidem catholicam tenuerunt: contra hoc esse videtur, quod aliquando aliqui catholicam fidem tenent, et postea ab ea recedunt; qui non minori poena sunt digni, quam ii qui nunquam fidem habuerunt, sed potius maiori, quia *melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti* [3]. Planum est etiam peccare plus haeresiarchas, qui a fide catholica recedentes novas haereses confingunt, quam illos, qui a principio vitae suae aliquam haeresim sunt secuti.

1. 1 2ae, Quaest. LXXXVII, art. 5. — 2. Ad normam hanc debuisset attendere auctor ille qui verba superius recitata (n. 1, nota 2) protulit. — 3. 2 Petr., II, 21.

β) Si vero dicatur quod illi soli erunt ab aeterna poena immunes, qui in fide catholica finaliter perseveraverint, quantumcumque aliis criminibus fuerint involuti, contra hoc manifeste pugnat Scriptura, quae dicit[1]: *Fides sine operibus mortua est,* et [2]: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est;* et in multis aliis locis Scriptura peccantibus aeternas poenas comminatur[3].

γ) Denique si dicatur illos solos non fore aeternaliter damnandos, qui operibus misericordiae insistunt, quamvis etiam aliis criminibus sint subiecti: contra est quod sine caritate non potest aliquid Deo esse acceptum, nec sine ea prodest quidquam ad vitam aeternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiae insistere, qui caritatem non habent: unde his nihil prodest ad vitam aeternam promerendam, vel ad immunitatem ab aeterna poena, ut ait S. Paulus [4]: et praecipue hoc apparet absurdum in raptoribus, qui multa rapiunt, et tamen aliqua misericorditer largiuntur.

Quocirca concludendum quod quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fide quam habuerunt, nec operibus misericordiae quae fecerunt, liberabuntur a poena aeterna, etiam post quantumcumque spatium temporis[5].

**8. — Solvuntur difficultates.** — I. Apud S. Matthaeum legitur [6]: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* et rursus [7]: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris... Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra.* Ergo videtur quod misericordes, et ii qui aliis debita dimittunt, licet peccatis gravati, ipsi veniam peccatorum consequentur, et sic non aeternaliter punientur.

1. Iac., II, 26. — 2. Matth. VII, 21. — 3. S. Quaest. XCIX, Art. 4. — 4. 1 Cor. XIII, 1-3. — 5. Ibid., Art. 5. — 6. V, 7. — 7. VI, 12, 14.

*Respondet* S. Thomas [1], quod illi misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinate impendunt: non autem ordinate misericordiam impendunt, qui seipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant male agendo: et ideo tales misericordiam penitus absolventem non consequentur, etsi consequentur misericordiam de poenis debitis aliquid relaxantem. — Quod autem promisit Dominus, scilicet dimittenda nobis delicta nostra, utique promisit nobis petentibus debita nostra relaxari, non autem persistentibus in peccato; et ideo soli poenitentes per opera misericordiae consequentur veniam penitus liberantem.

II. Apud eumdem S. Matthaeum ponitur disceptatio Domini cum reprobis et electis [2]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum:... esurivi enim et non dedistis mihi manducare,* etc., quasi pro solis omissis misericordiae operibus aliqui puniendi sint aeternaliter.

*Resp.* Christus unum genus operum pro omnibus posuit, ut videlicet, adducto exemplo, nos probe doceret se neminem, nisi ex iustissima causa, aut salvaturum fore, aut condemnaturum. Ideo autem ad opera misericordiae, magis quam ad alia quaecumque opera appellat, quia haec magis idonea videntur, communi hominum iudicio, ad demonstrandam iudicii et sententiae aequitatem: sicut enim in omnium existimatione patet, iustum esse ut qui Christum pauperem et nudum susceperit, ab eo iam glorificato vicissim suscipiatur, ita aequitati conforme videtur ut qui illum in egestate positum superbe despexerit, ab eius consortio in beatitudine excludatur [3]. Dici etiam potest, cum S. Thoma [4], quod non propter hoc ponitur disceptatio de operibus misericordiae solum, quia pro eorum negligentia tantummodo aliqui aeternaliter pu-

1. Ibid., art. 5, ad 1m et 3m. — 2. XXV, 41, seq. — 3. Cf. Maldonatus, in h. l. S. Matthaei. — 4. Ibid., art. 5, ad 2m.

nientur, sed quia illi, post peccata patrata, per opera misericordiae sibi veniam impetrarunt [1].

III. Dixit Dominus noster [2]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Atqui credere omnium christianorum est. Ergo omnes christiani finaliter salvabuntur.

*Respondet* S. Thomas [3] quod Dominus ibi loquitur de fide formata quae per dilectionem operatur, in qua quicumque decesserit, salvus erit: porro huic non solum opponitur infidelitatis error, sed quodlibet peccatum mortale.

IV. Dixit iterum Christus [4]: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Sed hic est communis cibus et potus christianorum. Ergo idem quod prius.

*Respondet* idem Angelicus [5] quod verbum Domini intelligitur non de illis qui tantum sacramentaliter edunt, qui indigne quandoque sumentes, iudicium sibi manducant et bibunt [6], sed loquitur de manducantibus spiritualiter, qui per caritatem ei incorporantur: quam incorporationem facit sacramentalis comestio, si quis digne accedat; unde, quantum est ex virtute sacramenti, ad vitam aeternam perducit, quamvis aliquis possit tali fructu privari per peccatum, etiam postquam digne sumpserit.

**9. — Sententia S. Hieronymi.** — S. Hieronymus, distinctione inducta, ex quibusdam locis S. Scripturae [7], inter impios et peccatores, inter primos recenseri voluit infideles et haereticos nolentes ad Deum converti, quos dixit perpetuo perire; inter secundos vero christianos in statu peccati morientes, qui post purgatorias poenas salvabuntur. *Sine lege impius est,* ait [8], *qui in aeternum*

1. Cf. S. August., l. XXI de Civ. Dei, c. 27, n. 3. — 2. Marc., XVI, 16. — 3. Ibid., art. 4, ad 1m. — 4. Io., VI, 55. — 5. Ibid., ad 2m. — 6. 1 Cor., XI, 29. — 7. Vid. Ps. I, 5: *Non resurgent impii in iudicio* et Ps. XXXI, 10: *Multa flagella peccatoris*; et maxime, Rom., II, 12: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* — 8. Dialogo contra Pelagian., n. 28. t. II, col. 711, ed. Vallarsii, Veronae 1753.

*peribit. In lege peccator credens in Deum, qui per legem iudicabitur et non peribit;* unde concludit [1]: *Diabolum et satellites eius omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo, et christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas* [2].

At, imprimis, advertendum est, sententiam quae discernit inter infideles et malos christianos, quasi isti salventur, illi vero sint damnandi, communiter apud Patres inauditam esse; eamdem aperte contradicere Evangelio, unam solam distinctionem admittenti, ovium et haedorum, eorum scilicet qui bona egerint, et eorum qui mala; pugnare etiam contra doctrinam Apostoli sine distinctione a regno Dei fornicarios, idolis servientes, adulteros, molles, etc., excludentis [3]; unde mirandum non est, si aperte a S. Augustino reiiciatur, cum dicat [4]: *Nec mitior ulla conditio promittenda est, sic in Deum credere volentibus, ut permaneant in perditis moribus.*

Quod autem ad S. Hieronymum attinet, primo advertimus, innumera prostare apud eumdem testimonia, quibus constat eum docuisse aeternas imminere poenas malis christianis, qui sine poenitentia decesserint. Porro, recolendum, S. Doctorem, in citato loco, contra Pelagianos agere, quorum erat sententia, e Stoicorum fontibus hausta, inter levia et gravia peccata minime esse distinguendum: sic quippe severiores iustitiae asseclae ipsimet videri volebant. Hos igitur ut confutaret S. Hieronymus, ostendit neminem, ex eorum sententia, salutem aeternam consequi posse: unde quod ait de peccatore in lege credente in Deum, qui per legem iudicabitur et non peribit; de homine christiano, levioribus dumtaxat culpis maculato, profecto intelligendum est.

Nec meliori consilio contra veritatem catholicam ur-

1. L. cit. — 2. Similia habet l. II Apologiae contra Rufinum, n. 7: Comment. super Ezech., c. 26. — 3. 1 Cor., VI, 9. — 4. L. de fide et operibus, c. 23, necnon Enchiridion de fide, spe et caritate, *passim*

gebitur hic alter S. Doctoris locus [1]: *Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo:* NON EST DEUS, *credimus aeterna tormenta; sic peccatorum atque impiorum, et tamen christianorum, quorum opera igne probanda atque purganda sunt, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sententiam iudicis.* — His quippe verbis nihil aliud intendit Stridonensis Doctor, nisi idipsum quod docet S. Paulus [2], scilicet, christianorum imperfecta opera, seu leviora crimina, igne purgatorio probanda atque purganda, gravioribus videlicet peccatis per poenitentiam iam dimissis. Non est ergo cur asseratur S. Hieronymus a communi Patrum doctrina discessisse, tenentium singulis peccatis mortalibus inferni poenas deberi [3].

**10. — Quaestio. —** *Utrum poena debita peccatis mortalibus quoad culpam remissis, aut peccatis venialibus, sive remissis quoad culpam, sive non, aeterna futura sit in inferno?*

*Resp.* Affirmative. Licet enim in hisce casibus solum poena temporalis per se debeatur, ista tamen poena per accidens fit aeterna, quod ita ostenditur. Et primo quidem, si agatur de peccato veniali nondum remisso, quia poena, manente culpa, nunquam remittitur, hinc cum damnati in malo obstinati maneant, frustra expectatur ut eis poena illa condonetur [4]. Si autem agatur sive de peccato mortali sive de peccato veniali quoad culpam remisso, quia praesens damnati conditio illum totaliter extra caritatem ponit, remissio autem poenae, ex parte Dei, est actus caritatis, ideo poena illa damnato non remittitur [5].

1. Comment. in Isaiam, cap. ult. — 2. 1 Cor., III, 13, 14. — 3. Cf. notam Scip. Maffeii in praecitatam sententiam S. Hieronymi, in Dial. contra Pelag., l. c. — 4. Vide supra, art. 6, n. 3. — 5. Cf. Quaest. VII de Malo, art. 10; 1 2ae, Quaest. LXXXVII, art. 5, ad 2m et 3m. Quocirca expresse contra S. Thomae mentem est dicere quod *poena peccatis venialibus debita finem accipiet post aliquod tempus;... poena temporalis, peccatis mortalibus iam remissis debita, pariter cessabit.*

## QUAESTIO V.

## DE PURGATORIO.

### PROLOGUS.

**1. — Utilitas huius tractationis.** — Vix dici potest quanta, ex purgatorii consideratione, utilitas capi valet pro vita christiane traducenda. Enimvero, ex perpensis gravissimis poenis quae iustum nondum plene expiatum manent in altera vita, non solum alta existimatio concipitur de Dei sanctitate atque de illius iudiciis saluberrimus timor, unde et animus a peccando etiam venialiter potentissime retrahitur; verum etiam christiana mens valide excitatur ad animarum in illo loco patientium dolores sublevandos: quod quidem opus inter potissima caritatis officia iure meritoque computatur.

Quocirca Ecclesiae semper cordi fuit ut haec doctrina fideli populo traderetur, ut erui potest ex sequentibus Concilii tridentini verbis[1]: *Praecipit sancta Synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari*

1. Sessio XXV, Decretum de Purgatorio.

*non permittant. Ea vero quae ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant.*

2. — **Quaenam sit purgatorii natura.** — Est autem purgatorium, ut vox ipsa, indicat, locus seu status, in quo animae iustorum, peccatorum quorumdam pondere adhuc gravatae, a Deo iuste puniuntur, quatenus ad beatorum societatem transire tandem possint. Ad quod intelligendum, sciendum est, gratiam quidem transformare poenitentis animam, et ex Dei inimica facere illius amicam, atque certam eam reddere de salute aeterna: at non omnes eius facultates ita statim perficit, nec illius umbras ita penitus tollit, quod protinus ad Dei conspectum illa valeat admitti: unde plura saepe ipsi expianda manent in purgatorio ex mala peccatorum progenie orta. Quocirca, ut verbis utar poetae christiani,

*E canterò di quel secondo regno*
*Ove l'umano spirito si purga,*
*E di salire al ciel diventa degno* [1].

Ex hac autem doctrina clare apparebit quomodo *triumphans illa et caelestis Ecclesia, quae sanctis hinc decedentibus coalescit, immaculata et rugam non habens,*

1. Dante, Purg., cant. I, vers. 3. Poetice Rm̃us Dñus I. C. Hedley, episcopus Neoportensis, illustrat modum quo huiusmodi peccatorum reliquiae purgandae sunt, antequam anima ad caelum admittatur: *When the delicate shrubs of the French Riviera are weighed down by the cruel snow which sometimes visits those fair coasts, they revive as the snow melts, but they do not revive all at once. The bent fibre, the crushed leaf, the discoloured bloom, regain their shape, their soundness and their beauty only after the long effort that nature makes through days of painful struggle. So it may be that in Purgatory the soul that God loves is painfully prepared to look upon His Face.* XIXth Cent. and After, n. 287. Ian., 1901, p. 164.

*non potest aliquid coinquinatum admittere, et ideo purgari minimas etiam maculas oportet* [1].

**3. — Quaestionis divisio.** — Ordo autem huius quaestionis talis erit, ut primo quidem de purgatorio inquiratur an sit (1), et secundo, qualiter animae in hoc poenali loco se habeant (2-11). Ad quod alterum obtinendum, consideranda seorsim erunt, primo, poena quam animae inibi patiuntur (2-3), secundo, status in quo inveniuntur (4-11). Porro, de poena ab anima in purgatorio luenda quaerendum erit, primo, an et qualiter illam anima revera sustineat (2), secundo ad quidnam poena haec ordinetur, an scilicet etiam ad reatum culpae delendum (3). De statu autem in quo animae in purgatorio inveniuntur, inquirendum erit tum in ordine ontologico (4-9), tum in ordine logico (10-11). In ordine ontologico determinari debebit tum de auxilio quod ab aliis animae in purgatorio percipere possunt (4-8), tum de auxilio quod nobis ipsis earum opera potest obvenire (9). Quaestio autem de auxilio quod animae in purgatorio ab aliis possunt percipere, duplex est: prima, generalis (4), altera vero particularis, secundum quod adiutores huiusmodi considerantur, vel Sancti et Angeli (5), vel homines viventes, determinando, utrum revera animas in purgatorio detentas nosipsi iuvare possimus (6), necnon utrum id fieri possit per respectum ad determinatam personam (7) et utrum modo infallibili (8). Demum, soluta altera proposita quaestione, utrum iuvari possimus precibus animarum in purgatorio (9), inspiciendus erit status huiusmodi animarum secundum ordinem logicum, seu cognitionis (10-11), inquirendo, primo, utrum animae in purgatorio certo sciant se salvas esse (10), et vicissim utrum nos certiores esse possimus de liberatione alicuius animae (11).

1. Felicianus Capitonus, O. S. M., in citato aureo opere *Explicationes catholicae*, p. 382.

De purgatorio quaerendum est

- an sit (1)
- qualiter sit, quantum ad
  - poenam, ut sciatur
    - an et qualis sit (2)
    - ad quidnam ordinetur (3)
  - statum in quo animae ibi inveniuntur, inspecto ordine
    - ontologico, quantum ad auxilium quod animae illae possunt
      - ab aliis percipere
        - generaliter (4)
        - specialiter, ex parte
          - Sanctorum in caelo (5)
          - hominum viventium, considerato huiusmodi auxilio
            - generaliter (6)
            - quantum ad
              - determinatam personam (7)
              - infallibilem operandi modum (8)
      - nobis adferre (9)
    - logico vel cognitionis, quam
      - ipsae de se habeant (10)
      - nos de eis habeamus (11)

Igitur, in hac quaestione undecim investiganda sunt.

*Primo.* Utrum purgatorium sit post hanc vitam.

*Secundo.* Utrum animae in purgatorio poenas patiantur.

*Tertio.* Utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale quoad culpam.

*Quarto.* Utrum animae in purgatorio detentae iuvari possint ex operibus vivorum.

*Quinto.* Utrum Sancti et Angeli defunctis in purgatorio existentibus subveniant.

*Sexto.* Utrum orationes Ecclesiae, sacrificium altaris et eleemosynae prosint defunctis.

*Septimo.* Utrum suffragia pro speciali aliquo defuncto facta, illi magis quam ceteris prosint.

*Octavo.* Utrum suffragia uni animae specialiter applicata infallibiliter ipsi prosint.

*Nono.* Utrum animae in purgatorio detentae nos suis precibus possint iuvare.

*Decimo.* Utrum animae in purgatorio detentae certae sint de sua salute.

*Undecimo.* Utrum de alicuius animae liberatione certiores esse valeamus.

## ARTICULUS I. — *Utrum purgatorium sit post hanc vitam.*

**1. — Errores.** — Purgatorii existentiam infitiatus olim videtur fuisse Aërius, saeculo quarto, qui orationes et oblationes pro defunctis ausus est condemnare, quem errorem S. Augustinus expresse damnat [1]. — Apertius vero, media aetate, purgatorium impetivere Waldenses [2], quibus Albigenses et orientalium plures consenserunt [3].

1. L. de Haeres., haeres. LIII. t. VIII, col. 18. S. Augustino praeiverant SS. Ephrem Syrus et Epiphanius. — 2. Cf. quae de his scribit S. Bernardus, Serm. LXVI in Cant., n. 11. — 3. Cf. PITZJPIOS, L'Eglise orientale, t. I, c. 11, n. 3.

At audacius progressi sunt Novatores saeculi decimi sexti, ex quibus Calvinus non erubuit purgatorium describere tanquam *exitiale Satanae commentum, quod Christi crucem evacuat*[1]. Nec hoc sine ratione: cum enim Novatorum principium fuerit, peccata nostra, etsi reapse non remittantur, ob Christi tamen sufficientissima merita non imputari ad poenam, logice deducere debuerunt, hinc quidem frustra assignari locum ad animas a peccatis purgandas; illinc vero, cum inania reputarent bona iustorum opera, suffragia inutiliter pro eisdem confingi, ideo una cum purgatorio, reiicere coacti sunt etiam indulgentiarum existentiam[2]. — Recentiori tempore homines ad rationalismum proclives, duce praecipue Voltaire, purgatorium irridere non erubuerunt, tanquam inane sacerdotum commentum simplicium credulitate abutentium; ex adverso autem plures, ad protestantium castra pertinentes, ad catholicum dogma propius regredi conati sunt, statum quemdam intermedium admittentes in quo, secundum aliquos, animae quibusdam poenis addicuntur, secundum alios autem, quiete quadam ac felicitate imperfecta, perfectae caelestis felicitatis nuntia, perfruuntur.

2. — PROP. — **Existit purgatorium, in quo illorum animae, qui in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, poenis condignis post mortem purgantur.**

Haec propositio fere ad litteram desumitur ex Concilio Florentino [3], ubi purgatorii existentia vindicatur, cohaerenter iis quae iamdiu Concilium Lugdunense II decla-

1. L III Institut., c. V, § 6. Cf. Bellarmin., de Purgat., l. I, c. 2. — 2. Sic legitur art. XXII Ecclesiae Anglicanae : *Doctrina romanensium, de purgatorio, de indulgentiis,... res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur : imo verbo Dei contradicit.* Praesentem Ecclesiae anglicanae mentem de hac re exhibet Edgar C. S. Gibson, D. D., The XXXIXth art. of the Church of England. London, 1902, pag. 542. — 3. Decreto pro Graecis, Bulla *Laetentur caeli*, D.-B., 693.

raverat[1]; quam itidem doctrinam Concilium Tridentinum solemniter sancivit, his verbis[2]: *Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris Litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac oecumenica Synodo,* (docuit) *purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuvari.* Quae quidem verba respectum habent ad hanc Lutheri propositionem[3]: *Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura quae sit in Canone.*

3. — **Prob. ex Sacra Scriptura.** — I. Imprimis celebre est id quod in Veteri Testamento de Iuda Machabaeo legitur, qui, pro quibusdam occisis iudaeis, qui de donariis idolorum sustulerant, sacrificium offerri curavit[4]: *Atque ita ad preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quae facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis): et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*[5].

Ex quibus constat, hanc Iudaeorum fuisse persuasio-

1. In professione fidei Michaelis Palaeologi, D.-B., n. 464. Notat Lequien (Dissert. V in Op. S. Io. Dam.), nullam de hoc dogmate, inter utramque Ecclesiam, ante Conc. Flor., extitisse. — 2. Sess. XXV, Decretum de Purgatorio. — 3. 37a inter 41 a Leone X, Bulla *Exurge Domine*, 15 Iun., 1520, condemnatas. D.-B., n. 777. — 4. 2 Mach., XII, 42-46. — 5. Explicuimus supra (Quaest. praec., art. 7, n. 7 p. 225), ex S. Thoma (Supplem., LXX, art. 5, ad 1m), quo pacto teneri possit milites illos salvos fuisse.

nem, primo, mortuos resurrecturos esse; secundo, posse aliquem decedere cum peccatis a vita non excludentibus; tertio, huiusmodi posse viventium suffragiis iuvari. — Signanter vero, ex recitatis ultimo loco verbis ita egregie argumentatur Angelicus Doctor [1]: Pro defunctis qui sunt in paradiso non est orandum, quia illi nullo indigent: nec iterum pro illis, qui sunt in inferno, quia a peccatis solvi non possunt. Ergo post hanc vitam sunt aliqui a peccatis nondum absoluti, qui solvi possunt, et tales quidem caritatem habent, sine qua non fit peccatorum remissio, quia *universa delicta operit caritas* [2]: unde ad mortem aeternam non devenient, quia *qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum*, ait Christus [3]: nec tamen ad gloriam inducentur nisi purgati, quia nihil immundum ad illam perveniet [4].

Restat ergo ut animae, quae non plene debitum culparum solverint, poenis purgatoriis, seu, ut aiunt, catharteriis [5], purgentur.

II. Non minus eloquentia sunt quae in Novo Testamento prostant. Sic quippe legimus [6]: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ex his verbis, evidenter constat, ex mente Domini Nostri, dari quaedam peccata in altera vita remissibilia, ut inferunt S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Beda et S. Bernardus [7].

Ad idem refertur quod apud S. Paulum legitur [8]: *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit; dies*

1. 4, Dist. XXI, Quaest. I, art. 1, q. 1, Sed contra. — 2. Prov., X, 12. — 3. Ioan., XI, 26. — 4. Apoc., XXI, 27. — 5. Conc. Lugd. II, Prof. Mich. Pal. D.-B., 464. — 6. Matth., XII. 32. — 7. Circa sensum huius loci, vide quae diximus in tr. de Poenitentia, Quaest. LXXXVI, art. 1. — 8. 1 Cor., III, 12-15.

*enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem* [1]. Εἰ δὲ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον χρυσόν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον, καλάμην, ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται· ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται· καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστιν τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει. Εἴ τινος τὸ ἔργον μενεῖ ὃ ἐπῳκοδόμησεν, μισθὸν λήψεται· εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται· αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός.

Igitur S. Paulus, instituta similitudine aedificatoris domus, qui illam ex diversi generis materialibus construere potest, testatur in ultimo die, ex ignis probatione manifestandum fore, quale opus revera fuerit: nimirum, relicto casu quo domus super erroris fundamentum superextructa fuerit, totaliter postea destruenda, considerat Apostolus casum quo domus super solidum et pretiosum veritatis fundamentum inveniatur extructa; et quidem, aut non erit admixtio corruptibilis materiae, et tunc opus intactum et inconsumptum ab igne perseverabit tanquam non habens culpam admixtam, et tali operi statim plena reddetur merces; quod si operi scoriae venialium peccatorum inveniantur permixtae, tunc quidem aedificator detrimentum patietur, id est, ut explicat Dionysius Cartusianus [2], minus de gloria obtinebit, quanto scilicet opus eius imperfectius et cremabilius fuerit; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, scilicet purgatorii, per quem transibit ad gloriam, *quoniam non discessit a fundamento, nec aliquid praetulit Deo, sed ultimo fini magis inhaesit, quam alicui bono creato,*

1. Hunc textum, quod attinet ad distinctionem peccati venialis a mortali, expendimus in citato tr. de Poenitentia. Quaest. LXXXVII, art. 1. — 2. Comment. in h. l.

*quamvis a terrenis affectibus non fuerit satis mundatus* [1].

**4. — Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat, quod hic de die Domini, seu de extremo iudicio agitur: nam, sicut Sacra Scriptura, ex generali iudicio, saepe dat intelligi iudicium particulare, et ex novissimo die quo omnes iudicabuntur, diem mortis quo quisque iudicatur, ita ex igne ultimae conflagrationis, qui ad Christi adventum universa purgabit, intelligendus relinquitur ignis, quo statim post hanc vitam animae non penitus illimes purgabuntur [2]. Accedit quod in graeco non habetur *dies Domini,* sed simpliciter *dies,* ἡ ἡμέρα.

**5. — Confirmatur.** — I. Christus ad inferos descendens, quosdam ex iis qui erant in tormentis liberavit, eos scilicet qui in virtute passionis suae congruentem iam purgationem subierant, iuxta illud [3]: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* [4]. Qua super re notanda sunt egregia verba Doctoris Hipponensis [5]: *Quia evidentia testimonia et infernum commemorant, et dolores, nulla causa occurrit, cur illo credatur venisse Salvator, nisi ut ab eius doloribus salvos faceret: sed utrum omnes, quos in eis invenit, an quosdam, quos illo beneficio dignos iudicavit, adhuc requiro: fuisse tamen eum apud inferos, et in eorum doloribus constitutis hoc beneficium praestitisse, non dubito.* Quod quidem sibivult, ut explicat S. Thomas [6], non quod omnes illi qui in purgatorio erant, fuerint a purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet

1. Dion. Cart., ibid. — 2. Cf. Estius, in 4, Dist. XXI, et in cap. 3, epist. 1ae, ad Corinth. — 3. Zach., IX, 11. — 4. Cf. S. Hieronym. in h. l. Zach.; S. Ambros., l. de mysterio Paschae, c. 4; S. Augustin., l. XII de Genesi ad litt., c. 33. — 5. Epist. ad Evodium quae est CLXIV, alias XCIX, t. II., col. 756, n. 8. — 6. 3, Quaest. LII, art. 8, ad 1m.

qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur a temporali purgatorii poena.

II. Non incongrue a quibusdam, ad purgatorii ignem probandum, inducitur locus ille S. Matthaei [1]: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne:* quocum satis cohaeret ut per ignem intelligatur caritas Dei, aut pressura et persecutiones huius vitae, aut signum sensibile in quo Spiritus Sanctus frequenter in primitiva Ecclesia dabatur baptizatis: non incongruit enim ut dicatur multiplicem esse sensum Scripturae litteralem [2].

6. — **Argumentum ex traditione.** — Ad vim traditionis, circa Purgatorii existentiam rite perpendendam, primo adverti debet, veritatem hanc, tribus prioribus Ecclesiae saeculis, vix et nonnisi obiter fuisse pertractatam, cum nondum in dubium aut disceptationem fuisset vocata, plena scilicet de hac re latinorum et graecorum Patrum consensione obtinente. Quo autem clarior consensio haec appareat, opportunum ducimus testimonia insigniorum ecclesiarum ordinatim exponere; ex quo apparebit eamdem prorsus fidem initio in variis plagis simul viguisse, quin ab ecclesia romana aliis orbis ecclesiis, ut quis forsan suspicabitur, imposita fuerit: huius enim testimonia tempore posteriora sunt testimoniis aliarum ecclesiarum.

α) Et primo quidem, ad Africam possumus oculos convertere, ubi Tertullianus, initio saeculi tertii, haec de purgatorio diserte proferebat [3]: *In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quodque delictum mora resurrectionis illic luendum inter-*

1. 1. III, 11. — 2. Cf. Dion. Cart., in h. l. Cf. tr. De Deo uno, Quaest. I, art. 10. — Adduci etiam possunt Tob., IV, 18; Eccli., VII, 37. Hinc merito reprobatus est Lutherus, negans Purgatorium probari posse ex Scriptura (Prop. 37). — 3. L. de Anima, c. 58.

*pretemur, nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque.* — Nec obstat Tertullianum montanistam fuisse, cum haec scriberet: non enim hoc tradebat quasi propriae sectae opinamentum, sed potius tanquam fidem tunc temporis communiter vigentem [1].

Ad idem circiter tempus pertinet passio sanctarum martyrum Perpetuae et Felicitatis [2] in qua Perpetua, iam ob Christi fidem carceri tradita, narrat se fratrem Dinocratem, qui iuvenis ex cancro in facie obierat, vidisse, de obscuro loco exeuntem, aestuantem ac sitientem valde, sordido vultu atque colore. Frustra conante puero aquam attingere in piscina, cum nimis altus esset illius margo, dolore afflicta Perpetua oravit pro fratre, et ecce, mox Dinocratem vidit mundo corpore et refrigeratum. Margo quoque piscinae submissus fuerat, et aquam puer de ea trahebat; et satiatus abscessit ut luderet more puerorum gaudens. *Tunc,* addit Perpetua, *intellexi translatum eum esse de poena* [3]. — Insigne est hac super re S. Augustini [4] commentum, Dinocratem, propter peccata quaedam post baptismum commissa, tales poenas sustinuisse; unde nulla ratione sustinetur id quod habet Robinson [5], puerum sine baptismo obiisse, eiusque ardente siti significari desiderium quo tenebatur recipiendi hoc sacramentum: talis quippe positio aperte pugnat contra receptum principium, sacramenta esse propter homines viatores [6]. Magni igitur ponderis est testimonium istud, utpote expressio fidei communiter tunc vigentis, mortuos videlicet nostris posse suffragiis adiuvari.

1. Cf. l. de Resurrect., c. 42. Cf. etiam l. de Corona militis, c. 3; de Monogamia, c. 10. — 2. Acta sinc. Ruinart, p. 77, seqq.; Acta SS. Bolland., Mart., III, 633, etc. — 3. The Passion of St Perpetua, n. VII, edited by J. Armitage Robinson. Cambridge. — Histoire de Ste Perpétue et de ses compagnons, par A. Pillet, cc. 12-13. — 4. De Anima ad Renatum, l. I, c. 10. — 5. P. 29. — 6. Vide quod de hac re scripsimus in op. Les Indulgences, P. II, c. II.

Ad eamdem Africanam Ecclesiam pertinet auctoritas S. Augustini, qui circa alicuius loci existentiam, in quo animae corporibus exutae purgantur, non haesitat ad Ecclesiae universae auctoritatem lectorem provocare. *In Machabaeorum libris,* ait [1], *legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas.* Qui etiam haec habet [2]: *Sed temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante iudicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas poenas, quae post illud iudicium sunt futurae, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro saeculo, id est, ne futuri saeculi aeterno supplicio puniantur, iam supra diximus* [3].

β) Ab Ecclesia sic dicta africana, ad celeberrimam ecclesiam Alexandrinam oculos convertentes, invenimus fidei huius ecclesiae fidem facientem, sub fine saeculi secundi, Clementem Alexandrinum, qui, loquens de Hades, seu de inferno, dicit ibi Dei castigationes salvificas esse atque emendatorias, et animam ad mutationem perducere: ἐπεὶ σωτηρίοι καὶ παιδευτικαὶ αἱ κολάσεις τοῦ θεοῦ εἰς ἐπιστροφὴν ἄγουσαι [4].

Origenes quoque diserte ait [5]: *Illuc cum venitur, si quis multa opera bona, et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum. Et si quis plus illud plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat.*

1. L. de Cura pro mort., n. 3, t. VI, col. 516. — 2. L. XXI de Civ Dei, c. 13, t. VII, col. 634. — 3. Cf. L. de cura pro mortuis, c. I, II, IV Serm. XVII, et XXII de verbis Apost. — 4. L. VI Stromat., c. 6, § 46; — 5. In Exod., Homil. VI, n. 4, Migne, t. II. col. 265.

γ) Ut ad Orientem nunc oculos convertamus, invenimus S. Cyrillum Hierosolymitanum fidem in purgatorii existentiam disertissime testantem. Ait enim: *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus: clementem Deum cum pro illis* (defunctis), *tum pro nobis demereri et propitiare satagentes,* Χριστὸν ἐσφαγιασμένον, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν, ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον θεόν [1].

δ) Ad Cappadociam modo procedentibus tres nobis occurrunt insignes Doctores, quorum prior, S. Basilius, peccatum quod in confessione detectum est, foeno comparat arefacto, et tale ait esse, *quod facile devoret purgatorius ignis* [2]. Similiter, S. Gregorius Nyssenus, illius frater, ait [3]: (Spiritus) *cum e corpore egressus* (fuerit) *particeps divinitatis fieri non poterit, nisi maculas animo immixtas, purgatorius ignis abstulerit.* Pariter, S. Gregorius Nazianzenus [4], dicit quod inter plura quae animam purgare possunt baptismata, *baptismus ignis est postremus, acerbior ac diuturnior,* per quem animae recedentes a corporibus in alio saeculo purgabuntur.

ε) Nec minus eloquens est testimonium quod, pro Ecclesia Constantinopolitana, suppeditat illius episcopus, S. Ioannes Chrysostomus [5]: *Iuvetur mortuus, non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus: non sunt enim haec temere excogitata, neque frustra, eorum qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut inde eis aliqua sit consolatio* [6].

ζ) Quod si nunc ab Oriente in Occidentem reverta-

1. Catech. XXIII, Mystag. V, de Sacra Liturgia. Venet. 1763, p. 328. — 2. In Is., c. 9, t. II, p. 216. — 3. In orat. de Mortuis, t. I, col. 587. — 4. Orat. XXXIX, n. XIX, de Baptismo, seu in Sancta Lumina, t. I, p. 690. — 5. Homil. XLI in 1 Cor., n. 4, al. LXIX ad pop. antioch., t. XV. p. 145. — 6. Cf. LEO ALLATIUS, in Disp. De utriusque Ecclesiae, occid. et orient., in dogm. de Purg. perpetua consensione.

mur, inveniemus Ecclesiae Mediolanensis fidem expresse definitam ab illius Praesule, S. Ambrosio, qui ait [1]: *His* (scilicet poenis praesentis vitae) *purgatus, necesse habet illic purificari* (scilicet post hanc vitam), *ut unusquisque nostrum ustus romphaea illa flammea, non exustus, introgressus in illam paradisi amoenitatem gratias agat Domino suo.* Nec refert, ait Nicolai [2], quod hoc post consummationem saeculi futurum indicat; nimirum, ita possumus argumentari: si qui reperiantur in fine indigentes mundi purgatione, purgabuntur per ignem, qui symbolice per flammeam romphaeam, seu flammeum gladium in vestibulo paradisi terrestris collocatum designatur: quadam igitur proportione subintelligi eos pariter debere per eumdem gladium purgari, qui post consummationem vitae purgatione opus habent, ut ad aeternam vitam et gloriam subinde admittantur, quam certe ante iudicium universale percipere possunt, ut ex Ambrosii mente patet, qui de Acholio loquens [3], ait quod *est iam superiorum incola, possessor civitatis aeternae illius Hierusalem, quae in caelo est: videt illic urbis eius mensuram,* etc.: unde purgantem ignem statim post consummationem vitae in purgandis agnoscit.

Idem quoque Pater in oratione de obitu Theodosii [4], loquens de suffragiis pro defunctis celebratis, testatur *alios tertium diem et trigesimum, alios septimum et quadragesimum observare,* qui etiam excessum fratris sui Satyri commemorans, in has voces supplex prorumpit [5]: *Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis.*

η) Denique Ecclesiae romanae fidei fidem facit S. Hieronymus, qui ait [6]: *Sicut diaboli, et omnium negatorum*

1. Psal. 118, sermo III, t. II, col 467. — 2. Ed. S. Thom., in Supplem., Quaest. LXXI, post art. 6. — 3. Ep. XV, n. 4, t. V, col. 360. — 4. N. 3, t. V, col. 122. — 5. L. I, n. 80, t. V, col. 46. — 6. Comment. in Is., cap. LXVI, in fine, t. IV, P. I, col. 832.

*atque impiorum, qui dixerunt in corde suo:* NON EST DEUS, *credimus aeterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, et tamen christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sententiam iudicis* [1].

Sed potissima hac in re est auctoritas S. Gregorii Magni, cuius totus liber quartus dialogorum evincit antiquam Ecclesiae consuetudinem pro defunctis orandi, et qui signanter sequentia profert [2]: *Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est. Sed tamen hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est; sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus,* etc. [3].

Nec praetereunda est vigens a priscis temporibus Romae consuetudo mortuos, in die illorum exequiarum, per opera caritatis ac misericordiae adiuvandi, qualia erant convivia aut eleemosynae pauperibus erogata, collatio libertatis per manumissionem, etc. [4].

**7. — Suffragia quae pro defunctis fiunt, argumento sunt existentiae Purgatorii.** — Huc quoque accedit suffragium omnium, vel antiquissimarum liturgiarum, sive orientalium, sive occidentalium, in quibus, maxime sacrificii tempore, preces fundi pro mortuis iubentur; in quo et plurium sectarum, iamdudum ab Ecclesia separatarum, liturgiae apprime conveniunt [5]. Maxima autem in hac re est auctoritas liturgiae romanae in qua, facta defunctorum commemoratione, sacerdos addit: *Ipsis Domine, et om-*

1. Quod ex hoc imponi non debeat Hieronymo sententia inferni tormenta finem aliquando esse habitura, demonstrat eius annotator, l. c., col. 829. Cf. supra, Quaest. IV, art. IX, n. 9. — 2. L. IV Dial., c. 39. — 3. Rite advertit P. Gul. Faber, C. O., huic praecipue Sancto deberi propagationem sollicitae caritatis erga animas sanctas in purgatorio detentas (All for Jesus, c. 9). — 4. Vide MARIANO ARMELLINI, Gli antichi Cimiteri cristiani di Roma e d'Italia, Roma. 1893, pag. 24. — 5. Vide inferius dicenda, sc. art. 6.

*nibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur*[1].

Denique insigne omnino testimonium fidei in christianorum cordibus vigentis de purgatorii existentia, praebent eloquentissimae illae Coemeteriorum inscriptiones, in quibus pro carorum defunctorum requie ac refrigerio exhibentur superstites enixas Deo preces supplicationesque fundentes his vel similibus verbis conceptas: *Spiritus tuus bene requiescat in Deo*[2].

Quae cum ita sint, mirandum non est si haereticus vir Calvinus fateri fuerit coactus[3]: *Ante mille tercentum annos, usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis;* unde seipsum aperte non superbiae solum, sed et inconsultae proterviae convincit, cum, paucis interiectis, addit: *Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt:* nimirum melius ipsi fuisset cum tota Ecclesiae traditione, si fieri potuisset, errare, quam contra ipsam praesumere verum proferre.

8. — **Prob. rat. theol.** — I. *Ex ordine iustitiae divinae.* — Cum quis ex hac vita decedit, potest esse quod utique per contritionem deleta culpa, non tamen ex toto expiatus maneat reatus poenae temporalis, sive mortalibus,

1. C. Sacram. Gelas. apud Muratori, Lit. Rom. Vet., t. I, col. 749-790 etiam Knoll, P. V, Sect. II, c. 2, art. 2. Eleganter poeta Alighierius vim orationis pro defunctis sequentibus versibus describit (Purgat., cant. XI, vers. 31, seqq.):

*Se di là sempre ben per noi si dice,*
*Di qua, che dire e far per lor si puote*
*Da que' c'hanno al voler buona radice,*
*Ben si dee loro aitar lavar le note,*
*Che portar quinci, sì che mondi e lievi*
*Possano uscire alle stellate ruote.*

2. C. Xystus Scaglia, O. C. R. Notiones archaeologiae christ., Vol. II, P. I, art. VIII; P. II, cap. VI; Marucchi, Eléments d'Archéol. chrét. t. I, p. 188, seq.; Martigny, Dictionnaire des Antiquités chrét., art. Purgatoire. — 3. L. III Institut., c. 5.

sive etiam venialibus peccatis debitus. Quia igitur iustitia hoc exigit, ut peccatum per poenam debitam ordinetur, oportet quod ille qui post contritionem de peccato et absolutionem, decedit ante satisfactionem debitam, post hanc vitam congruas poenas exsolvat, iuxta illud [1]: *Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*. Quocirca, illi qui purgatorium negant, contra divinam iustitiam loquuntur, et propter hoc erroneum est et a fide alienum. Unde S. Gregorius Nyssenus ait [2]: *Nec odio ac vindicandae pravae vitae causa,... Deus iis qui peccaverint, dolorem facientes adhibet affectiones;... sed ille quidem meliore animo atque consilio ad sese, qui omnis beatitudinis fons est, animam attrahit: ex necessitate autem ei quod attrahitur accidit illa affectio acerba.*

Huc autem pertinet praxis universalis Ecclesiae quae pro defunctis exorat ut a peccatis solvantur; Ecclesiae autem auctoritati quicumque resistit, haeresim incurrit [3].

II. — *Ex ratione divinae sanctitatis.* — Ad visionem divinae essentiae, nulla creatura rationalis elevari potest, quae non fuerit ab omni peccati impedimento totaliter depurata, cum illa visio, ait S. Thomas [4], totam facultatem naturalem creaturae superexcedat: unde dicitur de Sapientia, quod *nihil inquinatum in eam incurrit* [5]; et [6]: *Non pertransibit per eam pollutus.* Atqui anima polluitur per peccatum, in quantum rebus inferioribus inordinate coniungitur: a qua quidem pollutione purificatur in hac vita per poenitentiam et alia sacramenta. Quandoque vero contingit quod purificatio talis non totaliter perficitur in hac vita, sed homo remanet adhuc debitor poenae, vel propter negligentiam aliquam, vel quia morte praevenitur; nec tamen propter hoc meretur totaliter

1. Matth., V, 26. — 2. L. de Anima et resurrectione, t. I. col. 803 — 3. S. Thom., 4, Dist. XXI, Quaest. I, art. 1, quaest. 1. — 4. L. IV Contra Gent., c. 91. — 5. Sap., VII, 25. — 6. Is., XXXV. 8.

excludi a praemio, quia haec absque peccato mortali contingere possunt, per quod solum tollitur caritas. Oportet igitur quod post hanc vitam anima purgetur, antequam finale praemium consequatur, quae purgatio fit per poenas: alioquin, ait idem Angelicus, melioris conditionis essent negligentes quam solliciti, si poenam quam hic pro peccatis non implent, non sustineant in futuro. Igitur iustorum animae aliquid purgabile habentium, retardantur a praemii finalis consecutione, quousque poenas purgatorias sustinuerint.

**9. — Confirmatur ex consensu populorum.** — Quantum praedicta veritas naturali rationi conveniat, ex eo patet quod, etsi ad fidem nostram formaliter pertineat, existentia enim purgatorii, ut sic, sola revelatione innotescit, mirabilis tamen invenitur penes omnes populos consensio de aliquo expiationis loco post hanc vitam; in cuius rei testimonium citari solent sequentes Virgilii versus, quibus inducitur Anchises filium Aeneam ita de animarum sorte edocentem [1]:

*Ergo exercentur poenis, veterumque malorum*
*Supplicia expendunt: aliae panduntur inanes*
*Suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto*
*Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.*
*Quisque suos patimur Manes. Exinde per amplum*
*Mittimur Elisium, et pauci laeta arva tenemus.*

**10. — Solvuntur difficultates. — I. Ex Sacra Scriptura.** — α) In Psalmo legitur [2]: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii: merces fructus ventris.* — At sensus litteralis horum verborum est, quod cum Dominus, his quos diligit, quietem dederit, ipsis erit hereditas a Deo concessa, scilicet filii multi, et pro-

1. Aeneid., l. VI, vers. 739, seqq. — 2. Ps. CXXVI, 2, 3.

les atque fructus ventris, idest fecunditas pecorum, erit eorum merces [1]. Sensu autem morali, sibi vult quod gratia, quae est pax et tranquillitas animae, multa bona opera parturit: denique anagogico sensu significatur quod cum omnes homines mortui fuerint, tunc apparebit quod fructus ventris, id est, filii adoptivi, sint Christi hereditas ac merces, iuxta illud [2]: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam* [3].

β) In Apocalypsi legitur [4]: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.* — At sermo hic est, teste S. Augustino [5], de martyribus, qui circa finem mundi propter Christum morientur, ut patet ex praecedentibus verbis [6]: *Hic patientia sanctorum est;* id est, probabuntur sancti, utrum cruciatibus induci valeant ad adorandam bestiam aut imaginem eius, an potius perseverantes in mandatis Dei, statim accepturi sint praemium. — Licet intelligi etiam verba illa possint de omnibus iustis qui statim post mortem requiem accipiunt vel in re, si amplius purgandi non sint, vel in certitudine ac securitate beatitudinis adipiscendae, si nonnisi post aliquod tempus beatificandi sint: qui propterea requiescere dicuntur, non quidem a poenis, cuiusmodi requiem precatur illis Ecclesia, sed a laboribus, seu a pugna quam contra diabolum, mundum et carnem hic sustinere debuerunt. Et hoc sensu intelligenda etiam sunt haec alia verba [7]: *Iustus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit;* non amplius enim patiuntur aestum huius saeculi.

γ) In libro Ecclesiastae habetur [8]: *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit:* ergo non sunt nisi duo loca post mortem,

1. C. Deut., XXVIII, – 2. Ps. II, 8. — 3. Cf. Franc. Sylv. in h. l. S. Thomae; Tirinus, in h. l. Psalmi. Cf. etiam P. Giovac. Ventura, Il tesoro nascosto, Omil. 33, t. II, p. 497. Roma, 1847. — 4. C. XIV, 13. — 5. L. XX de Civ. Dei, c. 9. t. VII, col. 587. – 6. Vers. 12. — 7. Sap., IV, 7. — 8. C. XI, 3.

scilicet regnum et gehenna. — At dicendum est, sensum horum verborum esse, transacta praesenti vita, locum poenitentiae ac mutationi praecludi; sub Austro autem comprehenditur et purgatorium, quemadmodum olim comprehendebatur limbus sanctorum Patrum, quia animae ibi sunt in statu salutis non amittendae.

δ) Dominus dicit [1]: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit,... habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* Ergo non ad purgatorium. — Significat hic locus, eum qui verbum Dei audierit, non venturum esse in iudicium aeternae damnationis aut in *resurrectionem iudicii,* quod incurrent ii qui mala egerint, ut ibidem subiungitur [2]; sed talem transire iam a morte peccati in vitam gratiae, mox transiturum in vitam gloriae.

**12.** — II. **Ex Patribus.** — α) S. Cyprianus ait [3]: *Quando istinc excessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus.* — *Resp.* Sanctus hic Pater non negat poenas solvi posse post mortem pro peccatorum reliquiis, sed solum excludit post hanc vitam locum esse vel poenitentiae, qua quis a peccato ad gratiam resurgat, vel satisfactioni, qua poenam aeternam exsolvere valeat.

β) S. Hieronymus ait [4]: *Quando anima, vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo ire compellitur, propter tenuitatem substantiae, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur,... aut certe ad caelestia sublevabitur.* — *Resp.* S. Doctor non loquitur de solutione animae a corpore per mortem, sed per speculationem; et quidem de anima impia loquitur, quae quocumque per cogitationem se vertat, Deum invenit ultorem; unde immediate post citata verba, addit: *Ubi sunt spiritualia nequitiae in caelestibus.*

1. Io., V, 24. — 2. Vers. 29. — 3. Tract. ad Demetrian., in fine. Oxonii 1700. t. I. p. 136. — 4. In Cap. IX Amos, V. 5. t. VI. col. 348.

γ) S. Ioannes Chysostomus ait[1]: *Si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si condemnare nosipsos, liberi erimus ab huius et futuri saeculi suppliciis.* — *Resp.* His verbis supponit S. Ioannes Chrysostomus plenam heic ac perfectam adimpletam de peccatis satisfactionem, ut colligi potest ex verbis: *Si condemnare nosipsos.*

δ) S. Augustinus, exponens illud Apostoli[2]: *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* ait[3]: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest.* — *Resp.* S. Augustinus hic dubium se prodit, non de ipsa purgatorii existentia, ut videre est ex pluribus eius locis, sed de modo seu qualitate poenarum, quas animae ibidem sustinent. Nimirum, dubitat S. Pater, an post mortem animae afficiantur dolore amissionis rerum temporalium, quas hic dilexerunt, ut propterea vitiosus iste affectus debeat ignis ustione repurgari. Quo pariter sensu intelligenda sunt haec alia eius verba[4]: *Post istius sane corporis mortem,... si... spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti,... ut eorum ligna, foenum, stipula consumatur,... non redarguo, quia forsitan verum est.*

**13.** — III. **Ex ratione theol.** — α) Sicut caritas se habet ad praemium aeternum, ita peccatum mortale ad supplicium aeternum. Atqui decedentes in peccato mortali statim ad supplicium aeternum deportantur; ergo decedentes in caritate statim ad praemium vadunt, et ita non manet eis aliquod purgatorium post hanc vitam[5]. — *Respondet* S. Thomas[6], quod malum non habet causam perfectam, sed ex singularibus defectibus contingit; bonum vero ex una causa perfecta consurgit et ideo quilibet defectus impedit a perfectione boni: sed non quodlibet bonum im-

1. Homil. XXVIII in Ep. 1am ad Cor. . — 2. 1 Cor., III, 15. — 3. In Enchirid., n. 18, C. LXIX. t. VI, col. 222. — 4. De Civ. Dei, l. XXI, c. 26, t. VII, col. 649. — 5. S. Append., Quaest. I. art. 1, ad 2. — 6. Loco cit.

pedit consummationem aliquam mali, quia nunquam est malum sine aliquo bono. Et ideo peccatum quidem mortale non potest impediri per aliquod bonum adiunctum, quominus statim hominem ad ultimum malorum perducat, peccatum vero veniale impedit habentem caritatem, ne ad perfectum bonum deveniat, scilicet vitam aeternam, quamdiu purgatur.

β) Deus, qui est summe misericors, pronior est ad praemiandum bona, quam ad puniendum mala: sed sicut illi, qui sunt in statu caritatis, faciunt aliqua mala, quae non sunt digna supplicio aeterno, ita illi qui sunt in peccato mortali, interdum faciunt aliqua bona ex genere, quae non sunt digna praemio aeterno; ergo cum illa bona non praemientur in damnandis post hanc vitam, nec illa mala debent post hanc vitam puniri [1]. — *Respondet* idem Angelicus [2], quod ille, qui in peccatum mortale incidit, omnia bona ante acta mortificat, et quae in peccato mortali existens facit, mortua sunt, quia ipse Deum offendens omnia bona meretur amittere, quae a Deo habet: unde ei, qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod praemium post hanc vitam, sicut manet aliquando poena ei qui in caritate decedit, quae non semper delet omne malum quod invenit, sed solum hoc quod est sibi contrarium.

**14** — **Quaestio.** — *Utrum animae in purgatorio existentes vivis possint apparere?*

Resp. *Negative,* citra miraculum, cum, ut supra diximus, animae a corpore separatae nulla competat potentia ad movendam materiam corporalem, ex qua corpus aliquod visibile sibi efformare posset; praeterea, finita praesenti vita, desinit etiam pro superstite anima naturale cum viventibus commercium. Quocirca, si quando legitur anima alicuius defuncti vivis apparuisse, sive ad patefa-

1. S. Thom., loco cit., ad 3m. — 2. L. c.

ciendam atrocitatem poenarum purgatorii, sive ad suffragia exposcenda, tale factum ad miraculum debet adscribi: ita ut vel ipsa anima in corpore sibi divinitus efformato appareat, vel angelus pro ea [1].

## ART. II. — *Utrum animae in purgatorio poenas patiantur.*

1. — **Ratio articuli.** — Acto de purgatorii existentia, sequitur ut de conditione animarum inibi existentium quaestio instituatur, et primo quidem, quod potissimum est, de natura poenarum quas ibidem illae sustinent. Est autem, ut iam diximus, duplex poenarum genus: scilicet, poena damni et poena sensus, a quarum poenarum reatu quis absolvitur, poenas illas solvendo: quicumque enim est debitor alicuius, per hoc a debito absolvitur, quod debitum solvit [2].

2. — PROP. — **In purgatorio, duplex est poena: α) una damni, in quantum animae retardantur a divina visione; β) altera sensus, secundum quod ab**

1. Vide supra, Quaest. I, art. 5, p. 48. – Notandum, falso omnino a quibusdam introduci S. Thomam, in quaestione XXVI de Veritate, art. 1, tanquam implicite attribuentem animae separatae potestatem movendi materiam. Nimirum, verba ex quibus posset forsan talis sensus erui, sunt (ad 10m): *Dicendum, quod ignis ille nocet animae, non ita quod adimat ei aliquam formam absolute inhaerentem, sed in quantum eius substantiae actionem impedit, ut dictum est, in solutione ad 5m et 6m argumentum, ipsam detinendo.* At verba ista non sunt intelligenda de negata animabus separatis in inferno positis potestate movendi corpora, quam potestatem nuspiam S. Thomas recenset aut supponit; sed sunt intelligenda de ligatione vel detentione animae contra eius voluntatem, ut evidenter apparet ex locis ad quae Angelicus alludit. Quocirca sustineri nequeunt quae in *Tablet* leguntur, 18 April. 1914, ubi S. Thomae attribuuntur verba quae inibi minime leguntur, nec ullimode sibi ipse S. Thomas hac in re contradixisse dicendus est. —

2. Supplem., App. Quaest. II, art. 5.

igne corporali puniuntur; quae quidem poenae intensissimae sunt.

**3. — Theologorum et Conciliorum auctoritates. —** Haec ipsa sunt verba quae habet S. Thoma [1], quae quidem Conciliorum definitionibus cohaerent [2], ac unanimi theologorum suffragio suscipiuntur. Conveniunt autem hac in re Graeci cum Latinis, ut videre est in actis Concilii Florentini; nisi quod illi contendere noluerint utrum verus ignis in purgatorio habeatur, an potius hoc sit locus quidam obscurus ac laborum plenus, αἵ δέ μέσαι ὑπάρχουσι μὲν ἐν βασανιστηρίῳ καὶ εἴτε πῦρ ἐστιν, εἴτε ζόφος καὶ θύελλα, εἴτε τι ἕτερον, οὐ διαφερόμεθα [3]; qui etiam Apostoli locum, qui de purgatorio solet intelligi [4], aliter ac Latini interpretantur [5]. Quocirca, in definitione Concilii Florentini [6], de igne purgatorii mentio expressa non fit, ideoque exorbitaret qui existentiam ignis purgatorii ad fidem pertinere sustineret.

**4. — Cardinalis Bessarionis de poena purgatorii declaratio. —** In quonam vero formaliter consistat differentia Graecorum a Latinis circa poenam purgatorii, authentice declaravit in Concilio Florentino celeber Cardinalis Bessario, tertii Ordinis Servorum B. M. V., Metropolita Nicaenus. *At vero Graeci,* ait ille [7], *in futuro*

1. Ibid., art. 1. — 2. Lugd. II, prof. fid.; Flor., decret. pro Graecis; Trid. Sess. VI, can. 30. — 3. Conc. Flor. Sess. XXV. Mansi, t. XXXI, col. 1003. — 4. 1 Cor., III, 12, seq. Vide Estius, in h. l., etc. — 5. Conc. Flor., l. cit. Notat opportune Sylvius (in h. l.), quod nonnulli existimaverint Graecos Purgatorium, quod καθαρτήριον vocant, denegasse, id ortum habuisse ex suppositia quadam epistola S. Cyrilli Hierosolymitani ad S. Augustinum, ubi hic error Graecis tribuitur. — 6. Verba retulimus supra, in propositione art. praeced., p. 250. — 7. Conc. Flor., Ibid. col., 488. Οἱ δὲ Γραικοὶ ἐν τῷ μέλλοντι μόνον νοοῦσι τὸ πῦρ, καὶ κόλασιν μερικὴν τῶν ψυχῶν, καὶ ὅτι αἱ ψυχαὶ τῶν ἁμαρτωλῶν πορεύονται εἰς τόπον σκοτεινὸν, εἰς τόπον λύπης, καὶ λυποῦνται μερικῶς, καὶ κολάζονται ὑστερούμενοι τοῦ θείου φωτὸς, διὰ δὲ δεήσεων καὶ λειτουγιῶν παρὰ τῶν ἱερέων, καὶ δι' ἐλεημοσυνῶν απο-

*tantum opinantur ignem, poenamque animarum temporaneam, quod scilicet peccatis obnoxiorum animae in locum abeant tenebricosum, in locum moeroris, in quo ad tempus versentur in moerore et poenis divino lumine privatae: purgentur vero, hoc est a loco illo obscuro et afflictione liberentur et absolvantur, precibus et sacrificiis sacerdotum, ac eleemosynis, non autem igne, neque enim Graeci fatentur actionem ignis, ut Itali; sed operatur tantum oratio, deprecatio, et eleemosyna.* — Sciendum vero, post Concilium Florentinum, nullum unquam fidei decretum hac super re latum fuisse.

5. — **Prima pars** ex hoc sequitur quod sicut in peccato mortali est recessus a summo bono, ita in peccato veniali est quaedam ab ipso retardatio. Hoc posito, S. Thomas demonstrat [1], animam in purgatorio poenam damni, et quidem valde acerbam, subire. Nimirum, quanto aliquid magis desideratur, tanto eius absentia est molestior. Atqui affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono iam advenisset, nisi aliquid impediret. Ergo animae in purgatorio de retardatione visionis beatificae maxime dolent. — *Quelquefois l'objet bienaimé est absent,* ait S. Franciscus Salesius [2], *et alors, mon cher Théotime, l'amour blesse le cœur par le désir qu'il excite lequel ne pouvant être assouvi, tourmente grandement l'esprit* [3].

---

καθαίρουνται, ἤγουν λυτροῦνται τοῦ τόπου ἐκείνου τοῦ σκοτεινοῦ, καὶ τῆς θλίψεως, καὶ ἀπολύονται, οὗ μὴν δὲ καθαίρονται διὰ πυρὸς οὐδὲ ἐνέργειαν πυρὸς ὁμολογοῦσιν οἱ Γραικοὶ κατὰ τοὺς Ἰταλοὺς, ἀλλ' ἐνεργεῖ μόνον ἡ προσευχὴ, ἡ δέησις, καὶ ἡ ἐλεημοσύνη.

1. Loco cit. 2. Traité de l'Amour de Dieu, l. VI, c. 13. — 3. Idipsum egregie describit S. Catharina Genuen., Vita, Padova, 1743. Trattato del Purgatorio, pp. 261, 262.

Porro gravissimam hanc esse poenam, non est ambigendum, cum sit formaliter *supplicium exilii, eo atrocius, quo patria proximior, certior, delectabilior noscitur* [1]; imo, S. Thoma iudice, poena haec excedit omnem poenam huius vitae [2].

**6. — Prob. 2ª Pars.** — Quod in secunda parte subauditur, scilicet esse in purgatorio poenam ignis ex eo sequitur, quod in omni peccato est conversio inordinata ad creaturam, unde conveniens est ut peccatum puniatur affectione a creatura proveniente, quae creatura, ex electione divina, est ignis materialis.

Porro, existentia huiusmodi ignis corporalis in purgatorio, licet ad fidem, ut diximus, proprie non pertineat, est tamen res fidei proxima, ob explicitas hac de re sanctorum Patrum sententias, necnon communem Doctorum et fidelium sensum, Ecclesia non reclamante. Nimirum, huc faciunt quos supra ex traditione retulimus expliciti textus [3]: imo dici cum Nicolai potest [4], Patres fere omnes [5] modo locum hunc [6]: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*, modo illum [7]: *Salvus erit quasi per ignem*, sic explicuisse, ut praeter quasdam, quas adiiciunt, morales interpretationes, hanc de *igne purgatorii* utrobique introduci velint.

**7. — Auctoritas sanctorum Augustini et Gregorii.** — Quia autem de S. Augustini mente a quibusdam dubitatum est, eo quod interdum rem academice discussam, non didactice definitam reliquerit, ideo opportune possunt sequentia ex ipso excerpta citari. In Psalmum tri-

1. Al. Ad. Paquet, De Novissimis, disp. VIII, p. 392. — 2. S., App., quaest. II, art. 1. — 3. Art. praec., n. 6. — 4. In Supplem., ad calcem, quaest. LXXI. — 5. Cf. SS. August. in Ps. 37; Hier. in Amos 4, et Matth. 3; Basil., lib. de Spirit. Sanct. cap. 15, et Gregor., Dialog. 4, cap. 39. — 6. Luc., III, 16. — 7. 1 Corinth., III, 15.

gesimum septimum, ait[1]: *In hac vita purges me, et talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit;* et: *Quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Qui ibidem ait[2]: *Qui agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit.., post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel poenam aeternam.* Huc quoque facit illud cuiusdam auctoris, sub nomine Doctoris Hipponensis[3]: *Qui temporalibus poenis digna gesserunt... per fluvium igneum... transibunt.*

Idipsum disertissime testatur S. Gregorius[4]: *Illum transitorium ignem omni tribulatione aestimo praesenti intolerabiliorem.* Quocirca S. Bernardus inter haereticorum sui temporis, qui se *apostolicos* iactitabant (quamvis *apostatici* dici verius potuissent), sacrilegos errores, pônit[5], quod *non credunt ignem purgatorium restare post mortem.*

**8. — Duplex purgatorii locus.** — Sciendum autem est quod, ut ait Angelicus[6], licet non inveniatur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possint ad hoc efficaces induci, probabiliter tamen, et secundum quod magis consonat Sanctorum dictis, ac revelationi multis factae, purgatorii locus duplex potest distingui. Unus locus est secundum legem communem, et hic est inferno coniunctus, ita quod sit idem ignis qui damnatos in inferno cruciat, et qui iustos in purgatorio purgat, quamvis damnati, quia inferiores merito, loco etiam inferiores existant; et secundum hoc habetur, ut ait S. Augustinus[7], quod *sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat,*

1. In psal. XXXVII, n. 3, t. IV, col. 295. — 2. De Genes. contr. Manich. lib. II, cap. 20, t. I, col. 677. — 3. Lib. 50 Homiliarum, hom. XVI, n. 3, int. Op. S. Aug., t. V, App. col. 414. — 4. In Ps. XXXVII, 1, t. II, p. 389. — 5. Serm. 66, in Cant., t. III, p. 106. — 6. S., App, quaest. I, art. 2. — 7. L. I, de Civ. Dei, c. 8, t. VII, col. 8.

*una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat.*

Nec obstat quod inferni poena pluribus nominibus designatur, ut, *ignis, sulphur et spiritus procellarum* [1], poena vero purgatorii nonnisi uno ignis nomine significatur; hoc enim est quia poena inferni est ad affligendum, poena vero purgatorii principaliter ad purgandum reliquias peccati; et ideo illa quidem designatur ab illis omnibus quae hic nos affligere consueverunt, haec autem ab igne, qui vim habet purgandi et consumandi, specialiter denominatur [2].

Quod autem attinet ad modum quo purgatorius ignis animas torquet, dicendum est hoc esse per rationem alligationis cuiusdam, quemadmodum de igne inferni dictum est [3].

Alter locus purgatorii est secundum dispensationem divinam; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut eorum poena viventibus innotescens, per Ecclesiae suffragia mitigetur; quo sensu dicit Hugo de S. Victore [4]: *Probabile est quod in his locis puniuntur, in quibus commiserunt culpam ;* S. Gregorius etiam in Dialogis narrat [5], quod Germanus, episcopus Capuanus, Paschasium, qui in balneis purgabatur, invenit.

**9. — Intensitas poenae sensus in purgatorio.** — Quod autem poena sensus in purgatorio valde intensa censeri debeat, nequit ullimode ambigi: cum enim dolor non sit laesio, sed laesionis sensus, ideo tanto quis magis dolet de aliquo laesivo, quanto est magis sensitivus, unde laesiones quae fiunt in partibus maxime sensibilibus sunt maximum dolorem causantes. Atqui totus sensus corporis

1. Ps. X, 7. — 2. Ibid., ad 2m. — 3. Supra, Quaest. IV, art. 3, n. 6, p. 182. — 4. Lib. 2, de Sacram., part. 16, c. 4, in med. — 5. Lib. 4, cap. 40.

est ab anima: ergo si in ipsam animam aliquid laesivum agat, de necessitate oportet quod haec maxime affligatur. Ex quo concludit S. Thomas quod poena purgatorii excedit *maximam poenam* huius vitae [1]. — Nec obstat quod anima de se minus passiva est quam corpus: est enim anima magis cognoscitiva passionis; ubi autem est maior passionis sensus, ibi est maior dolor, etsi minor sit passio [2]; ex quo sequitur quod licet possit eadem quantitate poena infligi homini hic et post mortem, acerbitas tamen illius poenae maior est in altera vita, cum ibi maior sit animae apprehensio; et simile est ei quod etiam penes nos evenit, cum eadem afflictio, sive moralis, sive corporalis, magis sentiatur ab eo qui perfectioris est intellectus aut melioris complexionis.

**10. — Poena purgatorii comparata cum poenis huius vitae.** — Quidquid autem de poena purgatorii, comparata cum poenis praesentis vitae dicatur, id unum extra omnem dubietatis aleam positum manet, illam videlicet esse admodum acerbam, et in suo genere id omne superare quod in hac vita patimur; ut patet ex Ecclesiae sollicitudine in sublevandis per suffragia animabus defunctorum; unde et Ven. Beda ait, correptionem, quae fit in purgatorio, *esse graviorem quam quidquid unquam passi sunt latrones vel sancti martyres, vel quidquid gravius possit homo excogitare* [3]. — Diximus poenam purgatorii *in suo genere* omne id superare quod in hoc mundo patimur, quia cum altera sit conditio animae separatae ab eius conditione in praesenti vita, oportet ut etiam alterius rationis sit poena: unde comparatio non est univoca, sed secundum proportionem.

**11. — Sententia S. Bonaventurae quoad poenam sensus.** — Quantum vero ad poenam sensus, concedit Seraphi-

1. 4, Dist. XXI, Quaest. V, art. 1. sol. III. — 2. Ad 1m. — 3. Super illa verba Ps XXXVII, 1.: *Neque in ira tua corripias me.*

cus Doctor illam in purgatorio maiorem esse poenis huius vitae: non tamen quod ea quae ibi est minima sit maior quam maxima poena praesentis vitae, sed quia poena quae ibi est maxima maior est quam maxima poena huius vitae; unde decedens cum uno solum vel altero levi peccato non videtur pati debere supplicia graviora omnibus huius vitae suppliciis [1]. — Notanda quoque sunt sequentia verba eiusdem S. Doctoris [2]: *Quoniam poena poenitentium in praesenti plus est* ASSUMPTA, *poena* (autem) *morientium est* INFLICTA *in purgatorio, ideo modica poena in praesenti plus satisfacit, et magis est de ea contenta divina iustitia, quam de magna in futuro; et ideo quasi improportionaliter maiorem exigit ut ei satisfaciat*. At, si quis rem profundius consideret, videbit propriam rationem cur poenae praesentis vitae magis satisfactoriae sunt, esse quia vita praesens tempus merendi est.

**12. — Acerbitas poenae damni in Purgatorio. —** At, quantumlibet gravis ponatur poena sensus in purgatorio, longe acerbior evadit poena damni, quam sic describit Lessius [3]: *Quantus ille sit dolor, ex eo coniici potest, quod ex quadruplici consideratione nascatur. Primo, quod videant se tanto privari bono, idque eo tempore quo illo fruendum erat: apprehendunt acerrime illius boni immensitatem, et simul illud ardentissime desiderant. Secundo, quod videant id fieri ob suam culpam. Tertio quod neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere cum facillimo negotio redimi poterat, et tantas nunc cogantur sustinere calamitates; id enim non parum incendit doloris acerbitatem.*

1. 4, Dist. XX, art. unic., quaest. II, concl., t. IV, p. 520. Hanc Seraphici Doctoris sententiam sibi placere testatur Card. Bellarminus, L. II de Purgat., c. XIV, p. 1947. — 2. Loco cit. — 3. De Perfect. div., L. XIII, c. 17. Ed. P. Roh, S. I. Friburgi Brisg.

*Quarto, quod ingentes aeternorum bonorum thesauros et caelestis gloriae gradus, quos facile consequi potuissent, sua culpa et tepore neglexerint. — Haec omnia vivacissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant, ut etiam in damnis humanis experimur, cum ista quatuor concurrunt. Itaque credibile est, illum animi dolorem longe esse maiorem, quam homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possint: quia bonum illud longe est excellentius, et apprehensio acrior, et desiderium ardentius; et haec omnia assidua, nunquam interpolata, noctes diesque urgentia. In doloribus huius vitae crebra interruptio, per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit quod divina iustitia de industria faciat ut damna sua etiam acrius apprehendant, quam per se facerent, ut maiori dolore urantur. Ideo enim fit haec dilatio, et hoc tempore exilium, ut eius dolore purgentur, et poenas pristinarum culparum luant. Secus erat in patribus antiquis limbo detentis: non enim ob culpam aliquam personalem ibi detinebantur gloriae exsortes, sed ob conditionem naturae, pro cuius debito pretium nondum erat exhibitum, unde nondum venerat tempus quo gloria illis esset debita.*

Digna etiam sunt quae hic recitentur verba S. Catharinae Genuensis [1]: *Dall'altra parte poi hanno una pena tanto estrema, che non si trova lingua che lo possa narrare, nè intelletto capirne una minima scintilla, se Dio non gliela mostrasse per grazia speciale: la qual scintilla Dio per grazia la mostrò a quest' anima, ma con la lingua non la posso esprimere. E questa vista che mi mostrò il Signore, mai più s'è partita dalla mia mente.* Et iterum [2]: *Ben veggio, quella divina essenza essere di tanta purità (e molto più che immaginar si possa), che l'anima la quale in sè abbia tanta im-*

1. Tract. citato, c. II. — 2. C. VIII.

*perfezione quanta sarebbe un minimo buscolo, si getterebbe più presto in mille inferni, che trovarsi in presenza della divina maestà, con quella macchia. E perciò veggendo essa il Purgatorio ordinato per levar via esse macchie, vi si getta dentro (e le par trovare una gran misericordia), per potersi levar quell' impedimento.* Rursusque [1]: *Questo amore, con quell' unitivo sguardo, tira sì forte di continuo, come se altro che questo non avesse a fare. Perciò l' anima, questo veggendo, se trovasse un altro purgatorio sopra quello, per potersi levar più presto tanto impedimento, presto vi si getterebbe dentro, per l' impeto di quell'amore conforme fra Dio e l'anima* [2].

**13.** — Quaestio I. — *Utrum animae in purgatorio per daemones puniantur?*

Resp. *Negative;* non enim decet eas vexari ab hostibus devictis. Sed nec a sanctis angelis puniuntur, quos non decet amicos et concives tam vehementer affligere; in quo differentia habetur ab eo quod in hac vita evenit, quando homines et ab angelis malis puniuntur sicut ab hostibus, ut patet de Iob, et interdum a bonis, Deo sic iubente, ut patet de Iacob, cuius nervus femoris, angelo percutiente, emarcuit [3]. Hoc tamen non obstat quin angeli et boni et mali animas ad purgatorium comitentur eisque adstent purgandis: illi ut solentur, isti ut eorum poenis satientur, in quibus a corpore exeuntibus aliquid de suo repererunt [4].

1. C. IX. — 2. Ex hoc intelligitur ardens servorum Dei desiderium harum animarum tormenta sublevandi. Inter illos meretur ut recenseatur primus episcopus Southwarcensis, Thomas Grant, ut legere est in eius vita in germanicam linguam versa. THOMAS GRANT, erster Bischof von Southwark, von Katheleen O' Meara. Wien, 1885, p. 129. — 3. Gen., XXXII, 25. — 4. Ibid., art. 3. Eleganter, licet non plene ad theologicum rigorem, Card. Newman angelum custodem describit

**14.** — **Quaestio II.** — *Utrum poenae purgatorii eaedem sint pro omnibus?*

Resp. *Negative;* scriptum est enim[1]: *Reddet unicuique secundum opera eius;* et S. Paulus differentias venialium per lignum, foenum et stipulam significavit, cum constet aliquam ex hisce materiis diutius manere in igne quam aliam. Revera, debita spectari possunt, tum secundum speciem culpae poenam merentis, tum secundum rationem affectus culpae adhaerentis. Et quidem, quoad utrumque poenae diversae sunt in diversis: acerbitate vel intensitate respondente speciei culpae, diuturnitate vero respondente adhaerentiae voluntatis ad culpam, seu culpae radicationi in subiecto; quocirca, contingere potest ut aliqua anima minus in purgatorio affligatur, et tamen diutius ibi commoretur[2].

---

committentem animam purgatorii undis, ibi curae angelorum specialiter deputatorum refovendam:

*Softly and gently, dearly-ransomed soul,*
*In my most loving arms I now enfold thee,*
*Under the penal waters, as they roll,*
*I poise thee, and I lower thee, and hold thee.*
*And carefully I dip thee in the lake,*
*And thou without a sob or a resistance*
*Dost through the flood thy rapid passage take*
*Sinking deep, deeper, into the dim distance.*
*Angels, to whom the willing talk is given*
*Shall tend, and nurse, and lull thee, as thou liest*
*And Masses on the earth, and prayers in Heaven,*
*Shall aid thee at the Throne of the Most Highest.*
*Farewell, but not for ever! brother dear,*
*Be brave and patient on thy bed of sorrow;*
*Swiftly shall pass thy night of trial here*
*And I will come and wake thee on the morrow.*

(The Dream of Gerontius, in fine).

Similiter, magis ad poësim quam ad theologiam pertinet Aligherii descriptio de angelo multitudinem animarum in navi ad purgatorium traiicientis. Purg., Cant. II.

1. Rom., II, 6. — 2. Ibid., art. 6.

**15. — Tempus commorationis animarum in purgatorio.** — Quod autem attinet ad tempus quo animae in purgatorio commorari debeant, impossibile est quidquam certi a nobis statui; at sedulo cavendum est, ne dicatur poenam hanc non protrahi ultra determinatum numerum annorum, puta decem aut ad summum viginti, ut visum est Dominico Soto [1]; quo pertinet haec propositio ab Alexandro VII damnata [2]: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos;* S. quoque Augustinus [3] non solum orabat pro matre sua ante circiter triginta annos mortua, sed etiam rogabat ut quotquot illa legissent, illius meminissent; aliunde quidam moriuntur a multis et gravibus peccatis recens absoluti, quibus certe multorum annorum poenae remanent luendae. Nil mirum ergo si, ut refert Henriquez [4], sententiam Dominici Soti insignis quidam Minorita a Sanctae Inquisitionis senatu compulsus est retractare, *eo quod retrahat fideles ab operibus satisfactoriis et missis offerendis pro suis defunctis.* Quocirca cum Suarez concludi potest [5]: *In hac re aliqua in generali possumus statuere quae revelata sunt, vel ex revelatis aperte colliguntur; proprium tamen praecisum tempus illarum poenarum praefigere, impossibile est in particulari, quia non est revelatum.* Norma igitur non alia statui debet nisi quod, ut idem advertit Suarez [6], *quanto magis minusve transeuntia* (animae) *dilexerunt, tanto brevius tardiusve salvabuntur.*

1. 4, Dist. XIX, quaest. III, art. 2. *Crediderim,* ita ille, *numquam aliquem in purgatorio viginti annis extitisse, imo, ut mea fert opinio, nec decem. Nam cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio eius, et post Christum passum sacramenta et suffragia et bona quae egit opera ad cumulum ei satisfactioni accedunt.* At obliviscitur clar.mus theologus tempus merendi cum hac vita cessare. Sententiam Soti amplexi sunt nonnulli theologi, quos inter Maldonatus. Cf. Diana, Res. Mor. P. IV, tr. VIII, res. 101. — 2. Prop. 43ª, die 18 Mart. 1666. D. — B., n, 1143. — 3. L. IX Confess., c. 13, n. 37, t. I, col. 170. — 4. L. VII, c. 16, n. 4. — 5. De poenitentia, Disput. XLVI, sect. IV. — 6. Loco cit.

Alterum quod hic praecaveri debet est, ne putetur purgatorii tempus ultra diem ultimi iudicii protendi, cum Dominus Noster tunc nonnisi duos hominum ordines sit inventurus, unum beatorum, alium damnatorum; unde ait S. Augustinus [1]: *Purgatorias poenas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium* [2]. — Quantum vero ad eos qui immediate ante ultimum iudicium morituri sunt, dici potest eos poenae acerbitate soluturos quod alias diuturnitate persolvissent.

**16. — Scholion.** — Denique, utiliter advertetur, sancte illos agere concionatores, qui fideles a peccatis venialibus arcere cupientes, ob eorum oculos reducunt tormenta animabus purgatorii igne poenali inflicta: qua in re haud raro deprehenduntur nonnulli hodiedum per defectum peccare, quod certe fidei diminutioni attribuendum est: aliunde, poena sensus in purgatorio eiusdem rationis est ac poena sensus in inferno, pertinens scilicet ad carceralem alligationem voluntati repugnantem: imo non implicat dicere eam maiorem esse posse, nisi quod illa temporalis est, haec autem aeterna [3].

1. L. XXI de Civ. Dei, c. 16, t. VII, col. 636. — 2. Sententiae quae tenet purgatorium ultra iudicii diem extendi fautorem facit Bellarminus (de Purgat., l. II, c. 19) doctorem Alexandrinum, Origenem, cui haec attribuuntur (Homil. XVI in Lucam): *Ego puto, quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante: nemo enim absque sordibus resurgere potest.* At locus hic, praeterquamquod obscurus est, ab interpretibus tanquam spurius habetur. Cf. Suarez, de Poenit., loco cit. — 3. Ideo vix probandum dixerimus quod in iam commemorato opere legimus, scilicet, *praedicatoribus cavendum ab exaggeratis descriptionibus flammarum purgatorii, ne videantur illud in infernum commutare.* Utique ab omni exaggeratione semper cavendum est: at, ad praesentis aevi labem potius pertinet multorum conatus ad poenas purgatorii, in mortuorum atque viventium detrimentum, diminuendas. Simul etiam inculcandum, per poenam sensus, minime intelligi animam dolore sensibili affligi, sed per modum alligationis, ut saepius dictum est.

## ART. III. — *Utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale quoad culpam.*

**1. — Ratio articuli.** — Superius diximus, peccata venialia ab Apostolo [1] significari per lignum, foenum et stipulam: *sicut enim huiusmodi congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam aedificii, et possunt comburi aedificio remanente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali aedificio; et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen salutem consequitur aeternam* [2]. — Hoc posito, modo quaeritur quanam ratione peccatum veniale quoad culpae reatum remittatur in purgatorio.

**2. — Sententia S. Thomae.** — In quo quidem solvendo, non una semper fuit S. Thomae doctrina. Nimirum, in Commentario in Magistrum Sententiarum [3], Angelicus responderat quod culpa venialis, in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium, quatenus poena illa aliqualiter voluntaria, virtute gratiae, vim habet expiandi omnem culpam, quae simul cum gratia stare potest. Et obiicienti quod post praesentem vitam, non erit contritio quae sit actus meritorius, quia tunc non erit amplius meritum vel demeritum, responderat quod utique respectu praemii essentialis, meritum non habebitur post hanc vitam, habebitur tamen respectu praemii accidentalis, scilicet quoad remissionem culpae venialis, cum anima sit adhuc quodammodo in via [4]. At, in Quaestione septima de malo [5], retractans id quod antea scripserat, dicit peccatum veniale in

1. 1 Cor., III, 12. — 12. 1 2ae, Quaest. LXXXIX, art. 2. — 3. 4, Dist. XXI, Quaest. I, art. 3, quaest. I, quae est in App. Supplem., Quaest. II, art. 4. — 4. Ad 4m. — 5. Art. 11, ad 9m et 17m.

altero saeculo non remitti per poenam, sed virtute gratiae, prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum.

**3. — Omne meritum cessat post hanc vitam. —** Ad rectam huius quaesiti solutionem, praemittendum est omne tempus merendi aut demerendi omnino finiri per mortem, iuxta illud [1]: *Venit nox, quando nemo potest operari,* scilicet meritorie; unde et Sapiens monet [2]: *Ne verearis usque ad mortem iustificari,* tempus enim iustitiae acquirendae est ante mortem; et rursus [3]: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Huc etiam pertinet illud [4]: *Facile est coram Deo, in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas;* ex quo apparet, post mortem non esse tempus amplius merendi, sed reddendae rationis. Hinc S. Ioannes Chrysostomus ait [5]: *Praesens haec vita recte vivendi occasionem et opportunitatem habet; postquam vero diem tuum obieris, iudicium et poena consequetur;* et S. Augustinus [6]: *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari: nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.* Denique, huc pertinet sequens condemnata Lutheri propositio [7]: *Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.*

**4. — PROP. — Peccatum veniale remittitur quoad culpam in purgatorio, per hoc quod anima, statim**

1. Io., IX, 4. — 2. Eccli., XVIII, 10, 22. — 3. Eccl., IX, 10. — 4. Eccli. XI, 28. — 5. Homil. XXVII in Matth. — 6. Enchir., cap. CX, t. VI, col. 238. — 7. Est 39a condemnata a Leone X, Bulla *Exurge Domine*, 15 Iun., 1520. D.-B. n. 779.

post mortem, prorumpit in ferventem caritatis affectum.

5. – **Prob.** — Huius veritatis probatio pendet tum ab ipsa natura peccati venialis, tum a conditione animae post mortem. — Nimirum, sciendum est quod in peccato veniali patitur homo minorationem ac impedimentum per quamdam indecentiam actus, quasi impedimento existente in ipso actu quo pergendum erat in finem, salvo tamen principio inclinante. Ergo, generaliter loquendo, ad remissionem peccati venialis non requiritur nova gratiae infusio, sed sufficit motus ferventior voluntatis in Deum; qui quidem modus remissionis peccati venialis idem est post hanc vitam ac in praesenti vita. Atqui anima, statim ac iudicata manet et videt se, ob venialia peccata, ad purgatorium condemnatam, et proinde separatam a maximo bono seu a vita aeterna, statim prorumpit in fervens illius boni desiderium, quod quidem est effectus caritatis, et secum non fert peccatum veniale; et ideo remissio culpae post hanc vitam non fit per poenam, sed per usum gratiae, quae est effectus divinae misericordiae [1].

6. — **Scholion.** — Igitur dicendum est, cum Doctore Angelico [2], quod *remissio venialis peccati in purgatorio, quantum ad poenam, est ex parte purgatorii, quia homo et patiendo exsolvit quod debet, et ita cessat reatus; sed quantum ad culpam non remittitur per poenam, neque secundum quod actu sustinetur, quia non est meritoria; neque secundum quod recogitatur, non enim esset motus caritatis quod aliquis detesta-*

1. Cf. Quaest. VII de Malo, art. 11, ad 16m et 17m. Notandum vero hic est, particulam *non*, in responsione ad 16m, falso in textum S. Thomae irrepsisse, ut patet ex indole responsionis eiusdem, et ex hoc quod deest in pluribus codicibus mss. saeculi XIV, ut puta, Vatican., 786. f. 390, *recto*, et 787, p. II; f. 404, *verso*. — 2. Loco cit., ad 9m.

*retur peccatum veniale propter poenam, sed magis esset motus timoris servilis vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum.* Igitur, hoc sensu intelligendum est quod passim aiunt Sancti, leves quasdam culpas post hanc vitam remitti [1].

7. — **Corollarium.** — Ex hoc deducitur animas in purgatorio vere dici Dei amicas, quia licet earum caritas consummata non sit, cum per fidem adhuc ambulent, perfecta tamen existit, nullo prorsus vel levissimi peccati naevo obfuscata aut impedimento retardata; insuper dicendae sunt animae illae attigisse gradum perfectae intensionis, ex divina praedestinatione sibi adsignatum, ultra quem non sunt perventurae. Praeterea per praedictum actum, statim tolluntur in anima omnes dispositiones malae, eo quod actus ille, ait Bellarminus [2], *multo vehementior erit* (quacumque dispositione contraria), *cum anima tunc sit potentior quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut hic habet.*

8. — **Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat quod animae in purgatorio cupiunt liberari a poenis: hoc enim non provenit ex amore concupiscentiae, sed ex hoc quod ardenter desiderant Deum magis ac melius laudare, omne

1. *Meist wird nun angenommen, dass mit lässlichen Sünden behaftete Seelen alsbald nach dem Tode einen Act formeller Reue oder innigster Gottesliebe setzen und dadurch Nachlass ihrer Sündenschuld erlangen. Durch diesen Act werden die Seelen zugleich befreit von den unordentlichen Neigungen (habitus pravi), die ihnen in diesem Leben infolge der Concupiscenz oder sündhaften Gewohnheiten anhaften.* Scheeben-Atzberger, Handbuch der kath. Dogmatik. Achtes Buch. § 413, p. 855. Herder 1903. — 2. L. II de Purgat., c. 9.

bonum suum in eum referentes: unde Deum perfecto amore amicitiae diligunt.

Quae etiam perfecte conformes sunt divinae voluntati quantum ad istas poenas subeundas, quas sciunt esse conditionem sine qua ad beatitudinem pervenire non possunt; licet poenae huismodi voluntati, ut natura est, contrarientur [1]. Sed nec huiusmodi animae timore servili afficiuntur, qualis est timor gehennae et poenarum: sed solum timent poenarum, in quibus sunt, diuturnitatem, cum nesciant quandonam sint liberandae. Qui quidem timor non repugnat perfectae caritati, sicut nec timor Domini Nostri ante suam passionem.

**9. — Scholion.** — Demum, opportune advertetur, non posse sustineri id quod a quibusdam autumatur, videlicet maximam animarum in purgatorio poenam in hoc consistere, quod nesciunt utrum salvae sint, an damnatae: quomodo enim concipi potest animas Deo dilectas quae, licet adhuc ab eius visione arceantur, illum tamen toto corde diligunt atque eius voluntati perfectissime subditae sunt, in suspicionem incidere se illarum sorti addici, quae a Deo radicaliter sunt aversae, eumque odio et blasphemiis iugiter prosequuntur [2]?

Ex quibus omnibus ultimo deducitur animas in purgatorio detentas magna pace et quiete, quae est caritatis fructus, in mediis tormentis, gaudere, quae etiam a Deo specialissime diliguntur; unde et nihil divinae Maiestati gratius existit, quam ut nos pro earum liberatione preces fundamus.

**10. — Excluditur falsus modus quo animae in purgatorio purgari dicuntur.** — Hisce cohaerenter, facile apparet quam sedulo vitandus sit falsus ille purgatorii conceptus, quo quis illius operationem ad hoc ordinatam

1. S., App., Quaest. II, art. 2. — 2. De hoc agatur infra. art. 10.

concipiat, ut voluntatem, per spontaneam poenarum susceptionem, ab affectu peccati, ad Dei amorem paulatim protrahat, ut ita huius vitae scoriae purgentur: quasi videlicet anima ibi detenta non solum poenae reatum expiet, sed etiam a culparum maculis gradatim abluatur. Si enim ita foret, non esset ratio cur similis quoque purgationis conceptus in inferno non obtineret, cuius proinde poenae, sicut poenae purgatorii, non mere vindicativae, sed medicinales essent. Et hoc quidem putamus generale fundamentum fuisse illius positionis, quae nunc magis magisque extenditur, qua admittitur post mortem poenitudini locum adhuc haberi [1]. Denique, si poenae purgatorii hunc effectum haberent, scilicet animas purgandi, vix esset unde poenarum indulgentiis aut aliis caritatis operibus aliquod eisdem beneficium aut solamen adferrentur.

**11. — Modernistarum figmentum de mutabilitate voluntatis post mortem.** — Pro dictorum coronide, opportune notabitur, modernistas, qui tantam ultimis annis confusionem in Ecclesia suscitarunt, initium suae ab Ecclesia defectionis, ut plurimum, ex origeniano conceptu de universali quadam finali restitutione sumpsisse: quod signanter in casu Georgii Tyrrell, inter modernistas acerrimi, ex eiusdem biographia clare patescit, ubi ille refertur, ex quadam sententia piae mulieris Iulianae Northwicensis, [2] occasionem arripuisse sententiam propugnandi

1. Quocirca, tanquam falsa respuenda sunt sequentia verba Hermanni Schell (Kathol. Dogmatik, B. III, 2, p. 787): *Wäre es zulässig mit dem Tode den ganz fremden Gedanken zu verbinden, an dem Abgeschiedenen gehe dabei sofort eine wesentliche Veränderung vor sich, und zwar ohne seine freie Mitbeteiligung, und zwar zu keinen anderen Zweck, als um die Eschatologie in Theorie und Praxis möglichst einfach zu gestalten, dann ist auch kein Grund mehr da um der zeitlichen Sündenstrafen willen, um der äussern Genugtuung willen ein Fegfeuer anzunehmen. Der rationnelle Grund des Fegfeuers ist das Ausglühen des Willens von den Schlacken des Diesseit.* — 2. Revelations of divine Love, c. XXXII.

de possibili salute finali omnium [1]: in qua etiam sententia hodierni spiritistae conveniunt [2]. Quocirca, quantumvis doctrina de immutabilitate sortis animae post mortem humano sensui videatur adversa, sedulo tamen retinenda est, cum fide simul et ratione demonstretur, in voluntate humana, post mortem, de lege Dei ordinaria, locum amplius non esse mutationi de malo in bonum, aut viceversa [3].

### Articulus IV. — *Utrum animae in purgatorio detentae iuvari possint ex operibus vivorum.*

1. — **Sanctorum communio.** — Fidei catholicae dogma est, Symbolo Apostolorum contentum, sanctos Ecclesiae militantis in terris participare de eisdem sacramentis, et signanter de eodem eucharistico pane; eosdem vero ulterius communicare cum sanctis in caelo triumphantibus, necnon cum sanctis patientibus in purgatorio, quae quidem communicatio in bonorum consortio consistit. Huius autem communicationis ratio in caritatis vinculo *formaliter* sita est, quae facit proximum esse quodammodo unum nobiscum: ita quod omnes qui sibi invicem caritate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus, secundum mensuram status uniuscuiusque, reportant, quia etiam in patria unusquisque gaudebit de bonis alterius. *Efficienter* vero, communio sanctorum pendet ex intentione facientis, qui aliqua opera ad hoc specialiter perficit, ut talibus prosint; unde, ait Angeli-

1. Autobiography and Life of George Tyrrell, by M. D. Petre, Vol. II, pp. 112, seq. Cf. supra, p. 219. — 2. Vix dici potest quanto conatu contendant spiritistae novam, ut aiunt, revelationem de graduali post mortem purgatione universaliter instaurare. Cf. The Unseen World, p. 278. — 3. Cf. dell'Anima umana separata dal corpo, c. IV, 2 V.

cus [1], ista opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata, ideoque eis valere possunt ad impletionem satisfactionis, vel ad aliquid huiusmodi quod statum non mutat [2].

**2. — Solvitur tacita difficultas. —** Obiicienti quod nullus punitur pro malis alterius, ergo nec unus iuvatur per bona alterius, — *respondetur*, cum S. Thoma, quod auferre alicui id quod ei debetur, hoc directe iustitiae repugnat: sed dare aliquid alicui, quod ei non debetur, hoc non est iustitiae contrarium, sed metas iustitiae excedit; est enim liberalitas: non autem posset aliquis laedi ex malis alterius, nisi aliquid ei de suo subtraheretur: et ita non convenit, quod aliquis puniatur pro peccatis alterius, sicut quod emolumentum percipiat ex bonis alterius [3].

**3. — Quaerenti** vero in quonam ista sanctorum communicatio fundetur, — *respondetur*, primo, illam radicari in capite Christo [4], ex quo omnis gratia ad homines, imo quodammodo ad angelos, derivatur [5]; unde Christus nobis meruit, merito excellentissimo, primam gratiam, resurrectionen post lapsum, perseverantiam necnon finalem gloriam; qui etiam satisfecit abundanter pro nobis. Deinde praedicta sanctorum communio fundatur in hoc quod, sub capite Christo, homines membra sunt unius corporis mystici, secundum illud [6]: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra:* unde unus pro alio potest satisfacere, intercedere, sacrificium offerre ac mereri, merito non quidem de condigno, sed de congruo [7].

1. Supplem., Quaest. LXXI, art. 1. — 2. Cf. Cat. Rom., de IX Sym. art., nn. 23 seqq. — 3. L. c., ad 4m. — 4. Eph., I, 22, 23. — 5. Tr. de Incarnat., Quaest., VIII, art. 1 et 4. — 6. Rom., XII, 5. — 7. Cf. tr. de Gratia, Quaest. CXIV, art. 6.

**4. — PROP. — Animae in purgatorio detentae, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuvantur.**

**5. — Auctoritas sacri Concilii Tridentini** — De fide est haec propositio, ipsismet Concilii Tridentini verbis concepta [1], ubi etiam sequentia leguntur [2]: *Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: A. S.* — Ad hanc vero fidem pertinent plura, sive ex Scriptura, sive ex Patribus, quae superius ad comprobandam purgatorii existentiam adduximus [3], quibus tamen sequentia adiecisse non pigebit, ad demonstrandam Ecclesiae hac in re ininterruptam traditionem.

**6. — Sacra Scriptura.** — Revera, huius consuetudinis argumento est praxis olim vigens, ab Apostolo his verbis recensita [4]: *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?* Nimirum, S. Paulus, ad evincendam resurrectionem mortuorum, de qua re inibi sollicitus est, provocat ad consuetudinem tunc plurimum vigentem, aut lustralem aquam pro iis qui sine baptismate decesserant, denuo percipiendi [5], aut opera poenalia pro eisdem suscipiendi: quae quidem agendi ratio, quidquid de eà dicatur, in utroque casu, hac persuasione inspirabatur, mortuos posse vivorum bonis operibus iuvari [6].

1. Sess. XXV Decret. de Purgat. D.-B., n. 983. — 2. Can. 3 Sess. XXII, Denz., 950. — 3. Vide supra, art. 1. — 4. 1 Cor., XV, 29. — 5. Vide tr. de Baptismo, Quaest.. LXVIII, art. 2. — 6. *Dem Sprachgebrauch und Zusammenhange am angemessensten ist es, diese Worte* SICH TAUFEN LASSEN *bildlich für* LEIDEN *zu fassen, wie sie auch Christus* (Luc. XII, 50) *gefasst hat*; *denn darauf führt ganz klar der folgende Vers, wo Paulus*

7. — **Ecclesiae traditio.** — Ad perantiquam Ecclesiae praxim de precibus pro mortuis fundendis non timet S. Augustinus provocare, dum ait [1], *non parvam esse universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritatem, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habeat etiam commendatio mortuorum* [2]. Haec autem consuetudo ab ipsis apostolis instituta est, ut testatur S. Damascenus, sic inquiens [3]: *Discipuli Salvatoris et sacri Apostoli in tremendis purisque et vivificis mysteriis, memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt,* οἱ... μαθηταὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ θεῖοι ἀπόστολοι, ἐπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶς μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι των πιστῶν κοιμηθέντων ἐθέσπισαν. Quod etiam patet per auctorem libri de Ecclesiastica Hierarchia [4], ubi ritum commemorat quo in primitiva Ecclesia pro mortuis orabatur; qui etiam asserit, suffragia vivorum mortuis prodesse. Ergo indubitanter credendum est hanc semper fuisse Ecclesiae mentem, vivorum suffragia mortuis revera prodesse.

Huius etiam traditionis pignus habemus in Constitutionibus Apostolicis, in quibus haec leguntur [5]: *Oremus pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum voluntarium et non voluntarium, et propitius ac benevolus ei factus, collocet eam in regione piorum qui laxati sunt in sinu Abrahae, Isaac et Iacob, cum omnibus qui a*

---

*in seinem Namenfrägt: warum auch er beiden vollte zum eigenen und fremden Heile, wenn keine Auferstehung der Toten, überhaupt weine Fortdauer des Leibes und der Secle wäre* (Cartus., Justin., Tirin., Bellarmin). *Nach dieser Auffassung spricht die Stelle den Glauben der ersten Christen aus, dass man den Verstorbenen durch Werwe der Busse zu Hilfe wommen wönne.* Ios. Fr. Allioli, in h. l. S. Pauli.

1. L. de Cura pro mortuis agenda, c. I, n. 3, t. VI, col. 516, 517. — 2. Cf. Ibid., c. IV, in fin. — 3. In sermone de iis qui in fide dormierunt, n.3, t. I, p. 585. — 4. Cap. ult. — 5. L. VIII, c. 41. Apud Mansi, t. I, col. 587.

*saeculo condito placuerunt Deo, ac eius voluntatem fecerunt, unde aufugit dolor, tristitia et gemitus.*

Quid plura? Nonne in perantiquis coemeteriis christianis, signanter Romae, in coemeteriis Callisti et Domitillae, pias invenire est sculptas vel pictas deprecationes: *Spiritus tuus in refrigerio; Spiritum tuum Deus refrigeret; Vivas in Spiritu,* etc. [1]?

**8. — Explicita quorumdam Patrum testimonia.** — Sed nec supervacaneum erit quorumdam Patrum explicitiora referre testimonia, ut appareat quanta hac in re sit consensio inter antiquam fidem et praesentem Ecclesiae doctrinam. — Praeter Tertullianum, qui *oblationes pro defunctis* recenset [2], dignus est qui recitetur S. Cyprianus, qui in epistola ad clerum et plebem Furnis consistentes, prohibet quominus pro defuncti Victoris anima suffragia fiant, eo quod contra formam sacrorum canonum, Geminianum presbyterum bonorum suorum tutorem ausus esset constituere. *Non est*, ait [3], *quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur.* Eiusdem fidei testis quoque est S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui ait [4]: *Deinde pro omnibus generatim oramus, qui inter nos vita functi sunt: maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima,* μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται, τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας [5]. Denique eamdem Ecclesiae fidem resonat S. Isidorus Hispalensis, dicens [6]: *Sacrificium pro fide-*

I. Vide aureum opusc. P. Sixti Scaglia, *I Novissimi nei Monumenti primitivi della Chiesa*, Roma, 1910, pp. 10, seq. — 2. L. de Corona militis, 3. 8-10. — 3. Epist. I, al. LXVI, p. 170. 4. Catech. mystag., V, n. 9, p. 328. — 5. Cf. S. Epiphan, Haeresi LXXV, quae est Aerianorum, dogmatizantium non oportere orare pro mortuis. — 6. L. I de Ecclesiae Officiis, c. 18.

*lium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis institutum est.*

Quae cum ita sint, iudicat cui lubet, quanto ausu Calvinus, ultro agnoscens Patres, per annos mille tercentos, suffragia pro defunctis admisisse, concluserit, in hoc eos aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem non trahendum quod fecerint [1]!

**9. — Prob. rat. theol.** — Hanc autem veritatem sequenti argumento probat Angelicus [2]: Caritas, quae est vita animae, quemadmodum anima est vita corporis, est vinculum uniens Ecclesiae universae membra, idest, non solum homines qui adhuc in terra vivunt, sed etiam qui iam decesserunt [3]: *Caritas enim nunquam excidit.* Similiter mortui ita in memoriis hominum viventium vivunt, ut horum intentio ad eos dirigi possit. Quapropter suffragia vivorum dupliciter prosunt mortuis sicut et vivis: scilicet, propter caritatis unionem, et propter intentionem in eos directam. — Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia, addit idem Angelicus, ut mutari possint de miseria ad felicitatem; sed valent ad diminutionem poenae, vel aliquid huiusmodi, quod statum mortui non transmutat.

**10. — Solvuntur difficultates.** — α) **Ex Sacra Scriptura.** — S. Paulus expresse testatur [4]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit;* rursusque [5]: *Opera enim illorum* (mortuorum) *sequuntur illos.* Ergo ex his quae post mortem hominis geruntur, quando extra corpus erit, nihil ei accrescere poterit ex alicuius operibus.

1. Institut., l. III, c. 10. — 2. S., Quaest. LXXI, art. 2. — 3. 1 Cor., XIII, 8. — 4. 2 Cor., V, 10. — 5. Apoc., XIV, 13.

*Respondet* S. Thomas [1], quod mortui, in hoc quod iuvantur suffragiis viventium, revera recipiunt ea quae gesserunt dum in corpore essent, quia ut sic iuvari possent, meruerunt, hoc ipso quod in caritate decesserunt. Ceterum, ambo isti textus sunt accipiendi de finali retributione quae fiet in ultimo iudicio, nempe aeternae gloriae pro bonis, vel aeternae miseriae pro malis, secundum merita vel demerita praesentis vitae; quo sensu ait S. Augustinus [2]: *Nihil te adiuvabit, quod hic non feceris.* Hoc etiam sensu S. Hieronymus ait [3]: *Docemur,.... dum in praesenti saeculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadiuvari; cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.* Nimirum, nullius sancti precibus poterit, in ultima die, damnationis sententia excludi ab eo qui in vita omiserit bona opera complere.

**11.** β) **Ex Patribus.** — S. Ambrosius ait [4]: *Docemur ut non diutius inhaereamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus.*

*Resp.* S. Ambrosius, ut ex contextu patet, agit tantum de luctu et pompa funebri, quam vult esse moderatam, nec diutius protendendam; unde nil habet contra mortuorum suffragia, sed potius contra morem illum quorumdam qui, luctum in dies ac menses protrahunt, cum damno ceterorum religionis ac pietatis officiorum.

**12.** γ) **Ex ratione theologica.** — I. Proficere ex opere aliquo, est eius qui in via existit. Atqui homines post mortem amplius viatores non sunt. Ergo mortui de suffragiis alicuius iuvari non possunt.

1. S. Quaest. LXXI, art. 2, ad 1m. — 2. Sermo XCVII, al. XXI de Verbis Domini, C. I. t. V, col. 515. — 3. In Cap. VI. ad Gal., v. 5. t. III, P. I, col. 523. — 4. L. I de Abraham, c. 9, ad haec verba Gen., XXIII, 3: *Cum surrexisset ab officio funeris* t. I, col. 398.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.*: simpliciter et quoad omnia, *conc.;* secundum quid, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Licet animae corporibus exutae non sint simpliciter in statu viae, tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, inquantum earum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione; ideoque non possunt ulterius per aliqua opera transmutari secundum statum felicitatis et miseriae, quamvis quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis iuvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via [1].

II. Nullus iuvatur ex opere alterius, nisi sit aliqua vitae communicatio inter eos. Atqui nulla communicatio est mortuorum ad vivos. Ergo suffragia vivorum non prosunt mortuis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min*: nulla communicatio operum civilium; conc.; operum spiritualium, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis communicatio civilium operum nequeat esse mortuorum ad vivos, quia mortui extra vitam civilem sunt, potest tamen communicatio inter eos esse quantum ad opera vitae spiritualis, quae est per caritatem ad Deum, cui mortuorum spiritus vivunt [2].

III. Incertum nobis est, an mortui pro quibus oramus sint in purgatorio. Ergo frustra pro eis oramus.

*Resp.* Nulla nostra oratio remanet frustranea; primo enim semper nobis prodest ad cumulum pietatis; deinde, si non prodest ei pro quo illam fundimus, prodest alteri, secundum Dei applicationem; ceterum, monet opportune S. Augustinus, *melius supererunt ista quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt* [3].

IV. Si quis decedens disponat tot suffragia pro se fieri, quibus absolutis tota eius poena aboleri deberet, posito quod huiusmodi suffragia differantur quousque ille poenam evaserit, nihil ei proderunt: non enim potest dici

1. Ad 3m. — 2. Ad 4m. — 3. L. de cura pro mortuis agenda, cap. XVIII, n. 22, t. VI, col. 530.

quod prosunt antequam fiant; postquam autem sunt facta, eis amplius non indiget, quia iam poenas evasit. Ergo suffragia existentibus in purgatorio non prosunt.

*Resp.* Qui disponit suffragia pro se fieri, eorum fructum quantum ad efficaciam quae est ex opere operantis principaliter agentis, percipit, etiamsi non statim fiant, id est statim meritum obtinet bonae suae dispositionis; differtur autem fructus, tam qui esset ex opere operato suffragiorum, quam qui esset ex opere exequentis [1]. Similiter, ait Sylvius [2], quando per amicos vel executores differtur elargitio eleemosynae quam quis ante mortem ordinavit fieri, is qui ordinavit eam fieri, non obstante executorum mora, meritum suae bonae voluntatis ac dispositionis percipiet, eo quod illud principaliter dependet ex bona voluntate et intentione iubentis; sed quantum ad effectum eleemosynae, ex ista dilatione patietur detrimentum. Nec hoc inconvenit; quia licet, quantum ad aeternam retributionem, nullus defraudetur nisi per propriam culpam, in temporalibus tamen aliquis defraudari potest per culpam alterius, poena autem purgatorii temporalis est. Ex quo patet, concludit idem Sylvius, executoribus non licere differre distributiones eleemosynarum, nisi forte ad modicum tempus, ad hoc ut, puta, res defuncti vendantur pluris, et ita plures sint eleemosynae distribuendae [3].

**13. — Corollarium.** — Ex hoc sequitur perperam illos ratiocinari, qui censent nihil de se referre, utrum suffragia pro defunctis differantur, eo quod, aiunt, Deus statim praemiari potest orationes quas praevidet pro illis in futurum fundendas: nam, ut advertit S. Thomas [4], *quantum ad efficaciam suffragiorum quae est ex opere*

1. Art. 6. — 2. In h. l. — 3. Cf. S. Thom., Quodl. VI, art. 13 et 14. — 4. Art. 6, ad 4m. Huic animadversioni sedulo attendant quibus munus incumbit missas vel alia suffragia pro defunctis, ex fundatione, vel ex alia obligatione, persolvendi.

*operato, vel ex opere operante exequentis,* (defunctus) *non consequitur fructum, antequam suffragia fiant.*

**14.** — **Quaestio I.** — *Utrum suffragia per peccatores facta mortuis prosint?*

*Resp.* Licet suffragia per peccatores facta non tantum prosint mortuis, quantum prodessent si per iustos fierent, nihilominus prodesse credenda sunt, *primo,* quantum ad opus operatum, ut est sacrificium altaris, quod sicut sacramenta Ecclesiae, ex seipso efficaciam habet; *secundo,* quantum ad opus operantis ipsius Ecclesiae, cuius personam gerit sacerdos iniquus suffragia faciens; *tertio,* propter caritatem principalis agentis, scilicet Dei, qui suffragia fieri disposuit [1]. Quocirca et peccatores possunt indulgentias pro mortuis lucrari [2].

**15.** — **Quaestio II.** — *Utrum suffragia quae a vivis pro mortuis fiunt, facientibus prosint?*

*Resp.* Affirmative, attento scilicet merito vitae aeternae, si nempe opus illud procedat ex radice caritatis; attento vero debito satisfactionis, ita suffragium prodest ei pro quo fit, ut non absolvat facientem a debito poenae propriae. Huius ratio est, quia oportet opus satisfactorium adaequari reatui: sed reatus duorum peccatorum maiorem requirit satisfactionem, quam reatus unius [3].

**16.** — **Quaestio III.** — *An melius sit ut quis satisfaciat per se quam per alios?*

*Resp.* In hac vita, utique, melius est ut quis satisfaciat per se quam per alium, quia qui satisfacit simul meretur, sibique maiorem gloriam comparat; in purgatorio autem, ubi cessat meritum, melius est cito liberari, quam diutius poenas sustinere [4]. Huc pertinet sequens damnata propositio Lutheri [5]: *Animae ex purgatorio liberatae minus beantur, quam si per se satisfecissent.*

1. Art. 3. — 2. Cf. tr. DE POENIT., P. II, Q. V, art. 9, n. 8. — 3. Art. 4. — 4. Fr. Sylv., in h. l. — 5. Est 40a inter condemn. a Leone X, D.-B., n. 780.

ARTICULUS V. — *Utrum Sancti et Angeli defunctis in purgatorio existentibus subveniant.*

1. — **Ratio articuli.** — Acto de suffragiis a viventibus pro mortuis oblatis, sequitur ut investigetur utrum beati quoque et angeli in caelo regnantes eisdem opitulari valeant: cuius dubitationis ratio in hoc reposita est, quod cum sint comprehensores, pati amplius non possunt, ideoque incapaces sunt pro aliis satisfaciendi. — Cui tamen respondendum est

2. — PROP. — **Sancti et Angeli suis orationibus animabus in purgatorio detentis subvenire possunt.**

3. — **Prob.** — Veritas haec resultat ex nexu caritatis inter Ecclesiam triumphantem et patientem: unde etiam in Missa, sanctorum suffragium imploratur, his verbis: *Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut... Beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium* (animas defunctorum) *pervenire concedas* [1].

4. — **Intercessio Beatae Virginis pro defunctis.** — Rite autem primo loco recensetur gloriosissima Virgo, quae eos post mortem non derelinquit, quos in vita materno fovit affectu: quo pertinet id quod apud plures pios auctores legitur, nempe quibusdam solemnioribus anni temporibus, Mariam animas in purgatorio detentas aut totaliter liberare, aut saltem in poenis misericorditer sublevare [2]. Denique, ad hoc referri potest celebre pri-

1. Orat. in Missis quotidianis Def. — 2. Cf. Gerson., tract. IV super *Magnificat,* Opp., t. IV, p. 287; Revelat. S. Birgittae, l. VI, c. 10; t. II, p. 16; Dionys. Cartus., Sermo I in solemnitate Assumpt.

vilegium sabbatinum, quod fertur a Ioanne XXII, per Bullam sic dictam sabbatinam, 3 Martii 1322, promulgatum, quo confratribus societatis de Monte Carmelo, qui Mariam in vita devote coluerint, liberatio a poenis purgatorii sabbato eorum obitum consequente promittitur [1].

5. — **Qua ratione Sancti animabus in purgatorio opitulantur.** — Duplici autem modo dicendi sunt Sancti animas in purgatorio detentas adiuvare: primo, offerendo pro ipsis satisfactiones, non quidem actuales, cum eorum status cum expiatione aut merito sit incompossibilis, sed superabundantes huius vitae satisfactiones, quae licet thesauro Ecclesiae iam sint incorporatae, adhuc tamen suae ita manent, ut de eis ad libitum disponere valeant. — Secundo, per hoc quod a Deo impetrant ut quosdam fideles viventes moveat ad satisfaciendum pro defunctis; quod quidem incongrue non dicitur: cum enim misericors Deus, utique posset, ex infinito Christi satisfactionum thesauro, tantum haurire, quantum ad cuncta animarum in purgatorio patientium debita persolvenda sufficeret, hoc tamen non facit, quo clarius reluceat et sua iustitia, et sanctorum charitas, tum eorum qui in caelo Deum exorant ut nos ad benefaciendum animabus excitet, tum eorum qui in terra divino instinctui respondentes, pro illis animabus poenalia opera suscipiunt [2].

6. — **Quaestio I.** — *Utrum Sancti solis suis orationibus obtinere possint liberationem animarum in purgatorio existentium?*

---

B. M. V.; t. XXXII, p. 320; S. Alphons. Ligor., Gloires de Marie, P. I, c. 8, § 2. Vide etiam tr. DE B. MA VIRGINE MARIA, P. III, c. I, a. 4, n. 20, p. 579.

1. Cf. Decretum Pauli V, 15 Febr., 1615, quod a S. Congr. Indulg. recognitum est 1 Dec., 1886. Cf. de hac re J. B. Terrien, LA MÈRE DE DIEU, MÈRE DES HOMMES, t. IV, p. 332. — 2. Cf. Al. Ad. Paquet, Disp. VIII, Quaest. IV, art. 3, p. 403. Cf. etiam J. B. Terrien, Op cit., l. c., p. 320.

Huic quaestioni diversi diversam dant responsionem. Imprimis Bellarmino visum est nos posse solis orationibus, exclusa omni satisfactione, animabus in purgatorio opitulari [1]. Ad eamdem sententiam inclinasse videtur Suarez [2], dum illam vocat *piam, probabilem* et *forsan veram sententiam*, licet addat eam valde incertam et in ratione parum fundatam: et revera, quod parum haec sententia sit fundata, apparet: nam, si nequimus solis nostris orationibus obtinere pro nobis ipsis liberationem a poenis peccatis debitis, multo minus id pro defunctis consequi valemus, cum, ceteris paribus, eo efficacior sit oratio, quo quis pro seipso orat. Alii, denique, cum Theophilo Raynaudo [3] distinguentes inter orationes viatorum et orationes comprehensorum, praedictam potestatem primis concedunt, secundis denegant.

7. — **Responsio.** — At verior responsio est, ut dicatur non posse sive viatores, sive comprehensores, animabus illis liberationem aut sublevamen solis orationibus impertiri: quia, cum divina misericordia nunquam operetur praetermissis iuribus iustitiae, ad iustitiam vero pertineat ut debita persolvantur, sive propria, sive vicaria eorumdem expiatione, ideo vane quis expectaret ut sola impetratoria virtute orationem ut sic consequente, sibi aut aliis debita relaxarentur.

Dicendum est ergo Sanctos liberationem aut sublevamen suis orationibus animabus in purgatorio impetrare, in quantum illae cum satisfactionibus intime connectuntur. Possunt autem connecti multipliciter: primo, viventium orationes semper de se comitatur aliqua corporis afflictio aut poenalitas, quae profecto animabus potest applicari; secundo, homines viatores et beati in caelo

1. De Purgat., l. II, c. 15. — 2. De Sacramento Poenitentiae, D. XLVIII, s. 5, p. 504, Ven., 1748. — 3. Scapulare Marianum, Quaest. V, Opp., t. VII, p. 289.

possunt orare Deum ut animabus applicet suas aut aliorum Sanctorum, et maxime Christi ac Beatae Virginis, satisfactiones, vel ut aliquem interne excitet ad eis per suscepta opera poenalia subveniendum.

**8. — Quaestio II.** — *Utrum angeli animas in purgatorio sublevent, eas visitando?*

*Resp.* Affirmative; et quidem illuc mitti possunt sive a Deo, sive a Beatissima Virgine, sive ab aliquo superiori sancto, ita tamen ut, quia *in divinis ministeriis est multiplex gradus* [1], hinc superiores angeli mittantur ad superiores animas, inferiores ad inferiores. Cum autem omnis favor, etiam qui animabus in purgatorio provenit, intercessioni Deiparae, quae est omnipotens in supplicando [2], tandem adscribi debeat, hinc dici potest angelos qui patientibus animabus succurrunt, ab eadem gloriosa Deipara mitti.

Ulterius vero *quaerenti* quomodo angeli animabus illis subveniunt, *respondetur* id eos praestare vel illis annuntiando proximam liberationem, vel illas utcumque illuminando circa Christi et Mariae erga eas amorem, necnon circa gaudia infinita paradisi.

**9. — Quaestio III.** — *Utrum Sancti praesentialiter ad purgatorium accedant ad animas confortandas?*

*Resp.* Negative; non enim ad Sanctos, sed ad Angelos proprie pertinet mitti ad officia complenda solandi ac illuminandi, iuxta illud S. Pauli [3]: *Nonne omnes* (angeli) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi,* etc. Signanter vero advertitur quod, si quidem concedendum videretur sanctos interdum, ex divina dispensatione, ad purgatorium praesentialiter accedere, nullo tamen pacto

1. 1, Quaest. CXII, art, 2, ad 4m. — 2. Cf. tr. de B. M. V., P. III, c. I art. 4, n, 11, p. 567. — 3. Hebr., I, 14. Vide tr. de ANGELIS P. II, Quaest. CXII, Prol., n. 2, et art. 2, n. 1.

admittendum foret, eos qui iam cum corporibus suis surrexerunt, posse ab animabus videri visione corporali, cum hae sensibus careant.

**10. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti verba Ioannis XXII [1], quibus inducitur Beata Virgo Maria ita confratres carmelitas allocuta: *Ego, Mater gloriosa, descendam sabbato post eorum mortem, et quos invenero in purgatorio, liberabo, et eos in montem sanctum vitae aeternae reducam,* — respondetur, imprimis de huius Bullae authenticitate non sine ratione dubitari [2]; deinde certe verba illa intelligenda esse sub luce decreti Pauli V [3], quod illa verba interpretatur de prompta liberatione illarum animarum ab igne purgatorii, praetermissis descensu Beatae Virginis ad illum locum, necnon taxatione temporis, scilicet quod haec liberatio sabbato mortem sequente obtinere debeat: quo quidem sensu solum permittitur concionatoribus privilegium illud evulgare [4].

Nec sine ratione negatur Beatam Virginem ad purgatorium personaliter accedere: nam, ut advertit Theophilus Raynaudus [5], non videtur conveniens glorioso Deiparae statui, ut tam facile et saepe caelum relinquat, ut ad tenebrosum purgatorii carcerem sese conferat. Quae etiam ratio est, cur communiter docetur sanctorum apparitiones

1. In Bulla sic dicta Sabbatina, 3 Mart., 1322. — 2. Vide Benedict. XIV, De Festis B. M. V., l. II, c. VI, de festo B. V. de Monte Carmelo, n. 5. — 3. 15 Febr., 1615. — 4. Decreti verba sunt: *Patribus Carmelitanis permittatur praedicare, quod populus Christianus possit pie credere de adiutorio animarum Fratrum et Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint,... suis intercessionibus continuis, suisque suffragiis et meritis, et speciali protectione post eorum transitum, praecipue in die Sabbati (qui dies ab Ecclesia eidem Beatae Virgini dicatus est) adiuturam.* Congruunt cum hoc decreto lectiones officii B. M. V. de Monte Carmelo in Breviario Romano. — 5. Scapulare Marianum, p. 289, l. supra cit., sc. n. 4, nota 4.

impersonales esse, scilicet compleri, assumptis ad eos repraesentandos imagine aut symbolo.

**11.** — **Quaestio IV.** — *Utrum animae defunctorum suis a Deo orationibus obtinere possint propriam a poenis purgatorii liberationem?*

Non facilis est huius dubii solutio, rationibus pro utraque parte militantibus : nimirum, hinc quidem affirmandum videretur; quia si nos animas in purgatorio orationibus nostris iuvamus, quidni illaemet seipsas hoc modo iuvare possunt? Illinc vero, si orando animae illae liberationem a Deo valent consequi, tunc concludendum est cito vacuari debere purgatorium, cum nulla profecto sit anima quae sui liberationem vehementer non exoptet, ac proinde Deum pro se fervide non exoret.

**12.** — **Responsio.** — Porro, omnibus mature perpensis, contra Sylvium et nonnullos theologos [1], respondendum censemus *negative.* Revera, imprimis, oratio illarum animarum pro ipsis satisfactoria esse non potest, cum sint in termino; atqui diximus remissionem poenae non fieri solius orationis virtute, seclusa satisfactione. Sed nec congruit ut dicatur praefatas animas Deum orare posse ut sive ille, per se, Christi et Sanctorum superabundantes satisfactiones eis applicet, sive pios fideles excitet ad satisfactionem pro eis Deo exhibendam : — nam, cum earum voluntas sit perfecte conformis divinae voluntati, ipsaemet vero probe sciant se esse a Deo poenis purgatorii iuste condemnatas, hinc primus voluntatis earum motus debet esse ut poenas illas per sese subeant; secus enim non plene divinae voluntati conformes evaderent. Quocirca aliud est quod nos vel Sancti in caelo regnantes, pro misericordiae affectu, pro illis animabus solvimus, aliud quod illae iustitiae normam secutae praestare debent : nimi-

1. In S., Quaest. LXXI, art. 2, *Ceterum*, etc.

rum, cum ex fide sciamus Deum nostras supplicationes ac satisfactiones libenter pro illis animabus acceptare, eius voluntati conformiter agimus, pro eisdem satisfaciendo vel orando, ut eis aliquid de thesauro Ecclesiae applicetur; quia vero animae illae, regulariter loquendo, per se deberent poenam sibi impositam solvere, hinc inconvenit ut orent Deum quatenus ille sibi tempus purgationis abbreviet [1].

### Articulus VI. — *Utrum orationes Ecclesiae, sacrificium altaris et eleemosynae prosint defunctis.*

**1. — Ratio articuli.** — Nostra hic intentio est, commentari sequentia verba S. Augustini, quibus ille suffragia pro defunctis ad tria praedicta capita reducit. *Non existimemus,* ait ille [2], *ad mortuos pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantum quibus, dum vivunt, comparatur ut prosint.*

**2. — PROP. — α) Sacrificium altaris, eleemosynae et orationes operantur quasi praecipua mortuorum subsidia; β) quamvis quaecumque alia bona opera, quae ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sint.**

**3. — Prob. Iª Pars.** — Vivorum suffragia defunctis prosunt, secundum quod uniuntur invicem charitate, et

1. Hic recenseri potest pulcra paraphrasis orationis dominicae, quam Aligherius in ore animarum in purgatorio detentarum ponit: *O Padre nostro, che ne' cieli stai,* etc. (Purg., cant. XI, vers. 1, seqq.) : ex qua utique non necessario deducitur, animas illas liberationem a poenis purgatorii pro sese petere. — 2. L. de Cura gerenda pro mortuis, c. XVIII, n. 22, t. VI, col. 530.

secundum quod intentio viventis fertur in mortuos. Atqui ad charitatem praecipue pertinet sacramentum Eucharistiae, quod est sacramentum ecclesiasticae unionis, Christum continens, in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur; inter effectus charitatis autem eminet eleemosyna. — Ex parte vero intentionis in mortuos directae, praecipuum opus est oratio, quae secundum suam rationem directius respicit ad id pro quo oratur. Ergo sacrificium altaris, eleemosynae et orationes sunt praecipua mortuorum subsidia [1].

4. — **Solvitur tacita difficultas.** — In diversis missis, est idem sacrificium altaris; si ergo sacrificium computatur inter suffragia, et non missa, videtur quod tantundem valeat quaecumque missa pro defuncto dicatur, sive de Beata Virgine, sive de Spiritu Sancto, vel quaecumque alia; quod videtur esse contra Ecclesiae ordinationem, quae specialem missam pro defunctis instituit.

*Respondet* S. Thomas [2], quod in officio missae, non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes: et ideo missae suffragium continet ista duo, scilicet orationem et sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblati, missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur, et hoc est praecipuum quod fit in missa; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Attamen defectus iste recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem sancti, cuius suffragium in missa imploratur. — Ceterum, attendendum est, ait Sylvius [3], ad rubricas generales Missalis [4], ubi cum habetur quod missae votivae dici possunt ad libitum sacerdotis privatim celebrantis, quando non est duplex, additur tamen id non esse passim faciendum, sed

1. S., Quaest. LXXI, art. 9. — 2. Ad 5m, litt. ad — 3. H. l. — 4. § IV.

quoad fieri potest, missam debere convenire cum officio diei, quando duplex est aut dominica.

5. — **Secunda pars** evincitur auctoritate S. Gregorii Magni et S. Ioannis Damasceni, quorum prior, inter defunctorum subsidia, connumerat etiam ieiunium a cognatis susceptum[1]; alter vero docet ceras et oleum et cetera huiusmodi pro defunctis offerri[2]. — Sed recolendum est quod, in eo qui satisfacit pro altero, id quod formaliter requiritur, non tam est poena ipsa, quam ut effectus satisfactionis ad hunc perveniat; unde, etsi ieiunium magis poenale sit quam eleemosyna et oratio, et sic magis de se expiet reatum satisfactionis in quantum est medicina, defunctis tamen non prodest, nisi indirecte, ratione scilicet charitatis et intentionis quae in defunctos dirigitur. Similiter nec candelae nec oleum defunctis prosunt, nisi in quantum sunt eleemosynae datae in cultum Dei vel in usum Ecclesiae, oleum enim et cera in holocaustum adhibentur[3].

6. — **Quaestio I.** — *Utrum cultus exequiarum prosit defunctis?*

*Resp.* Prodest et vivis et defunctis. Et quidem, vivis prodest, dum per humani corporis sepulturam, nec cadaverum putredine viventium oculi offenduntur, nec foetoribus eorum sensus inficiuntur; confirmantur quoque in fide resurrectionis, videntes defunctorum corpora non viliter abiici, sed pie ac religiose humari. Defunctis quoque prodest, non quasi mortuis corporibus aliquis sensus insit, aut anima quietem percipere non possit si corpus insepultum maneat, ut tenebant pagani; sed quia inspicientes monumenta, memoriam retinent defunctorum, et pro ipsis orant. Quod si exequiae fiant in loco sacro, magis

1. Legitur in Decret., 13, Quaest. II, c. 22. — 2. Sermo de Dormientibus, a med. — 3. Ad 1m, 2m et 6m.

prosunt propter preces quas Ecclesia in solemni dedicatione coemeterii fundit, necnon propter suffragia Sancti qui est patronus illius loci, aut eorum qui loco illi sacro deserviunt.

Ad rem hanc pertinet praxis antiquitus vigens, qua fideles curabant ut sua corpora, post mortem, prope martyrum tumulos, seu, ut aiebant, *ad martyres, ad sanctos, ante, retro martyres* collocarentur; de qua re exempla habemus in S. Paulino Nolano, qui reliquias filioli Celsi prope martyres transferri curavit [1], necnon in Constantino magno, qui inter monumenta in Basilica Apostolis Constantinopoli erecta sepeliri voluit, confidens eorum memoriam sibi esse profuturam [2]. *Non video*, ait S. Augustinus [3], *quae sunt adiumenta mortuorum, nisi ad hoc ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuvandos orando commendent.*

7. — **Utilitas alicuius cultus pro mortuis.** — Igitur, utilis res est, cultum aliquem, moderatum tamen, in ipsis exequiis adhibere, tum propter vivorum solatia, tum ut adspicientes ad compassionem et consequenter ad orandum pro defuncto excitentur, unde monumentum a *monendo* dicitur. *Curatio funeris*, ait S. Augustinus [4], *conditio sepulturae, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quam subsidia mortuorum.* Maxime vero curandum est ut, ex sumptibus funeris, vel pauperes fructum percipiant, vel ecclesiae ornatus promoveatur : sic enim sepultura inter ceteras eleemosynas computabitur [5].

1. Poëm. XXXIV, vers. 605, seqq. Migne, LXI, 689. — 2. Euseb., in Vita Constant., l. IV, c. 60. Migne, XX, 1110, seqq. — 3. L. de Cura gerenda pro mortuis, c. IV, n. 6, t. VI, col. 519. — 4. L. de Cura, etc., c. II. — 5. S., l. c., art. 11. Huc pertinet usus antiquus, in quibusdam regionibus existens, acervum lapidum in conicam formam illis locis collocandi, ubi mortem aliquis incurrerit : qui acervus celtice *cairn* appellatur.

**8. — Scholion.** — Ceterum, quod sepultura corporis humani res sit bona, constat ex hoc quod tanquam opus misericordiae in Scriptura commendatur [1]; unde et laudatur Tobias mortuos sepeliens [2], et similiter illi qui Dominum Nostrum [3] ac Stephanum [4] sepelierunt. Idipsum evincitur exemplis patriarcharum aliorumque iustorum, qui de sua suorumque sepultura solliciti extiterunt [5]. Quinimmo Dominus factum mulieris ipsum ungentis commendavit, dicens [6]: *Opus bonum operata est in me:... mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*

**9. — Quaestio II.** — *Utrum solutio debiti quod defunctus adhuc vivens contraxerit ipsi in purgatorio prosit?*

*Resp.* Proponitur hoc dubium, ob nonnullas revelationes, in quibus exhibentur defunctorum animae tamdiu torqueri, donec earum debitum plene solvatur. — Cui tamen respondendum est, huiusmodi solutionem, secundum se, nec prodesse nec obesse defunctis, quia Deus neminem in purgatorio detinet, nisi ob culpam ab eo commissam. Si ergo moriens, concludit Sylvius [7], quantum in se erat, curaverat fieri restitutionem, ita ut non peccaverit in non restituendo per se, non punietur ibi hac de causa, etiamsi heredes non restituant; si autem negligens fuerat, pro quantitate suae negligentiae punietur, sive heredes cito restituant, sive tarde. Ceterum, quae citari solent in contrarium revelationes non tales sunt ut fidem mereantur [8].

**10. — Quaestio III.** — *Utrum perceptio sanctissimae Eucharistiae defunctis prosit?*

*Resp.* Non prodest ex opere operato, seu in quantum

1. 2 Reg., II, 5. — 2. Tob., XII, 12. — 3. Io, XIX. 39, seq. — 4. Act., VIII, 2. — 5. Gen., XXIII, XLIX, L, etc. — 6. Matth. XXVI, 10, 12. — 7. H. l. — 8. Cf. Bellarmin., l. II de Purgat., c. 16.

est sacramentum: sic enim non potest unus sacramentum pro alio accipere, *quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii,* ait Angelicus [1]. Prodest tamen ex opere operantis, id est tum ratione operum poenalium quas secumferre potest, ut est confessio, ieiunium, etc.; tum ratione fervoris charitatis quae proprius effectus est huius sacramenti, et ex qua prodeunt ardentiores orationes et fervidiora desideria, ob quae Deus facile movetur ad liberandas animas in purgatorio detentas. Quocirca reprobanda non est praxis apud fideles vigens sacram Synaxim pro defunctis suscipiendi, quippe quae praxis dum vivos aedificat, defunctis solamen adfert, ut etiam deduci potest ex condemnato libro Theophili Raynaudi: *Error popularis de communione pro mortuis* [2], in quo praxis ista universaliter et indiscriminatim impugnabatur [3].

Articulus VII. — *Utrum suffragia pro speciali aliquo defuncto facta, illi magis quam ceteris prosint.*

**1. — Sententia non probanda.** — Fuerunt nonnulli, ex veteribus theologis, quos inter, ut refert Angelicus [4], adnumeratur Praepositivus, Ecclesiae Parisiensis Cancellarius [5], qui posuerunt suffragia pro uno defuncto specialiter facta, illi non plus prodesse quam aliis, sed magis illi qui dignior existit: quod quidem illustrabant exemplo tum candelae, divitem pro quo forsan accenditur, non magis quam alium quemcumque collustrantis, imo potius efficacius illuminantis illum qui oculos saniores

1. S., Quaest. XIII, art. 2, ad 2m. — 2. 18 Dec., 1646. — 3. Cf. tr. de SS.ma Eucharistia, Quaest, LXXIX, art. 7, prop. II, p. 217, 218. — 4. S., Quaest. LXXI, art. 12. — 5. Ab Alberico dictus vir admirabilis; mortuus est circa a. 1209. Ex eius Summa theologica, cui hic alludit S. Thomas, pauca tantum folia, poenitentiam respicientia, impressa sunt, quae inveniuntur in calce ad Poenitentiale Theodori. Migne, Dict. de Patrol., t. V.

habeat, tum lectionis, quae non magis ei prodest pro quo fit, quam aliis una cum ipso audientibus, immo forsan iis utilior evadit, si nempe sint intellectu fortiores: exhinc igitur inferebant, suffragia pro uno defuncto specialiter persoluta non illi, sed dignioribus prodesse. — Obiicienti vero, ex hoc sequi vanam esse Ecclesiae ordinationem, dum suffragia pro aliquibus specialiter instituit, respondebant Ecclesiae finem in his suffragiis instituendis esse ut fidelium devotionem promoveat, cum hi pro suis propinquis ferventius quam pro extraneis orare consueverint.

2. — **Refellitur.** — Sed isti theologi non considerabant, in suffragiis, nisi valorem aut fructum qui eisdem accrescit ex virtute *charitatis,* praetermisso illo valore qui suffragiis adnectitur ex eo quod per *intentionem* unius alteri applicantur: quod quidem perperam omnino fit.

Revera charitas, cuius proprium est facere omnia communia, animum fidelem impellit ut non modo de propriis, sed etiam de alienis bonis gaudeat. In quo quidem gaudio consistit, in hac vita, augmentum charitatis ipsiusmet; in altera vero vita, in qua non est amplius locus acquirendae gratiae, fundatur diminutio poenae: quo enim magis gaudet quis de bono, eo minus mala ingruentia persentiscit. Ex hac igitur parte verum est dicere quod qui plus habet de charitate, valorem suffragiorum magis percipit, non quidem directe, quasi ipsa illum suffragia afficiant, sed indirecte, quia sua eum conditio movet, ut viso alieno bono magis gaudeat. — Sed alius suffragiis valor seu fructus adnectitur, et quidem directus, ex eo scilicet proveniens, quod per intentionem unius, alteri specialiter applicatur. Et quidem, attento hoc valore, dicimus

3. — **PROP. — Suffragia specialiter pro uno defuncto facta, illi magis quam ceteris prosunt.**

4. — **Prob.** — Quando per intentionem facientis, suffragium aliquod speciali defuncto applicatur, transfertur in eum satisfactio suffragio adnexa. Porro, cum de ratione satisfactionis sit ut ad poenae remissionem ordinetur, hinc suffragiorum in alios translatio hunc proprium habet effectum, ut istis et istis solis valeant directe huiusmodi suffragia ad poenae remissionem: sic quippe debiti solutio, ex qua parte est formaliter solutio, debitori soli, non autem ceteris valet. — Cuius quidem rei et in iustitia humana, quae aliunde iustitiae divinae vestigium quoddam existit, exemplum eloquens praebetur: siquidem debitum pro aliquo solvens eum tantum, non autem ceteros, a debitis absolvit.

5. — **Proponitur difficultas.** — Equidem non me latet aliquos, non minoris subsellii theologos, quos inter Caietanum [1], Navarrum [2], aliosque, existimare defunctum, qui in hac vita neglexerit tum pro suis peccatis satisfacere, tum pro mortuis orare indulgentiasque lucrari, indignum existere cui suffragia applicentur. — Quam quidem sententiam fulciri autumant auctoritatibus tum S. Augustini, tum S. Gregorii Magni. Ille siquidem ait [3]: *Quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantum quibus dum vivunt, comparatur ut prosint;* — hic vero inquit [4]: *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.* Porro, qui negligit pro propriis reatibus satisfacere et pro mortuis charitativa subsidia fundere, nec sibi comparat, nec bonis actibus promeretur, ut aliorum sibi suffragia applicentur.

1. Tract XVI de Indulg., quaest. 5 vers. quoad tertium. — 2. De Indulg. notab. 22, n. 42. — 3. Lib. de cura gerenda pro mortuis, cap. ult., relatus in Cap. *Non aestimemus*, 13, quaest. 2. — 4. Lib. IV Dialog., C. 39.

**6. — Resolvitur.** — At Angelicus Doctor huiusmodi ratiocinii vim iam praeoccupaverat et facile exploserat. Obiiciens sibi [1] litteram Magistri Sententiarum, ubi ille dicit, secundum hoc suffragia mortuis prodesse, quia *dum viverent hic, sibi ut postea possent prodesse meruerunt,* unde concludendum videbatur, suffragia defunctis prodesse iuxta quantitatem eorum praecedentis meriti, — *istud meritum,* explicat Angelicus, *est conditionale; hoc enim modo sibi meruerunt quod sibi prodessent, si pro eis fierent, quod nihil aliud fuit quam facere se habiles ad recipiendum: unde patet quod non directe meruerunt illud iuvamen suffragiorum, sed per merita praecedentia se habilitaverunt ut fructum suffragiorum susciperent:* quod sibivult mortuos, dum adhuc vita fungerentur, per sua merita gratiam comparasse, qua idonei redderentur aliorum suffragia percipere, si quando illa in se transferrentur.

**7. — Sensus verborum SS. Augustini et Gregorii.** — S. Augustinus igitur et S. Gregorius nihil aliud requirunt, ad hoc ut defunctus particeps fiat suffragiorum quae pro illo specialiter fiunt, nisi ut ille christiane vixerit et in catholica societate formaliter decesserit. Qua in re haec habet Marcus M. Struggl O. S. M. [2]: *Nec obstat quod S. Augustinus... dicat de suffragiis pro mortuis:* NON PRO QUIBUS FIUNT... *etc.; nam S. Augustinus loquitur de damnatis, qui sunt incapaces suffragiorum. Item S. Augustinus potest intelligi de suffragiis aut Indulgentiis pro defunctis generaliter oblatis, quae a Deo ex iusto iudicio potius acceptantur pro una anima in purgatorio, quam pro alia, seu non aequaliter pro omnibus* [3].

Quod si specialia ac certi generis merita ex parte

1. Loc. cit., ad 2m. — 2. Theol. Mor., tract. XIII, Quaest. I, art. 3, n. 33. — 3. Cf. S. Thom. Supplem., q. LXXI, a. 14, ad 1m

defunctorum requirerentur ut ipsis vivorum specialia suffragia prosint, profecto requirerentur etiam ut ipsis aliquid de generalibus suffragiis applicari valeat; quibus meritis deficientibus, nulla ratione animae praefatae iuvari poterunt, quod aperte contra Ecclesiae sensum statuitur.

**8. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti demum, ex hac doctrina sequi, divites melioris esse conditionis quam pauperes, contra Domini Nostri sententiam, pauperes magis beatificantis [1], respondet idem Angelicus Doctor, *quod nihil prohibet divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis quam pauperes, sicut quantum ad expiationem poenae; sed hoc quasi nihil est, comparatum possessioni regni caelorum, in qua pauperes melioris conditionis* (existunt) [2].

**9. — Conclusio.** — Ergo retinendum est suffragia pro aliquo defuncto particulariter oblata, illi speciali modo proficere, pro quo offeruntur. Quod quidem et Ecclesiae praxi consonum est, et communi fidelium sensui congruit: istis nimirum, preces oblationesque pro suis propinquis specialiter offerentibus, illa vero oblationes speciales accipiente et devotionis sensum ex quo prodeunt confovente. Nec parvi facienda est haec de suffragiorum fructu determinatis defunctis applicando persuasio: non enim cuivis exiguo solamini vertitur, scire se defuntis amicis et propinquis, orationum et indulgentiarum suffragiis, aliqua ratione opitulari posse.

**10. — Communia suffragia.** — Et haec quidem de specialibus suffragiis dicta esse volo: quod enim ad communium suffragiorum applicationem attinet, illa alii legi subesse non improbabile est: non enim reputandum est

1. Luc., VI, 20. — 2. Ibid., art. 12, ad 3m.

quodcumque suffragium generaliter persolutum pro animabus in purgatorio detentis, singulis aequaliter prodesse; sed una altera plus minusve de illo accipere reputanda est, secundum aequam Dei dispensationem. Ex quo enim talia suffragia generaliter fiunt, iam determinata intentione carent, et soli Deo relinquuntur determinanda, cuius quidem determinationis motivum nihil prohibet esse illudmet quod pro specialium suffragiorum applicatione requiri modo negabatur, nempe certi generis in hac vita merita: cuiusmodi esset si quis, in vita, charitativa pro defunctis suffragia fundere sategerit, si diligens fuerit in indulgentiis pro semetipso vel pro aliis lucrandis, et maxime si devotum se Beatae Virgini exhibuerit: effatum est enim universaliter adprobatum, Mariae clientes citius e purgatorii igne liberari.

Nec inconvenit ut hoc adseratur, quia si, ex una quidem parte, specialibus suffragiis aliquis defraudari non potest quin iniuria quodammodo ipsi irrogetur, ius enim quoddam ad ipsa iam possidere videtur; ex altera tamen parte, dum suffragia manent generalia, nullius ius laeditur, si speciali defuncto non applicentur, quandoquidem nullus speciatim ius aliquod habet ad suffragia, quoadusque haec generalia maneant; denique, tales, omnium consensu, esse videntur assignatae normae, quibus prudenter credi possit Deum duci in generalium suffragiorum distributione.

**11. — Scholion.** — Et hoc quidem sensu intelligi possunt verba S. Ioannis Damasceni[1]: *Deus pro sua iustitia largiter remetietur inopi; sua sapientia ea quae deerant supplebit; potentia sua robustum franget et infirmum roborabit; pro sua tandem bonitate, opus manuum suarum servabit,* ὡς οὖν δίκαιος, ἀντιμετρήσοι τῷ ἀπόρῳ τὰ εὔπορα· ὡς δὲ σοφὸς, τὴν τῶν

1. De iis qui in fide dormierunt, n. 25, t. I, p. 594.

ὑστερημάτον καταλλαγὴν πραγματεύσεται· ὡς δυνατὸς δε, τὸν ἰσχυρὸν κατεάξει, καὶ τὸ ἀσθενὲς ἐνισχύσει· ὡς δὲ ἀγαθὸς, τὸ τῶν οἰκείων χειρῶν διασώσει πλαστούργημα. In huiusmodi negotiatione, observat Angelicus [1], hoc attenditur, ut quod deest uni, Deus alteri suppleat.

Attamen falso existimaret quis, cum thesaurus Ecclesiae, ex Christi et Sanctorum meritis coalescens, sit infinitus, Deum inde pro lubitu suo, nemine orante, interdum haurire quantum necesse sit pro alicuius animae liberatione; esto enim hoc, absolute loquendo, possit facere, tamen cum stabilierit ut in operationibus suis efficientia causarum secundarum locum habeat, hinc dicendus est Deus bona ex illo thesauro animabus non applicare, nisi specialibus aut saltem generalibus suffragiis pro illis actu persolutis.

## ARTICULUS VIII. — *Utrum suffragia uni animae specialiter applicata infallibiliter ipsi prosint.*

1. — **Ratio articuli.** — Ostenso iam quod suffragia uni animae specialiter applicata ipsi de se magis quam ceteris prosint, sequitur ut inquiratur de modo quo huiuscemodi suffragia defunctis prosunt, in quo quidem non una semper fuit theologorum mens, aliis cum Durando, Caietano, Petro Soto, Melchiore Cano, etc., negantibus talibus suffragiis infallibilem effectum; aliis, quos inter Suarez, Dom. Sotus, etc., ultro fatentibus applicationem suffragiorum relate ad specialem defunctum esse infallibilem, licet forsan mensura huius applicationis nos lateat, de qua re in subsequenti articulo agetur.

2. — PROP. — **Applicatio suffragiorum defunctis facta, quantum est de se, id est attenta virtute chari-**

1. S., Quaest. LXXI, art. 14. ad 2m.

**tatis et clavium potestate, infallibilem sortitur effectum.**

**3. — Prob.** — Revera, sanctorum communio non solos fideles viventes complectitur, sed extenditur etiam, quod attinet ad vinculum charitatis, ad animas in purgatorio. Ergo quemadmodum nostris satisfactionibus fideles viventes, ex hac parte, adiuvare possumus, ita etiam defunctorum animabus suffragari valemus, quantum, inquam, pertinet ad charitatis vinculum, quidquid sit de intentione, de qua re in subsecuturo articulo agetur.

Idipsum evincunt verba Christi ad Petrum, quibus illi regni caelorum claves confert, simulque promittit ut quodcumque soluturus esset super terram, solutum foret et in caelis [1]: ubi non de absolutione, sed de solutione, Christus signanter loquitur, quae vox, utpote magis generica, stare potest tum pro absolutione iuridica auctoritate facta, tum pro solutione auxiliativa, de qua modo agimus. Hisce igitur verbis spondet Christus rati habendum esse in divinae iustitiae foro, quidquid ipse Petrus et cum eo Pontifices Romani, sive de culpis, sive de poenis culpis debitis, in terra solverint.

**4. — Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat quod adversarii obtrudunt, Christi nempe verba valere tantummodo pro vivis, cum dixerit: *Quodcumque solveris* SUPER TERRAM, defuncti autem non super terram aut in terra, sed sub terra sint, ideoque indulgentiae pro istis acquisitae et generaliter omnia suffragia in eorum gratiam persoluta, tantummodo valere per modum cuiusdam impetrationis, ex libera Dei acceptatione; — non obstat, inquam, haec ratio: quia, ut optime notant plures Doctores, ly *super terram* referri debet ad solutionis actum, non autem ad personas solvendas; ita ut sensus sit, in

1. Matth., XVI, 19.

caelo illudmet rati haberi, quod Petrus, in terra constitutus, solverit aut ligaverit; sicut etiam ly *in caelis solvi* aut *ligari* refertur, non iam ad caelites ligandos aut utcumque solvendos, sed proprie ad solvendi aut ligandi actum, in caelo utique rati habendum.

5. — **Confirmatur.** — Idipsum confirmatur verbis Leonis X [1], qui testatur indulgentias omnibus prodesse, scilicet vivis per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii. Atqui effatum est catholice certum, indulgentias vivis concessas ipsis infallibiliter prodesse, dummodo omnes debitae conditiones impleantur: quidni defunctis proderunt?

Equidem vix possunt explicitiora verba desiderari. Nimirum declarat Pontifex se, in virtute clavium, posse non modo culpam in poenitentiae sacramento, sed etiam poenam remittere, *apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi et sanctorum dispensando, et per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo vel per modum suffragii illam transferendo.* Comparari ergo valent suffragia vel indulgentiae quae auctoritate clavium defunctis applicantur indulgentiis vivis concessis, scilicet quantum ad applicationis efficaciam, etsi modus applicationis diversus sit: his quippe per modum absolutionis concedendo, illis vero per modum suffragii transferendo, Pontifex indulgentiam impertitur.

6. — **Verborum Leonis X fusior explicatio.** — Quae sequuntur Leonis X verba expressius adhuc rem declarant. Revera, dicitur *omnes, tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae Indulgentiae aequivalet;*

1. *In Decretali ad Caiet. contra Lutherum.* Invenitur in Comment. Card. Caiet., in 3, Quaest. XLVIII, art. 5.

ubi profecto defuncti vivis aequiparantur, quantum ad infallibilem indulgentiarum effectum, utique attento Ecclesiae foro. — Quod autem hic de indulgentiis auctoritate Ecclesiae concessis dicitur, hoc et de suffragiis quibuscumque, etiam privata auctoritate factis, pari ratione valet: non enim ad hoc clavium potestas requiritur, ut indulgentia translata efficaciam sortiatur, sed ut thesaurus ipse, cuius dispensatio ad Ecclesiam pertinet, actu dispensetur, et quidem, in casu, dispensetur translative; nam indulgentia sic translata, non ex vi clavium, sed ex naturae suae indole, efficaciam sortitur, seu ex vi meritorum Christi et Sanctorum quae applicantur: unde, sicut clavium potestas non requiritur nisi ad translationem valide faciendam, non autem ut vim intrinsecam indulgentiae translatae adiiciat, ita suffragia, privata auctoritate facta et in defunctos translata, nativam suam efficaciam infallibiliter sortiuntur.

7. — **Summorum Pontificum agendi ratio.** — Caeterum non in levi habenda sunt verba quibus Summi Pontifices translationem huiusmodi suffragiorum in defunctos declarare consueverunt. Loquentes enim de altari privilegiato, in suis Brevibus concedere solent, ut quandocumque sacerdos in tali altari *celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; et Domini Nostri,* etc., *suffragantibus meritis, a purgatorii poenis liberentur:* quibus profecto verbis determinatae animae liberatio repromittitur. Sic Innocentius XI omnibus sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, in quocumque altari celebrantibus, concedit *liberationem animae pro qua sacrificium offerunt* [1].

Item Benedictus XIII concedens, per suum Breve, 20

1. Ferraris, Biblioth. Missae Sacrif., art. XIV, n. 21.

Aug. 1724, altare privilegiatum quotidianum ac perpetuum Ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus totius orbis catholici, concedit ac indulget, *ut quandocumque sacerdos aliquis... ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem Domini Nostri Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur* [1]. Eadem habet Pius VI in suo Brevi, 3 Aug. 1779.

Ex quibus perspicue eruitur id pro quo contendimus, videlicet suffragia illis infallibiliter prodesse, pro quibus determinata intentione fiunt, illumque minime deludi, qui sentit eos, pro quibus ista suffragia offeruntur, indubitanter iuvari: quaecumque demum sit huius iuvaminis mensura, de quo mox ex professo tractabimus.

8. — **Corollaria.** — Ex hucusque deductis, sequentia notatu dignissima circa suffragiorum valorem in defunctos translatorum consequuntur.

I. Utique verum est quod superius dictum est, scilicet attento valore suffragiorum secundum virtutem charitatis unientis membra Ecclesiae, suffragia ipsa pro multis facta, singulis tantum prodesse ac si pro uno solummodo fierent, quia charitas non minuitur, immo augetur ex eo quod eius effectus in multos dividitur, sicut gaudium quanto pluribus est commune, tanto maius fit, unde de uno bono facto non minus laetantur multi simul in purgatorio quam unus. Hoc tamen non obstante, si suffragiorum valor consideretur in quantum sunt satisfactiones quaedam per facientis intentionem in defunctos translatae, quo quidem adspectu illa nos in praesentiarum considerare decet, pluris valet ad aliquem liberandum suffragium pro ipso specialiter factum, quam si pro eo et

1. Ferraris, ibid. alt. priv. 11.

simul pro multis aliis communiter fiat: effectus enim talium suffragiorum, ex iustitia divina, inter eos pro quibus fiunt, dividitur; et cum ista suffragia finitam habeant efficaciam, in multos distributa, minus singulis prosunt, quam prodessent si pro uno tantum fierent [1].

II. Quantumvis in suffragiorum amplexu quamplurimos operosa charitas complecti studeat, hoc tamen sine uniuscuiusque detrimento fieri nequit, secus ac in lectione accidere comperimus, quae ex eo quod fit pro pluribus, nihil singulis deperit: lectio enim, sive doctrina, sicut et omnis alia actio, effectum habet secundum recipientium dispositionem, unde ex eorum maiori numero nihil singulis subtrahitur; suffragia vero valent per modum solutionis debiti, quae solutio particularibus personis determinata manet.

III. Ecclesia sapientissime instituit ut Missa et aliae orationes pro quibusdam singulariter fiant, eo scilicet fine, ut ipsis particulariter prosint. Quod si in missa quae pro uno defuncto specialiter offertur, aliae quoque orationes pro defunctis communiter adiunguntur, hoc ideo est, ut suffragia pro illo uno particulariter oblata, aliis quoque ex virtute charitatis ad consolationem prosint, non autem ut satisfactio illius particularis suffragii determinetur ad alios principaliter [2].

IV. Demum ex praefata doctrina consequitur, animam pro qua, praeter communia suffragia, alia quoque specialia fiunt, velociorem consequi absolutionem, quam illam pro qua communia tantummodo suffragia persolvuntur: quae tamen absolutio nequit dici plenior aut perfectior, quia in fine, utraque ab omni poena penitus liberabitur [3].

1. S. Thom. Suppl., Quaest. LXXI, art. 13. — 2. S. Thom., ibid. ad 2m. — 3. Ibid., art. 14.

### Articulus IX. — *Utrum animae in purgatorio detentae a nobis debeant invocari.*

**1. — Sensus quaestionis.** — Ante responsionem, sedulo distinguenda est oratio quam animae in purgatorio pro nobis fundere possunt, ab earundem invocatione: nimirum, hic non vertitur in dubium utrum animae inibi existentes pro nobis possint orare aut revera interdum orent, sed utrum a nobis invocari debeant.

**2. — Animae in purgatorio orant pro nobis.** — Re quidem vera, quod animae in purgatorio pro nobis orent, modo saltem generali, ambigendum non est: quamvis enim in particulari nesciant quae apud nos agantur, in generali tamen probe cognoscunt multas esse nostras necessitates, de quibus, ob suam erga nos charitatem, sollicitas sese exhibent, maxime cum affectum, quem ante mortem habebant, quo ad orandum pro suis amicis permovebantur, non deposuerint.

**3. — Ratio non probanda.** — Notandum tamen hic est, non ita recte, ad hoc conficiendum, a quibusdam induci exemplum divitis epulonis qui, cum in maximis damnatorum tormentis existeret, sollicitum se exhibuit pro fratrum salute, licet vera charitate destitueretur [1]: quasi inde liceat concludi, multo magis animas sanctas in purgatoris existentes, cum summa charitate flagrent, pro nobis esse sollicitas: non enim damnatus ille haec petivit ex dilectione etiam naturali erga fratres suos, sed ex servili timore, ne videlicet sua ipsius damnatio ex fratrum damnatione augeretur, quibuscum concors fuerat in vitiis [2]. Igitur propria ratio cur animae in purgatorio pro nobis

1. Luc., XVI, 27, 28. — 2. Cf. Dion. Cart. in h. S. Lucae locum Cf. etiam quae diximus supra, Quaest. IV, art. 5.

orant est, quia nobiscum charitate coniunguntur et aliquo modo, saltem communi, nostras necessitates agnoscunt. — At si de invocatione agatur, aliter decernendum est, videlicet

4. — PROP. — **Regulariter loquendo, animae in purgatorio detentae a nobis non sunt invocandae.**

5. — **Prob.** — Huius rei ratio est, primo, quia illae generaliter nostras orationes non cognoscunt: nam etsi dicatur, cum S. Thoma [1], eas facta viventium cognoscere absolute posse vel per animas eorum qui hinc ad eas accedunt, vel per angelos, vel etiam Spiritu Dei revelante, tamen duplex iste ultimus modus est extraordinarius, ut patet, et prior non sufficit ut animae plenam habeant cognitionem de omnibus orationibus ad se fusis. *Superfluum videtur,* ait Card. Bellarminus [2], *ab eis* (animabus in purgatorio) *ordinarie petere ut pro nobis orent; quia non possunt ordinarie cognoscere quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt nos in multis periculis versari, sicut nos de illis solum in genere scimus eas valde torqueri: nam nec rebus nostris intersunt...; nec in Deo orationes nostras vident, cum non sint beatae; nec est verisimile eis revelari ordinarie quid agamus vel petamus* [3]. — Sed maxime attendendum est quod, etsi huiusmodi animae sint impeccabiles, tamen cum adhuc poenalitatibus subiaceant et nondum fruantur visione beatifica, hinc non sunt in statu superiori simpliciter, seu *non sunt in statu orandi,* ait Angelicus [4], *sed magis ut oretur pro eis.*

1. 1, Quaest. LXXXIX, art. 8, ad 1m. — 2. L. II, de Purgat. c. 15, col. 1951. — 3. Perperam ergo a Noldin (De primo Dec. praec. n. 141, p. 152) inducitur Bellarminus tanquam fautor sententiae tenentis animas in purgatorio detentas a nobis posse invocari. — 4. 2 2ae, Quaest. LXXXIII, art. 11, ad 3m.

**6. — Comparatio inter animas in purgatorio et animas in Limbo Patrum.** — Ad hoc plenius intelligendum, sciendum est animas in purgatorio secundum quid in eadem conditione esse ac erant animae Patrum in Limbo, secundum quid vero in diversa. Primo illae, sicut istae, charitate flagrant erga homines : at differentia est quod in purgatorio animae adhuc poenalitatibus subiacent, quibus vacabant animae in Limbo ; ideoque hae quidem, utpote nobis simpliciter superiores, erant in statu orandi, unde de earum oratione fit expressa mentio iuxta illud [1] : *Hic est fratrum amator et populi Israël; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei* [2]; illae vero, licet pro nobis revera actu orent communiter, non tamen sunt formaliter in statu orandi.

Sed quia animae in purgatorio, sicut olim animae in Limbo, visione divinae Essentiae carent, qua regulariter nostras preces cognoscere possint, ideo nec istae fuerunt nec illae sunt in statu exaudiendi preces nostras, seu non sunt a nobis invocandae ; sed regulariter invocandi sunt tantummodo sancti cum Deo in paradiso regnantes : unde nec Ieremias dicitur preces audisse, sed tantum fudisse.

**7. — Solvitur difficultas.** — In dialogis S. Gregorii [3], legitur de Paschasio quod post mortem miraculum fecit, daemoniacum sanans, qui eius dalmaticam feretro superpositam tetigerat; et tamen revelatum est beato Germano Capuano episcopo illum in purgatorio esse. Ergo potest oratio dirigi ad animas in purgatorio existentes.

*Resp.* Quidquid sit de huius facti authenticitate, dicendum est cum S. Thoma, quod in miraculis praecipue attenditur fides et devotio orantis; unde etiam Dominus mulieri, quam sanavit, dixit [4] : *Fides tua te salvam fecit.*

1. 2 Mach., XV, 14. — 2. Cf. Ier., XV, 1. — 3. Lib. IV, cap 40 et 41. — 4. Matth., IX, 22.

Porro ideo Paschasius ille orabatur, quia propter excellentiam meritorum, credebatur in patria esse; talis vero oratio tunc exaudita est propter fidem orantium, *ut vita illius approbaretur, non quod ille pro aliis in purgatorio existens oraret* [1].

8. — **Scholion.** — Diximus animas in purgatorio *regulariter* invocari non debere: cum enim animae illae possint, ut diximus, vel ab amicis, vel ab angelis, vel a Deo res nostras cognoscere, ideo, quemadmodum etiam absentes sancti a nobis interdum cum fructu invocantur, ideo et huiusmodi animae interdum possunt sic invocari: sed hoc est quasi extra regulam, nam videmus quod Ecclesia orationes quidem *pro* animabus in purgatorio valde confovet, non autem *ad* eas. Unde expresse dicit Angelicus [2]: *Illi qui sunt in hoc mundo aut in purgatorio, nondum fruuntur visione Verbi, ut possint cognoscere ea quae nos cogitamus vel dicimus; et ideo eorum suffragia non imploramus orando.*

9. — **Conclusio.** — Quae cum ita sint, possunt sequentia ordinatim definiri: α) animae damnatorum nec orant, nec preces exaudiunt; β) animae in purgatorio orant, sed non exaudiunt, saltem regulariter loquendo; γ) animae in Limbo erant in statu orandi, non exaudiendi; δ) animae in caelo sunt in statu orandi et exaudiendi.

His positis, quaerenti utrum sit reprobanda vel confovenda praxis aliquorum fidelium qui preces ad animas in purgatorio dirigunt, — *respondetur* illos potius esse inducendos ut generalem Ecclesiae praxim sequentes, orationes fundant ad sanctos in caelo regnantes, quorum multitudo et varietas sufficere debet pro explenda unius-

1 4, Dist. XV, Quaest. IV, art. 5, sol. II, ad 3m. — 2. 2 2ae, Quaest. LXXXIII, art. 4, ad 3m.

cuiusque devotione; quantum vero ad animas in purgatorio, pro ipsis, non ad ipsas exorent.

**10. — Scholion.** — Fatendum tamen communiorem fidelium praxim non in eo consistere ut directe animas in purgatorio orent, sed potius ut pro illis specialia Deo offerant suffragia, ad aliquem favorem obtinendum, cum promissione ampliorum suffragiorum, si gratia exoptata revera concessa fuerit. Dicenda autem est huiusmodi praxis, sic intellecta, omnino legitima et etiam commendanda, utpote quae charitatis simul et devotionis exercitium magnopere confovet.

## ARTICULUS X. — *Utrum animae in purgatorio detentae certae sint de sua salute.*

**1. — Ratio articuli.** — Quod animae in purgatorio, a parte rei, securitatem de sua salute habeant, ita ut a periculo peccandi eximantur et ad gloriam sint infallibiliter perventurae, dubitari non potest, dicente Domino [1]: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* et rursus [2]: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae:* porro huiusmodi animae utique ad finem usque perseveraverunt. — At in dubium hic vertitur, utrum huiusmodi animae certo sciant se salvas esse: quod dubium ex hoc oritur, quod homo adhuc in praesenti vita constitutus nequit per certitudinem diiudicare utrum gratiam habeat, necne, iuxta illud [3]: *Nemo scit utrum amore an odio dignus sit:* atqui in purgatorio anima, quantum ad hoc, non videtur esse melioris conditionis.

**2. Errores.** — Circa rem hanc errasse perhibetur Lutherus, qui in propositione trigesima octava, ait [4]: *Ani-*

1. Matth., X, 22. — 2. Apoc., II, 10. — 3. Eccle., IX, 1. — 4. Leo X, Bulla *Exsurge, Domine,* 15 Iun., 1520. D.-B., n. 778.

*mae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi vel augendae charitatis.* Eumdem vero errorem conatus est instaurare Michael du Bay (Baius) qui, cum posuisset nullum peccatum ex natura sua veniale esse, sed omne peccatum mereri poenam aeternam [1], ulterius intulit quod, licet poenam hanc Deus interdum remittat, tamen, quod semper id faciat, certo principio non constat: ideoque possunt animae in purgatorio dubitare, an Deus rigore iustitiae cum eis sit processurus [2].

**3 — PROP. — Animae in purgatorio certo sciunt se salvas esse.**

**4. — Prob.** — Ratio autem est, quia de fide est impiorum animas statim post mortem descendere ad infernum damnatorum. Atqui animae in purgatorio sciunt se illuc non descendisse, cum nec blasphement Deum, nec illum odio habeant, nec de sua salute desperent, quod faciunt damnati. Aliunde sciunt huiusmodi animae se iam esse iudicatas. Ergo probe experiuntur se nunquam fore damnandas [3].

**5. — Quaerenti** quomodo sanctae illae animae hanc securitatem accipiant, — *responderi* potest hoc esse, non solum per experientiam proprii status, qua se vident patienter tolerare poenas purgatorii, spem regni caelestis habere, et in Christo quiescere, sed maxime ex Dei iudicis revelatione: cum enim omne iudicium eo fine instituatur, ut sententia reo innotescat, hinc animae quas Christus

1. Prop. 20 inter 79, a S. Pio V, 1 Oct., 1567, damnatas. — 2. L. de Meritis operum. — 3. Perperam igitur in dubium revocat Hermannus Schell, utrum anima in purgatorio clare deprehendat exitum finalem suae in illo loco commorationis. Vide eius verba supra, Quaest. II, art. 4, n. 13, p. 109, n. 1.

iudicat purgatorio dignas, ab eius ore notitiam huius sententiae accipere dicendae sunt.

6. — **Differentia inter cognitionem animae de suo statu in praesenti vita et post mortem.** — Ex hoc patet differentia, ex hoc capite, inter statum animae in praesenti vita et post mortem : nimirum, cum tres sint modi cognoscendi aliquid, scilicet per revelationem, per eius rei praesentiam in anima, et per illius effectus, possumus quidem in praesenti vita coniecturaliter inferre, per aliqua signa, utrum in Dei gratia simus, verbi gratia, cum percipimus nos delectari in Deo et contemnere res mundanas, et cum aliunde non sumus nobis conscii alicuius peccati mortalis. At huiusmodi cognitio, ait Angelicus [1], est imperfecta ; unde citra divinam revelationem, certitudinaliter scire non possumus nos esse in gratia Dei, eo quod *certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit diudicari per proprium principium ;... principium autem gratiae et obiectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus ;... et ideo eius praesentia in nobis et absentia per certitudinem cognosci non potest.* — At anima post mortem in alia conditione est : nimirum, si sit omnino sancta, intuitive cognoscit se esse salvam, scilicet per Dei praesentiam in seipsa ; si autem reproba sit aut ad purgatorium condemnata, idipsum cognoscit tum per iudicis sententiam, tum per effectus, ut diximus; unde in libro Ecclesiastae, post citata verba, legitur [2] : *Omnia in futurum servantur incerta.*

7. — **Scholia.** — I. Haec autem certitudo summum bonum adipiscendi, etsi poenam ignis in animabus sanctis non minuat, quae poena proinde maxima esse potest, mitigat tamen earum dolorem ex negata visione beatifica

1. 1 2ae, Quaest. CXII, art. 5. — 2. Vers. 2.

provenientem, in quo quidem formaliter distinguitur earum poena a poena damnatorum; illam vero non totaliter tollit; quinimmo dici potest quod tanto maior est ista poena, quanto ad terminum suae captivitatis accedunt; quandoquidem, ut ait S. Gregorius [1], *desideria dilata crescunt:* de ratione autem desiderii est, ut torqueat desiderantem.

II. Ulterius notandum est, certitudinem hanc non tollere, in animabus sanctis, spem theologicam de Deo aliquando possidendo, cum in illum tendant tanquam in obiectum suae beatitudinis futurum et arduum, seu difficile adeptu: spes enim addit supra desiderium quemdam conatum animi ad consequendum bonum arduum [2]. Quinimmo dici potest animas illas tanto fortius sperare, quanto securius, cum certitudo consequendi bonum speratum non sit contra rationem spei, sicut patet de sanctis patribus in limbo, licet pro ipsis quidquam spei deesset, scilicet arduitas rei obtinendae [3].

8. — **Solvuntur difficultates.** — I. Qui certus est de salute aeterna non perturbatur: dicitur enim [4]: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* Atqui de animabus in purgatorio Ecclesia recitat sequentia verba [5]: *Anima mea turbata est valde.* Ergo animae in purgatorio certae non sunt de sua aeterna salute.

*Respondet* Sylvius [6], ex eo quod Ecclesia, in officio defunctorum aliquo psalmo utitur, non sequi quod omnia et singula illius psalmi verba intelligi debeant de defunctis, sed hoc fit propter unum alterumve versiculum eis convenientem, quemadmodum propter haec verba [7]: *Hodie salus domui huic facta est,* in dedicatione Ecclesiae legi-

1. Homil. XXV in Evangel. — 2. 1 2ae, Quaest. XXV, art. 1. — 3. Cf. tr. de Incarnatione, Vol. I, Quaest. VII, art. 4, p. 317. — 4. Prov., XII, 21. — 5. Ps. VI 4. — 6. Supplem., Quaest. C, art. 6, q. — 7. XIX, 9.

tur evangelium de Zachaeo. — Quod autem ex Proverbiis adducitur, significat iustum, quidquid ei acciderit, aequo animo laturum, quo modo etiam animae in purgatorio degentes patienter et cum pace poenas sibi illatas sufferunt.

II. In officio pro defunctis, Ecclesia, ex defuncti persona, ita Deum orat: *Dum veneris iudicare, noli me condemnare; miserere mei dum veneris in novissimo die; libera me de morte aeterna, in die illa tremenda,* etc.

*Respondet* idem Sylvius [1], Ecclesiam, in officio defunctorum, simul nobis viventibus ob oculos ultimum diem ponere, ob nostram aedificationem; nam, ut ait S. Augustinus [2], *unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die.* — Praeterea, defunctis Ecclesia non petit praeservationem ab aliquo periculo salutis aeternae: sed aut remissionem poenarum purgatorii, aut hoc beneficium, ut in iudicio extremo a tartaro non absorbeantur. Nec obstat illas de hoc beneficio certas existere: certitudo enim effectus non obstat eius petitioni; cum potius petitio sit unum ex mediis a Deo ordinatis ad talem effectum obtinendum, quemadmodum novimus Christum, quaecumque petiit, certo scivisse esse futura.

Denique, Ecclesia, dum sic orat, diem obitus commemorat, quo e corpore anima migravit, ac ante tribunal iudicis est constituta, sicut etiam in festo Nativitatis Domini, perinde orat, ac si Verbum tunc foret incarnandum, vel nasciturum: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum; Spiritus Sanctus in te descendet, Maria,* etc.; quo loquendi modo petit Ecclesia ut nobis fructus illius mysterii applicetur [3].

**9. — Sentential Dionysii Cartusiani de cognitione quam in purgatorio animae habent de propria salute. —**

1. L. c. — 2. Epist. CXCIX, al. 80 ad Hesych., n. 3. t. II, col. 743. — 3. Cf. quae scripsimus supra, Quaest. II, art. 4, n. 12, p. 108.

Quoniam a nonnullis, theologus insignis, Dionysius Cartusianus, inducitur quasi reputaverit animas in purgatorio existentes incertas esse de sua sorte, hinc iuvat pauca ex eodem testimonia excerpere, quibus ostenditur ille contrariam revera tenuisse sententiam. Imprimis, loquens de gravitate poenarum, ait[1]: *Quanto aliquid magis desideratur, tanto eius absentia exstat molestior. Quumque affectus animarum iustarum in purgatorio, quo summum bonum et beatificam fruitionem desiderant, sit vehementer ac nimis intensus..., et quoniam terminus perfruendi illo advenit, nisi quod suo retardantur reatu; idcirco de retardatione atque carentia tam incomparabilis boni dolent.* — Ulterius, disserens de animarum consensu in poenas quas patiuntur[2], inter alias sententias, sequentem affert, quam damnat: *Quidam dicunt quod nullo modo sit voluntaria, quoniam ita sunt poenis absorpti quod nesciunt se per eas purgari, quod falsum est, cum frequenter petant suffragia.* — Denique, quaerens utrum locus cui animae assignantur, earum poenas augeat, suam facit sententiam Richardi, dicentis[3]: *Non quod odiant locum illum voluntate deliberativa, cum caritate consistant et sciant locum illum eis deputatum ad tempus a iustitia divina quam diligunt.*

Quae cum ita sint, contraria sententia, quae praedicto scriptori, ex quibusdam revelationibus, ab eo in Opusculo *de Quatuor hominis Novissimis,* relatis, adscribitur, eius propria non est, sed auctoris, ex quo illam hauserat, cui eamdem sententiam, tanquam illius propriam, relinquit

1. 4, Dist. XX. Q. II. p. 544, t. XXIV — 2. Ibid., pag. 545. — 3. 4, Dist. XLV. Q. I. pag. 327, t. XXV. — 4. Cf. cit. Opusc., art. 47. Opp. Tornaci, vol. XLI. Opp. Min. vol. IX. p. 560. De simili sententia in revelationibus S. Mariae Margaretae Alacoque, vide Analecta Iuris Pontificii, Ser. IX, pp. 157, seq.

## Articulus XI. — *Utrum de alicuius animae liberatione certiores reddi valeamus.*

**1. — Ratio articuli.** — Statuto quod suffragia pro defunctis facta ipsis specialiter ac determinate prosint, imo infallibilem obiective consequantur effectum, ad praecavendam modo aequivocationem, qua ex anteactis posset quis deducere certo nos scire de aliqua anima, pro qua specialia suffragia facta sunt, illam iam salvam esse, praesens subiungitur articulus, de mensura applicationis suffragiorum quae pro defunctis persolvimus, ut scilicet determinetur utrum illorum suffragiorum applicatio ita nobis innotescat, ut de alicuius animae liberatione certiores reddi possimus, an potius huiusmodi applicatio ita iusta Dei lege regatur, ut nobis ignota maneat.

**2.** — PROP. — **De nullius animae liberatione certi esse possumus absque speciali revelatione.**

**3. — Ecclesiae circa hanc rem determinatio.** — Haec veritas imprimis ex responsione Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae clare resultat. Cum enim episcopus S. Flori in Gallia quaesivisset, *utrum per indulgentiam altari privilegiato adnexam, intelligenda sit indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis, an vero tantum indulgentia quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicanda,* — eadem Sacra Congregatio respondit: *Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respon-*

*det* [1]. Quod Benedictus XIV hisce verbis iampridem declaraverat: *Hoc fundamento innititur Summus Pontifex, cum privilegiatas aras declarat, ac pro Missae celebratione quae in illis indicitur ad expiandam defuncti alicuius animam, thesauri ecclesiastici eam partem attribuit per modum suffragii, quae satis est ut eadem anima, si Deo sic placitum fuerit, e purgatorii cruciatibus eripiatur* [2].

4. — **Prob. rat. theol.** — Propria huius rei ratio repeti debet ex speciali statu in quo animae post mortem inveniuntur. Nimirum, cum iam extra viam sint positae, hinc sunt in statu mere poenali, id est non proprie satisfactionis, sed satispassionis: unde *per se* deberent pati omnes poenas sibi a divina iustitia impositas, et nonnisi ex divina bonitate evenit, quod eis aliquid per sanctorum suffragia de poena debita relaxetur, scilicet in virtute charitatis. Quapropter, cum in communione Sanctorum duo, ut diximus, attendantur, scilicet charitas et intentio facientis suffragia; quantum quidem ad primum attinet, certiores esse possumus, nostra pro defunctis suffragia eisdem prodesse; quantum ad alterum vero, nequimus certo determinare mensuram divinae acceptationis.

Quod quidem idem est ac si dicatur, nos de specialis cuiusdam animae in purgatorio detentae liberatione, quantumcumque pro ea suffragia persolvantur, certitudinem nunquam habere posse. Et haec praecise est ratio, cur pro eadem anima plures indulgentiae, etiam plenariae, rationabiliter applicari possint, plures etiam Missae, ex praescripto Ecclesiae, etiam in altari privilegiato cebrari, plura denique suffragia utcumque persolvi.

5. — **Confirmatur.** — I. Ea quae ad alteram vitam pertinent cognosci a nobis certitudinaliter nequeunt absque

1. Decret. 28 Iul., 1840. — 2. Inst. LVI, n. 15.

speciali Dei revelatione: sic absque revelatione scire nequimus utrum aliqua anima sit in caelo, in purgatorio aut in inferno. Ergo et de animabus in purgatorio existentibus, sine speciali revelatione, scire nequimus, tum quamdiu ibi manere debeant, tum quandonam actu liberentur.

II. Multum de exercitio charitatis diminueretur, si certo sciremus aliquas animas iam e poenis purgatorii evolasse: sic quippe cessaremus a persolvendis pro eisdem suffragiis, quae e contra charitas nos urget ut ingeminemus, cum adhuc dubitare possimus utrum animae nobis carae in tenebricoso illo carcere adhuc detrusae maneant.

**6. — Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat quod, in quibusdam altaribus, haec inscriptio interdum legatur: *Altare privilegiatum* [1]: hoc enim aliud non sibi vult, nisi Ecclesiam, pro sua potestate, sacrum ad praedicta altaria celebrantibus, thesaurum Iesu Christi et Sanctorum specialiter dispensare, quin tamen effectum ipsum talis dispensationis determinare praesumat: unde, dum Congregatio S. Officii reprobavit tabulas quae aliquando ianuis vel altaribus quarumdam ecclesiarum apponi consueverunt, cum hac inscriptione: *Hodie liberatur anima a purgatorio* [2], simul tamen inscriptionem, *altare privilegiatum*, retineri posse declaravit; cuius quidem rei ratio patet; nam praefixio temporis certitudinem absolutam de animae liberatione importat, quae citra divinam revelationem haberi nunquam potest.

**7. — Quid sibi velit concessio de liberatione alicuius animae.** — Ex eo autem quod Summus Pontifex, in suis Brevibus, concedere solet ut anima a purgatorii poenis liberetur, inferri fas non est, animam ipsam, persoluto desi-

1. Videsis BERINGER, *Les Indulgences*, etc. T. I, p. 449. — 2. Die 9 Septembris 1603. Vide *Analecta Eccl.*, vol. III, fasc. 11, p. 460, n. 773.

gnato suffragio, actu a praedictis poenis liberari. Nam Pontifex quidem tantum concedit, quantum de se sufficiens esset ad praefatam animam liberandam; at, cum mensura acceptationis suffragii pendeat a beneplacito divinae misericordiae, ideo nequit concludi liberationem actu perfici.

Quod ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 13 Februarii 1745 abunde evincitur. Nimirum, in Ecclesia S. Luciae Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe, iampridem distribuebantur schedulae italico idiomate sequentis tenoris: *Indulgentia plenaria concessa altari SSmi Crucifixi sito in ecclesia S. Luciae Archiconfraternitatis Confalonis. Si quis Missam celebrari fecerit in altari privilegiato SSmi Crucifixi in ecclesia S. Luciae Confalonis, eam applicando pro anima cui ille suffragari cupit, ipsa liberatur a purgatorio, non secus ac si dicta Missa celebrata fuisset in altari S. Gregorii Romae, ut apparet ex lapide dicti altaris per Bullas concessas a Paulo V et Gregorio XIII Summis Pontificibus.* Porro, cum Bullae concessionum ad trutinam revocatae fuissent, S. Congregatio reformandam decrevit schedularum formulam, habito respectu non modo ad altaris designationem, sed, quod nostra interest, ad ipsum formulae tenorem, qui sic immutatus fuit: *Indulgentia plenaria ad suffragandum animabus purgatorii ad altare Dei omnipotentis et SSmae Crucis in ecclesia S. Luciae venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Romae. Qui Missas celebrari faciet in altari dicato Deo Omnipotenti et SSmae Cruci in Ecclesia venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Romae, pro qualibet Missa animae suffragabitur, ac si eadem celebrata fuisset in altari privilegiato monasterii S. Gregorii pariter Romae, ut apparet ex Brevibus Gregorii XIII et Pauli V, Summorum Pontificum* [1].

1. Decret. authent. n. 154.

8. — **Ecclesia nos non decipit.** — Porro, ex eo quod missae sacrificium, quantum ad applicationis mensuram, certum ac nobis determinate compertum effectum non sortitur, non debet quis praecipiti ausu concludere, Ecclesiam nos decipere, dum proclamat, facto determinato suffragio, puta oblato in altari privilegiato incruento sacrificio, animam a purgatorii poenis liberari. Non modo enim Ecclesia, pro sua in thesaurum potestate, tantum de isto thesauro suppeditare intendit, quantum de se et quoad sufficientiam requiritur ad animam perfecte liberandam, sed etiam tali animae, dummodo capax sit, et capax fit eo ipso quod in gratia Dei existit, tale suffragium applicat, unde ipsa liberari debeat, nisi quod talis suffragii mensura non indigentiis animae patientis, sed divinae misericordiae beneplacito respondet. Et recte dicitur sacerdos, vel quilibet alius conditiones exequens animam liberare, licet effectus aliquando non sequatur: actiones enim ex obiecto speciem sortiuntur, unde etiam ex obiecto denominantur, quamquam istud perfecte non obtineatur, sicut medicus infirmum sanare dicitur, licet effectus non statim, immo quandoque nunquam, sequatur.

Huius rei ratio ita ab Angelico exponitur [1]: *Sacramentum* (Eucharistiae) *simul est sacrificium et sacramentum; sed rationem sacrificii habet in quantum offertur, rationem autem sacramenti in quantum sumitur; et ideo effectum sacramenti habet in eo qui sumit, effectum sacrificii in eo qui offert vel in his pro quibus offertur... In quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam; sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis; unde et Dominus dicit* [2] *de vidua quae obtulit duo aera, quod* PLUS OMNIBUS MISIT. *Quamvis igitur haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum*

1. 3, Quaest. LXXIX, art. 5. — 2. Luc., XXI, 3.

*pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.*

**9. — Scholion.** — Quod de excellentissimo inter omnia Ecclesiae suffragia dictum est, valet etiam pro aliis suffragiis, immo a fortiori, : ita ut, quamvis infallibilem efficaciam sortiantur relate ad illum cui applicantur, si videlicet virtus charitatis necnon potestas clavium respiciatur, tamen nonnisi Deo revelante cognoscere possimus qualis sit huius applicationis mensura : pendet enim imprimis ab affectu eorum qui huiusmodi suffragia persolvunt, quo videlicet affectu divina bonitas ad solvendum movetur: licet ultima ratio desumi debeat ab ipsa dispositione divinae misericordiae, quae ideo ordinat ut pro specialibus animabus plura, eaque ferventiora suffragia persolvantur, quatenus illarum liberationem citius fieri decreverit [1].

1. De tribus animarum post mortem receptaculis, purgatorio, inferno et caelo, egregie, oratorem agens, disserit P. G. M. L. MONSABRÉ, in Expos. du Dogme cath., conf. XCVII, XCVIII, XCIX. Opportune, dum tractat de suffragiis quibus animas in purgatorio iuvare possumus, commentans illud S. Pauli (Hebr., XIII, 3) : *Mementote vinctorum, tanquam simul vincti*, exclamat : *Plus heureux que les anciens, nous avons à notre service le sang d'un Dieu chaque jour immolé sur nos autels, et nous, vivants, nous pouvons le faire descendre au delà des tombeaux, jusqu'aux rivages de ce monde désolé où souffrent nos bien-aimés. Venez, amis, venez, voici le sang de la croix et de la messe que nous vous envoyons. Plongez-vous dans ce fleuve sacré, pénétrez-vous de ses mérites infinis ; tout à l'heure il va jaillir jusqu'au ciel et emporter avec lui dans le sein de Dieu vos âmes purifiées. Consolation suprême! Après vous avoir sauvés, nous pourrons espérer que vous nous rendrez, en assistance et en protection, le grand bienfait de votre délivrance.*

# QUAESTIO VI

## DE SIGNIS EXTREMUM IUDICIUM PRAECEDENTIBUS

### PROLOGUS.

1. — **Duplex Christi adventus.** — Duos Christi adventus debere distingui, fides catholica haud ambigue tradit: quorum prior humilis et occultus iam locum habuit, alter vero solemnis atque gloriosus adhuc expectatur. Et illum quidem, cum esset a prophetis determinate praenuntiatus, nulla signa praecedere debuerunt; hic autem omnino indeterminatus manet, dicente Domino Nostro [1]: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noë, ita erit et adventus Filii hominis: sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noë in arcam; et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.*

Porro, per diem illam potest intelligi vel ipsamet ultima dies, vel totum illud temporis spatium, quo huiusmodi signa complebuntur. Et quidem, si primo sensu accipiatur, dies ultima non omnino ignota manebit, cum signis praecedentibus manifestanda sit, ut hic dicetur; si autem accipiatur altero sensu, dies illa a nemine cognosci potest, cum sciri perfecte non valeat quandonam cuncta

1. Matth., XXIV, 36, seq.

illa signa verificanda sint: unde ait S. Paulus [1]: *Scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.*

2. — **Cur extremum iudicium signa aliqua praecedere debeant.** — Sciendum autem est, absolute loquendo, necessarium non esse ut signa aliqua ultimum iudicium praecedant, id tamen convenienter fieri, tum ad iudiciariam Christi potestatem extollendam, tum ut hominum corda in subiectionem venturi iudicis inducantur et ad iudicium debite praeparentur. Pertinet enim ad dignitatem iudiciariae potestatis habere aliqua indicia, quae debitam reverentiam erga iudicem concilient, necnon iudicandos ad subiectionem erga illum inducant [2]. Porro huiusmodi signa de se sufficientia erunt, tum ad bonos, tum ad malos praemonendos, licet isti ea despecturi sint: unde dum boni, cernentes illa signa, arescent prae timore [3], de malis e contra, ea parvipendentibus, legitur [4]: *Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

3. — **Quaenam sint ista signa.** — Quaenam autem futura sint ista signa, de facili sciri non potest, ait Angelicus [5]; cum signa, quae in Evangeliis leguntur, non solum pertineant ad adventum Christi ad iudicium, ut ait S. Augustinus [6], sed etiam ad tempus destructionis Hierusalem sub Tito, necnon ad adventum quo Christus continuo Ecclesiam suam visitat; ita quod forte si diligenter advertatur, nullum eorum inveniatur ad futurum adventum pertinere, ut ipse Augustinus dicit [7]. Nimirum, signa illa quae in Evangeliis tanguntur, sicut pugnae et terrores, et cetera huiusmodi, a principio humani generis fuerunt; licet dici possit quod, sub fine mundi, illa signa

1. 1 Thess., V, 2. — 2. S., Quaest. LXXIII, art. 1. — 3. Luc., XXI, 26. — 4. 1 Thess., V, 3. — 5. Loco cit. — 6. Epist. CXCIX, al. LXXX ad Hesych., de fine mundi, n. 25, 26, t. II, col. 750, 751. — 7. Loco cit.

magis invalescent: sed secundum quam mensuram crescentia vicinum adventum denuntient, incertum est.

Porro, de hisce signis agitur ex professo tum in Veteri Testamento, maxime apud Danielem [1], tum in Novo, scilicet apud S. Matthaeum [2], S. Lucam [3], S. Paulum [4], necnon in Apocalypsi [5]: ad quae quidem loca recurrere debet qui hac de re aliquid certi cognoscere cupit, relictis illis fabulosis narrationibus quae in libris apocryphis aut utcumque humanae inventionis passim circumferuntur [6].


**4. — Monitum.** — Sedulo igitur advertere oportet. eorum quibus futura praesagiuntur in Scriptura, aliqua referri ad eversionem Hierosolymae, aliqua ad Ecclesiae, quae est Christi corpus, formationem, nonnulla demum ad Christi adventum: quae omnia sacer interpres diligenter distinguere debet. *Cum itaque*, ait S. Augustinus [7], *signa dicat quae ad ista tria* (tempora) *pertinent, id est, ad excidium illius civitatis, ad adventum eius in corpore suo quod est Ecclesia, ad adventum eius in capite Ecclesiae, quod est ipse: quod eorum signorum ad quod horum trium referendum sit, diligenti consideratione cernendum est... In quibus omnibus sunt quaedam manifesta, quaedam vero sic obscura, ut vel laboriosum sit ea diiudicare, vel temerarium, quamdiu non intelliguntur, de his aliquid definire.*

**5. — Ordo quaestionis.** — Si quis autem rem diligenter perpendat, haud difficili negotio deprehendet, signa

1. CC. VII, XI. — 2. C. XXIV, 29, seqq. — 3. C. XXI, 25, seqq. — 4. 1 Thess., C. V; 2 Ep., C. II. — 5. Passim. — 6. Huius generis sunt quae in Glossa Lirani, sup. Luc., XXI, ex S. Hieronymo, leguntur: quae quidem Doctor Dalmata non asserendo, sed prout ea se in Hebraeorum Annalibus scripta reperisse dicit, refert, quibus, sicut ceteris dubiae originis documentis, parum verisimilitudinis attribuit S. Thomas. — 7. Ep. CXCIX de fine mundi ad Hesychium, n. 26.

extremum iudicium praecedentia dupliciter considerari posse: uno modo, in seipsis (1-7), altero modo, secundum vim probandi ipsis adnexam (8). Signa autem in seipsis considerata alia respiciunt homines (1-5), alia vera mundum physicum (6-7). Prioris generis signa, vel attenduntur secundum homines generatim sumptos (1-3), vel secundum aliquos homines particulares (4-5). Nimirum, ante Christi adventum, hinc quidem homines erunt omnes ad fidem adducendi, per praedicationem Evangelii (1), specialiter Iudaeis ad fidem conversis (2); illinc vero erunt homines universaliter a fide defecturi (3). Speciali autem modo, ante Christi adventum, prodibunt homines mali, quorum antesignanus futurus est Antichristus, seu homo peccati (4), contra quem acriter pugnabunt, usque ad vitae profusionem, Henoch et Elias (5). Quantum vero ad mundum physicum, primo quidem erit multiplex perturbatio ordinis illius partium (6); dein succedet ignis ultimae conflagrationis, quo purgabitur ac renovabitur tota natura (7). — Circa quae, prae oculis semper teneri debet S. Augustini monitio [1]: *Quae omnia quidem ventura esse credendum est; sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia* [2].

1. S. Augustinus tamen, in illo loco, parum diversum ordinem, ab eo quem hic sequimur, statuit: sed illum non determinando, verum solummodo opinando, ponit, ut explicat S. Thomas, Supplem., Quaest. LXXIV, art. 7, ad 1m. — 2. L. XX de Civ. Dei, c. 30 t. VII, col. 617-618.




Hinc octo in hac quaestione investiganda proponuntur.

*Primo.* Utrum fidei praedictio per universum orbem praecedere debeat extremum iudicium.

*Secundo.* Utrum conversio Iudaeorum ad fidem assignanda sit tanquam signum extremi iudicii.

*Tertio.* Utrum latissima a fide defectio futura sit signum extremi iudicii.

*Quarto.* Utrum in fine mundi venturus sit Antichristus, homo peccati.

*Quinto.* Utrum adventus Henoch et Eliae finem mundi praecedere et praenuntiare debeat.

*Sexto.* Utrum universalis naturae perturbatio annuntiare debeat proximum mundi finem.

*Septimo.* Utrum ignis ultimae conflagrationis iudicium praecedere debeat.

*Octavo.* Utrum certo sciri possit tempus ultimi adventus Christi.

## ARTICULUS I. — *Utrum fidei praedicatio per universum orbem praecedere debeat extremum iudicium.*

1. — **Ratio articuli.** — Revelationis evangelicae doctrinam paulatim disseminatum iri aperte praedixit Dominus noster, cum ait [1]: *Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus:* unde videmus, temporis progressu, lucem fidei novis semper populis affulsisse. Cum autem multae adhuc gentes in tenebris infidelitatis sedeant, opportune quaeritur utrum ad omnes populos lux illa ita afferri debeat, ut praedicatio fidei per totum orbem tanquam signum habenda sit proximi finalis iudicii.

2. — PROP. — **Praedicatio fidei per universum orbem merito assignatur tanquam signum novissima mundi praenuntians.**

3. — **Auctoritas.** — Revera, hoc ipsum a Domino Nostro expresse prolatum in Evangelio refertur [2]: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio,* καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. Quo quidem loco, ut

1. Matth., XIII, 31. — 2. Ibid., XXIV, 14.

scite observant S. Hieronymus et Ven. Beda, non agitur de templi et urbis vastatione, sed proprie de fine mundi: cum dicatur Evangelium prius in universo orbe praedicandum, quod ante hierosolymitanum excidium constat factum non fuisse. Quinimmo, testatur S. Augustinus [1] multas suo tempore in Africa gentes fuisse, quae Evangelium neque acceperant, neque audiverant.

4. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec obstat quod aiebat S. Paulus [2]: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo;* et [3]: *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnen terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum;* — dici enim potest hyperbolicam esse S. Pauli locutionem, ideo fidem in toto orbe praedicatam asserentis, quia in plerisque iam locis fuerat divulgata, adeo ut vix ulla esset regio ubi Evangelium non insonuisset [4].

5. — **Ratio theol.** — Praemium vel poenam homines sunt in fine accepturi, secundum quod dictis evangelicis fide crediderint et opere adhaeserint, iuxta illud [5]: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ad quod quidem necesse est ut evangelica praedicatio ad aures hominis perveniat, dicente S. Paulo [6]: *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Atqui duplici modo possunt aures hominis de evangelica veritate instrui: scilicet, vel interiori inspiratione, vel exteriori praedicatione. Et quidem, si interior instructio sufficit ut quis rite privatim iudicetur, ad generale iudicium de nationibus faciendum, necesse est ut lex evangelica exteriori praedicatione ad omnium aures pervenerit: hic enim modus instructionis naturaliter con-

1. Epist. CXCIX, al, LXXX, n. 46 t. II, col. 758. - 2. Rom., I, 8. — 3. Ibid.. X, 18. — 4. Cf. Catech. Rom., P. I, art. 7, n. 8. — 5. Marc., XVI. 16. — 6. Rom., X, 14.

venit humanae naturae perficiendae. Ergo ante mundi finem necesse est ut evangelica praedicatio per universum orbem iam dilatata fuerit.

6. **Confirmatur** ex Domini Nostri verbis ad Apostolos directis [1]: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* quibus tacite innuitur mundi finem non adventurum, nisi postquam praeceptum istud fuerit adimpletum. Quae quidem verba sensu universali accipienda sunt: ita quod, ex mente Domini, inferendum maneat, Evangelium annuntiandum fore ubicumque demum homines degere contingat [2].

7. — **Scholion.** — Notandum tamen est, ex hoc certo concludi non posse, statim post completam illam praedicationem, instare mundi finem: sibivult quippe praedicta propositio extremum iudicium non perficiendum antequam fides universaliter praedicata sit: unde huiusmodi praedicatio accipi nequit tanquam signum imminentis mundi finis. *Tunc veniet* (Dominus): *quid est,* quaerit S. Augustinus [3], *nisi ante non veniet? Quanto post ergo veniat incertum nobis est; ante tamen non esse venturum, dubitare utique non debemus.... Si iam nobis certissime nuntiatum fuisset, in omnibus gentibus Evangelium praedicari, nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret usque ad finem, sed magis magisque iam propinquare merito diceremus.*

8. — **Fidei praedicatio cum plena gentium ad fidem conversione minime confundenda.** — Ulterius vero advertatur, ex verbis Domini Nostri colligi non posse, fore ut omnes gentes ad religionem christianam plene convertantur, cum Christus nonnisi de praedicatione Evangelii loquatur, et unicuique integrum sit assentire verbo

1. Marc., XVI, 15. — 2. Cf. Knabenbaur, Comment. in S. Matth., c. XXIV. — 3. Epist. CXCVII, n. 4. t. II, col. 738.

fidei; unde potest esse ut multi perceptae praedicationi increduli permaneant: de qua re iterum egregie disserit S. Augustinus [1]: *In quibus gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit; non ut omnes qui ibi fuerint credant; omnes enim gentes promissae sunt, non omnes homines omnium gentium. Non enim omnium est fides. Credit itaque omnis gens in omnibus, qui electi sunt ante constitutionem mundi, in ceteris non credit, et credentes odit.*

**9. — Solvitur dubitatio.** — Obiicienti verba Domini Nostri [2]: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor,* — responderi cum Maldonato potest [3], non esse sensum, omnes in Christum credituros atque ad Ecclesiam venturos, sed discrimen tollendum fore inter eos qui ex Iudaeis, et eos qui ex gentilibus credituri sunt, quod non ante finem mundi faciendum expectatur, sed iam factum cernitur. Licet dici etiam possit, significatam omnium gentium, quae christianam religionem profitentur, adunationem sub capite Romano Pontifice, sublato scilicet omni schismate.

## Articulus II. — *Utrum conversio Iudaeorum ad fidem assignanda sit tanquam signum extremi iudicii.*

**1. — Ratio articuli.** — Licet, teste S. Paulo, Dei haec sit voluntas, ut omnes homines per Iesum Christum iustificentur, iuxta illud [4]: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum, non enim est distinctio,* tamen dubitari nequit quin divitias misericordiae suae in gentes speciali liberalitate

1. Ep. CXCIX, n. 48. Ibid., col. 758. — 2. Io., X, 16. — 3. Comment. in h. l. S. Ioannis. — 4. Rom., III, 22.

profuderit; unde dicit idem Apostolus [1]: *An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium.* Quapropter, dum videmus gentiles ad fidem catervatim convolasse, Iudaei, e contra, impia veluti caecitate detenti, illam superbe respuerunt, in sua duritia per tot iam retro saecula persistentes. — At num ipsis ianua amplioris misericordiae in aeternum clausa manebit? Nequaquam; imo dicimus

**2.** — PROP. — **Ante mundi finem, Iudaeorum gens ad fidem convertenda est.**

**3. — Osee.** — Id expresse significatum ponitur in propheta Osee [2]: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio et sine altari, et sine ephod et sine theraphim; et post haec revertentur..., et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum, et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius, in novissimo dierum.* Quibus verbis, primo quidem gentis hebraicae reditus a captivitate, duce Zorobabele, nobilissimae stirpis surculo, significatur: qui tamen reditus imago est alterius *e diuturniori captivitate reditus*, ait Calmet [3], *tunc futuri, cum ad Iesum Christum, verum Davidis heredem, accesserint.*

**4. — S. Pauli testimonium.** — At splendidissimum ac disertissimum prostat hac de re testimonium S. Pauli ad Romanos [4]: *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret; et sic omnis Israel salvus fieret* [5], *sicut scriptum est* [6]: *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Iacob. Et hoc illis a me testamentum,*

1. Rom., III, 29. — 2. III, 4, 5. — 3. Hoc loco. — 4. XI, 25, seq. — 5. Σωθήσεται, id est, *salvabitur*. — 6. Is., LIX, 20.

*cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos, secundum electionem autem, charissimi propter Patres: sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.*

5. — **Explicatur.** — Porro, hisce verbis, S. Paulus Romanos admonere volens ne insolescerent, sibi ipsi placentes, eis mysterium, id est arcanam et mirabilem Dei providentiam atque ordinationem aperit, qua factum est ut misso Christo ad Iudaeos, hi prius, non quidem omnes, sed ex parte haud exigua, excaecarentur, ut gentiles ad fidem arcesserentur et salvarentur, ac demum omnis Israel illuminaretur. *Omnis,* ait, quod est maior Iudaeorum pars, cum tribus Dan excipienda videatur, ex qua nulli referuntur signati, inter centum quadraginta quatuor millia signatorum, ex omni tribu filiorum Israel [1].

In cuius rei probationem, testimonium adducitur ex Isaia [2], ubi exhibetur ex ipsa stirpe David (Sion enim erat civitas David ac regni sedes) nasciturus Salvator, scilicet Christus, qui peccata populi ex Iacob progeniti aboleat: quod cum in primo Christi adventu non obtinuerit, relinquitur complendum, post introductam gentium plenitudinem, per praedicationem Eliae et Henoch [3].

Pergit Apostolus gentiles excitans ad agnitionem beneficii fidei sibi divinitus praestiti, ex consideratione infidelitatis Iudaeorum: *propter vos,* id est ut vos, o gentes, hac

1. Apoc., VII, 4, seq. Quod tribus Dan omissa fuerit, interpretum plures rationem reddunt, quia ex ea nasciturus foret Antichristus: in cuius rei argumentum verba referunt celebris prophetiae Iacob (Gen., XLIX, 19): *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* — 2. LIX, 20. — 3 Malach., IV, 5, 6; Apoc., XI, 3.

occasione, donum vobis factum magni faciatis, simul quoque recolit promissiones a Deo sanctis Patriarchis factas [1]; quae quidem cassae esse nequeunt, cum impoenitibilia, seu immutabilia sint munera divina. Quocirca, pertinaci Iudaeorum infidelitate minima obstante, illi certissime ad resipiscentiam revertentur; quemadmodum nec ipsa gentilium pervicacia illos a divina misericordia exclusit, in quam nunc Iudaei credere nolunt, cum agnoscere detrectent beneficium fidei per Christum ad gentiles collatum.

**6. — Divina misericordia in Iudaeos et in gentiles.** — Concludit Apostolus totam hanc suam disputationem advertendo, Deum permisisse ut tam Iudaei quam gentes infidelitatis tenebris diu concluderentur, quatenus in eis gloriosam suam misericordiam ostenderet, eos ad fidem et gratiam suam tempore accepto advocando et a peccatis purificando. Quapropter merito, ex citatis verbis, argumentum eruitur, non prius desiturum esse mundi cursum, quam Iudaeorum gens universaliter fidem christianam amplectatur [2]. Attamen quanta, iuxta proportionem, futura sit credentium multitudo, aeque difficile de Iudaeis ac de gentilibus statuetur.

### ARTICULUS III. — *Utrum ultimum iudicium praecedere debeat latissima defectio a fide.*

**1. — Ratio articuli.** — Ex eo quod diximus, instante mundi fine, Evangelium praedicandum fore in universo mundo ac Iudaeorum gentem ad veram fidem convertendam, concludendum prima facie videretur, catholicam religionem ab omnibus, tum nationibus, tum individuis

1. Gen., XVII, 16; Deut., IV, 37. — 2. Cf. de hac re egregium Comment. S. Thomae, in h. S. Pauli locum.

fore excolendam. Quod autem id reapse non sit eventu comprobandum, clare testantur Scripturarum effata, quibus tum magna a fide discessio, tum infidelitatis antesignani, videlicet Antichristi, adventus haud obscure significantur: de quibus impraesentiarum singillatim agendum erit. Et quidem, in hoc articulo, de defectione infidelitatis; in proximo autem, de adventu Antichristi tractabimus.

2. — PROP. — **Ante extremum iudicium latissima habebitur in mundo a fide defectio.**

3. — **Prob. propositio** hisce S. Lucae verbis [1]: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Qua interrogationis figura, utique futuram ultimis diebus fidei raritatem Dominus Noster significat, non tamen omnimodum interitum, quasi tunc Ecclesia fidelium sit peritura: quem sensum esse perversissimum docet S. Augustinus [2], contra Donatistas, qui ex hoc loco probare conabantur factam esse apostasiam totius orbis. Igitur duplici sensu textus ille exponi potest: vel de fide catholica generaliter, ut sensus sit multos tunc fore a vera fide defecturos, quemadmodum tempore protestanticae reformationis evenisse novimus; vel de fide perfecta, seu per charitatem formata, quia videlicet, adventante mundi fine, erit iniquorum abundantia et bonorum paucitas, iuxta illud [3]: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

4. — **Verba S. Pauli.** — Idipsum clare significat S. Paulus [4]: *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum.* Ubi id quod habet Apostolus, *in novissimis*, ἐν ὑστέροις, significare potest,

1. XVIII, 8. — 2. L. II, contra Gaudentium, c. 6. — 3. Matth., XXIV, 12. — 4. 1 Tim., IV, 1.

vel posteriora, vel ultima tempora, aut etiam utraque; ut scilicet sensus sit, progressu temporis, quidam deficient, seu desciscent a fide, aut deserent fidem christianam semel susceptam, et quidem eo frequentius et numerosius, quo propius instabit ultima dies: quod quidem, historia duce, evenisse comperimus. Huc referri possunt haec alia verba eiusdem Apostoli [1]: *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio* (ἡ ἀποστασία) *primum, et revelatus fuerit homo peccati,* etc.

5. — **Scholion.** — Porro, huiusmodi defectio a fide catholica non in singulis individuis tantum, sed etiam in integris nationibus complebitur: quam quidem socialem apostasiam, pluribus iam retro saeculis inceptam, longe lateque, in regionibus christianismo informatis, sensim protendi comperimus. Nec mirum: cum enim fidei christianae non privatum tantum, sed publicum debeatur obsequium, necesse est ut, sublata, iussu reipublicae magistratus, publica Deum adorandi ac colendi forma, nationis ipsius apostasia inducatur, cui, sicut individuis, congrua poena debetur. Ad rem Lessius [2]: *Regna, provinciae, urbes, et magni hominum conventus,* (*ob assiduam eorum qui gignuntur et morientibus substituuntur, accessionem*), *non intercidunt, sed plurimis saeculis perseverant. Itaque consentaneum est divinae iustitiae, ut subinde peccatis eorum valde excrescentibus, in hac vita communi aliquo calamitatum flagello castigentur... Quae autem cuique regno vel provinciae mensura constituta sit, latet in inscrutabili divinorum iudiciorum abysso, neque alicui creaturae, nisi per revelationem innotescere potest.* — Attamen, ex plurium nationum apostasia, perperam argueretur finem mundi iamiam imminere, cum quibusdam nationibus ab Ecclesia recedentibus,

1. 2 Thess.. II, 3. — 2. De iustitia et ira Dei, c. XI. n. 58-60, Edit. Roh, S. J. Friburg. Bris. 1861.

aliae substitui possint, sicut inde a protestantica reformatione factum fuisse novimus.

**6. — Quaestio.** — *Quaenam futura sit generalis illius apostasiae causa?*

*Resp.* Duplex: scilicet, superbia et morum corruptio; et quidem, priori debetur quod veritas supernaturalis revelata, utpote quae humanae mentis captum superat, subtiliter respuatur, hoc pacto quod fidei nostrae dogmatibus naturalis appingatur explicatio, quod affatim fieri videmus a modernistis atque theosophis: unde sicut superbia fuit causa primi lapsus hominis, ita etiam per eam eius totalis ruina complebitur. Alteri vero causae debebitur effrenata illa voluptatum concupiscentia, qua iam ebullire et quasi marcescere mundum videmus.

Utramque hanc causam recenset Dominus Noster [1]: *Sicut factum est in diebus Nöe, ita erit in diebus Filii hominis: edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Nöe in arcam; et venit diluvium et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant; qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de caelo, et omnes perdidit. Secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.* Quibus verbis ostendit Dominus Noster extremum diem homines, neglectis caelestibus, intentos solum terrenis curis, inexpectato suscepturum esse, quemadmodum diluvii dies Nöe suppares inopinato suscepit.

**7. — Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat, inter signa consummationis saeculi, futura esse bella, pestilentias, fames atque terraemotus, unde non videtur homines tunc tam pacifice posse conversari, ut voluptatibus cor-

1. Luc., XVII, 26-30.

poralibus totos se dedant: nam id quod ibi Christus dicit, intelligendum est ad illa usque extrema signa, quae initium futura sunt ac pars consummationis mundi: quae quidem signa, tanquam satellitia quaedam Filii hominis adventantis, cum ipso Filii hominis adventu computantur [1].

### ARTICULUS IV. — *Utrum in fine mundi venturus sit Antichristus, homo peccati.*

**1. — Realis Antichristi persona.** — Nonnullorum fuit sententia, per Antichristum, non singularem personam, in in fine mundi adventuram, designari, sed quemcumque hominem Christo contrarium, ut Iulianum Apostatam, Arium, Mahumetum, vel etiam generalius crescentem in fine saeculorum infidelitatem. — Contra quos sedulo retinendum est, ex mente Scripturae, per Antichristum designari determinatam personam, in fine mundi prodituram, ad Christum eiusque salvificam operam acriter debellandam. Sic quippe de eo expresse legimus [2]: *Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut colitur, ita ut templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* [3].

**2. — Notandum.** — Opportune autem hic monebitur, interdum, Scripturae more, nomen hoc, Antichristus, communiter stare pro designando quocumque Incarnationis dominicae adversario, iuxta illud [4]: *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium;* quocirca

1. Cf. Luc. Brug., Migne, Scripturae S. Cursus, t. XXII, col. 1180. — 2. 2 Thessal., II, 3, 4. — 3. Omittimus plurium protestanticorum hominum deliramenta qui, duce Luthero, eousque insaniam produxerunt, ut nomine Antichristi, antonomastice in Scriptura significari censuerint Romanum Pontificem, cui proinde eos attribuunt characteres, quibus homo ille peccati ab inspiratis auctoribus dotatus exhibetur. — 4. 1 Io., II, 22.

nomen Antichristus intelligi potest dictum per antonomasiam, quatenus ille unus in se adunabit omnem malitiam quae in ceteris hominibus sparsa invenitur. — Quae cum ita sint, praesentis articuli finis est ostendere tum quanta convenientiae ratione Deus decreverit ut Antichristi adventus mundi extrema praenuntiet, tum quibusnam characteribus praeditus ille apparere debeat.

3. — PROP. — **Inter signa, mundi extrema praenuntiantia, opportune recensetur Antichristi, hominis peccati, adventus.**

4. — **Prob.** — Huiusmodi signum, quod expresse recenset S. Paulus, cum ait [1]: *Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati,* etc., praecipue ponitur propter Iudaeorum incredulitatem, eorumque qui cum illis conveniunt in reiicienda Domini Nostri Iesu Christi vivifica missione. Cum enim ad Dei generalem providentiam pertineat ut sinat suis operibus, quae bona sunt, opera mala, boni speciem praeseferentia, opponi, sicut universaliter fieri videmus in omnibus quae ad vitam supernaturalem pertinent [2], propterea mirandum non est, si adventui Christi Domini, qui caput est omnium bonorum, opponendus sit adventus hominis nequam, qui caput erit omnium malorum [3].

Ponitur autem Antichristus adventurus sub finem mundi, quo videlicet tempore inter civitatem boni et civitatem mali bellum ultimo gerendum est ceteris acrius, a quo

1. 2 Thess., l. cit. 3. — 2. Sic Apostolorum praedicationem olim Simon Magus imitari conabatur; sic Ecclesiae ritus hodiedum a Massonum secta impudenter referri videmus; pariter cernere est in spiritismi exercitationibus quamdam christianae doctrinae deturpatam imaginem. — 3. Quo sensu Antichristus possit dici caput omnium malorum, exposuimus, duce S. Thoma, in TR. DE INCARNATIONE VERBI, Quaest. VIII, art. 8. Vol. I, p. 392.

finalis victoria pendebit: quo quidem casu solent pugnantes ultimas exerere vires: nihil autem fortius fingi potest pro diabolico exercitu, quam ut ducem constituat qui nedum Christi adventum imitari, verum etiam illius virtutes atque operationes superare videatur.

5. — **Antichristi origo.** — Porro, cum ad hoc Antichristus adventurus ponatur, ut Messiae a Iudaeis reprobati, locum assumat, mirandum non est si passim a Patribus et ecclesiasticis scriptoribus exhibeatur tanquam ex Iudaeorum gente oriturus et quidem ex tribu Dan atque humillimo loco [1]; qui etiam praedicitur in sua nativitate, infantia atque conversatione ea relaturus, quae de Christo in Scripturis Sanctis referuntur, quo facilius a Iudaeis tanquam verus Messias recipiatur [2].

6. — **Antichristi superbia.** — At licet plura quae ad Christum referuntur, in Antichristo sint verificanda, tamen simul ille inde a teneris annis nequissimum sese exhibebit ac moribus perditum; at praecipue maxima tumescet superbia, unde gloria atque dominandi cupiditate abreptus, necnon divitiis potentissimus, ducem sese statuet novae cuiusdam religionis, cuius tessera erit adeptio bonorum huius mundi ac fruitio terrenarum voluptatum, sublata crucis humilitate et abnegatione propriae voluntatis. Hinc, quemadmodum ex Scripturis colligi datur [3], primum per fraudes dolosque ducem se ac principem Iudaeorum genti constituet; tum plura regna vel armis vel pecunia devincet, donec, subactis eorum regibus, monarcha totius orbis quodammodo sit evasurus.

1. Cf. Bellarmin., *de Roman. Pontif.*, l. III. Cf. supra, art. praec. n. 5. — 2. Videsis, lector, conspectum prophetiarum Christum respicientium in cit. tr. de Incarnatione. Vol. I, pp. 56, seq. — 3. Cf. Dan., VII, 24; XI, 21, 42, 43; Apoc., XVII, 12, 13; Ibid., XX, 71, etc.

7. — **Qualis futura sit Antichristi opera.** — Quid autem praestiturus sit Antichristus, clare describitur in Daniele [1] ubi de eo, sub nomine bestiae, dicitur quod *sermones contra Excelsum loquetur et sanctos Altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu eius usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Cui simile exhibetur in Apocalypsi [2]: *Et datum est ei os loquens magna et blasphemias, et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.*

Vires autem suas Antichristus in hunc finem exeret, ut loco doctrinae Christi suam substituat sententiam, de perfecta felicitate in ordine naturali, contempta vel neglecta felicitate supernaturali, assequenda: pro quo securius inculcando, primum se finget tanquam a Deo missum, tum abiecta larva, Dei personalis existentiam cultumque abiicet, agnita ac praedicata quadam forma cuiusdam subtilioris pantheismi, naturae scilicet cuiusdam indefinite sese evolventis.

Ad hanc autem pestilentem sententiam tutius disseminandam, tum diris persecutionibus saeviet in christianos, tum mira plura, magica arte vel daemonis adiutorio, ad populos seducendos, patrabit, iuxta illud [3]: *Cuius* (Antichristi) *est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt* [4]. Et quidem tantum erit tunc perversionis periculum, ut, teste Domino Nostro [5], *nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos quos elegit, breviavit dies* [6].

Perversam vero hanc operam Antichristus in tantum exercere poterit, in quantum influxum diaboli recipiet;

1. VII, 25, seq. — 2. XIII, 5. — 3. 2 Thess., II, 9, 10. — 4. Cf. Marc. XIII, 22. — 5. Marc., XIII, 20. — 6. Cf. Matth., XXIV, 24; 2 Thess., II, 9; Apoc., XIII, 13-15.

unde a S. Hieronymo appellatur *unus de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter* [1]; non quasi physica obsessione ab eo habitualiter occupetur, secus enim perversae illae actiones non eius, sed possidentis diaboli essent, nec quasi in eo diabolus incarnetur, cum impossibile sit alium praeter Deum incarnari, sed quia plenius omnibus in eum diabolus malitiam influet.

8. — **Character Antichristi.** — Sed nec silendum communem esse sacrorum scriptorum sententiam, Antichristo proprium futurum esse characterem, quem ille eiusque sequaces in manu aut fronte circumferet, quo facilius agnosci possit: quo quidem faciunt sequentia verba [2]: *Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis eius.*

Re quidem vera, quemadmodum consueverunt ethnici gestare manu vel fronte impressum nomen aut symbolum illius idoli cui sese devoverant [3]; ita Antichristi sequacibus commune erit signum quo se invicem agnoscant, ac a suis benefactis, imo a communione necessariorum vitae illos arceant, qui secum sentire renuerint: quod quidem olim sub Diocletiano factitum legimus, cum crudelissimo edicto prohibuit ne quidpiam christianis aut venderetur aut ullimode subministraretur, nisi prius illi incensum idolis obtulissent.

Feralem igitur hanc legem laturus est novissimus tyrannus Antichristus: qua quidem in re praecursores et protestantes et liberos muratores habet, quos quotidie videmus officiorum ac munerum civilium subtractione christifide-

1. In Danielem, c. VII, 8. t. V. col. 667. — 2. Apoc., XIII, 16, 17.
3. Cf. 2 Mach., II, 21; S. Gregor. Magn., Ep. 100. 103.

les ad apostasiam adigere. Quocirca huiusmodi character non solum spiritualiter seu tanquam interior forma intelligendus est, scilicet pro obstinata malitia; sed etiam materialiter, seu pro exteriori aliquo signo, ut est professio illiciti cultus, adhibitis quibusdam specialibus notis, quibus illi internosci valeant [1].

**9. — Nomen Antichristi.** — Quod attinet ad proprium nomen Antichristi, explicita sunt verba Apocalypsis [2]: *Qui habet intellectum, computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est; et numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Scilicet, proprium Antichristi nomen, ut Patres et sacri interpretes docent, litteris constabit quae, tanquam signa numerica acceptae, praedictum numerum constituent: qua autem lingua hoc erit, incertum est, licet probabiliter dici possit hoc esse lingua graeca, qua S. Ioannes Apocalypsim conscripsit. Quia vero multis modis litterae, ex quibus numerus ille constat, ad invicem componi possunt, hinc vane nomen hoc quis deprehendere conaretur, nisi accedentibus iam aliis signis, ex huius nominis adinventione, argumentum desumat ad sedulius vitandas malas illius nequissimi hominis artes [3].

**10. — Scholion.** — Da hoc nomine placet sequentia, a Menochio dicta, referre [4]: *Multi multa nomina excogitarunt, quae illum numerum adaequate continerent. Verum quia incertum est an Antichristus graeca lingua, litteris et numeris usurus sit, an hebraicis; rursus, quia incertum est an tres tantum futurae sint litterae et notae hoc nomen conficientes, quarum prima significet sexcenta, secunda sexaginta, tertia vero sex, an*

1. Cf. 3, Quaest. LXIII, art. 3, ad 3m. — 2. XIII, 18. — 3. In graeco, tres litterae χ, ξ, στ, hunc numerum efformant, qui latine redditur DCLXVI: at quo ordine sunt hae litterae collocandae? Cf. VIGOUROUX, Le Manuel Biblique. Nouveau Test., Vol. IV, n. 926. — 4. Comment. in h. l.

*vero plures, quae tamen simul iunctae faciant eamdem summam, tota res est semper incerta.* Ceterum, prae mente retinenda sunt verba S. Irenaei, ubi de prophetiis agens, ait[1]: *Omnis prophetia, priusquam habeat effectum aenigmata et ambiguitates sunt hominibus. Cum autem venerit tempus, et evenerit quod prophetatum est, tunc prophetiae habent liquidam et certam expositionem*[2].

**11. — Ingens bellum contra Christum et Ecclesiam.** — Denique hic opportune advertetur, ingens illud bellum, ab Antichristo contra Ecclesiam eiusque caelestem fundatorem excitatum, ab innumerabili hominum multitudine, qui ab illo seducentur, gestum iri, diabolo id acrius suadente: de qua re explicita manent Scripturae testimonia; sic quippe legimus[3]: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo; et exibit et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris; et ascenderunt super latitudinem terrae, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam,* id est Ecclesiam. Ubi secundum probabiliorem interpretationem, per Gog ipsemet Antichristus, per Magog vero illius exercitus designantur[4]. — At in hoc, sicut in multis quae ad Antichristi personam attinent, recolendum est plura prorsus incerta manere: unde huc facit sapiens monitum S. Augustini[5]: *Alius sic, alius sic, Apostoli obscura verba coniectant, quod tamen eum dixisse non dubium est, non veniet ad vivos et mortuos iudicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos ad-*

1. Contra Haeres., l. IV, c. 26. col. 262. — 2. De nomine 666 videri potest Martinus Wouters, O. S. A, Dilucidation. selectarum S. Script. Quaest., t. II, p. 609, Patavii, 1778: qui tamen negat hoc esse Antichristi nomen proprium. — 3. Apoc., XX, 7, 8. — 4. Cf. Ezech., XXVIII, 2, seqq.; XIX, 1, seqq. — 5. L. XX De Civ. Dei, c. 19 t. VII. col. 589.

*versarius eius Antichristus, quamvis ad occultum iam iudicium Dei pertineat, quot ab illo seducentur.*

**12. — Antichristi praecursores.** — Quomodo autem iam Antichristi praecursores illius adventum praeparent, non obscure declarabat non ita pridem Pius X, scribens [1]: *Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve* FILIUS PERDITIONIS, *de quo Apostolus loquitur, iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis, pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere, delere prorsus praefracte contenditur. E contra, quae secundum Apostolum eumdem propria est Antichristi nota, homo ipse temeritate summa in Dei locum invasit, extollens se* SUPRA OMNE QUOD DICITUR DEUS, *usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, eius tamen maiestate reiecta, adspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit, a ceteris adorandus:* IN TEMPLO DEI SEDEAT, OSTENDENS SE TANQUAM SIT DEUS.

## ARTICULUS V. — *Utrum adventus Henoch et Eliae finem mundi praecedere et praenuntiare debeat.*

**1. — Sanctorum bella adversus Antichristum.** — Quam acre futurum sit Antichristi bellum adversus Dominum Nostrum eiusque Ecclesiam, diximus articulo praecedenti; at silendum non est plures sanctos viros, inspirante Deo, tunc surrecturos, sicut olim Elias, qui

1. Encycl. *E Supremi*, 4 Oct., 1903.

zelo zelaturi sint pro Domino Deo exercituum [1]. Qui quidem suo valore insignem obtinebunt de hostibus victoriam, quemadmodum praedictum legimus in Daniele [2]: *Et iudicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni quae est subter omne caelum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient.* Hanc autem victoriam sancti obtinebunt per gratiam Domini Nostri, iuxta illud [3]: *Quem* (Antichristum) *Dominus Iesus interficiet spiritus oris sui, et destruet illustratione adventus sui.*

**2.** — **Ratio articuli.** — Porro, ex traditione accipimus, duos potissimos duces Sanctorum in illo bello futuros esse, Henoch et Eliam, a Deo vivos mirabiliter servatos [4]: quocirca pronum est ut hic de eorum adventu in fine mundi atque operatione in gratiam fidei, sermo, auro veritatis ab incertae fabulae scoria sedulo purgato, instituatur. — Ubi prius reiiciendam monemus, quam refert Lactantius [5] quorumdam opinionem, scilicet reservatum ad ultima tempora fuisse Neronem, tanquam tunc pro eversione Ecclesiae, contra Henoch et Eliam debellaturum.

**3.** — PROP. — **Ante finem mundi Henoch et Elias venturi sunt, contra Antichristum fortiter pugnaturi.**

**4.** — **Auctoritas.** — Veritas haec, unanimi Patrum consensu suscepta, legitur his verbis [6]: *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta* (quo scilicet tempore Antichristus nefastam suam operam exercebit), *amicti saccis... Et cum finierint testimonium*

1. 3 Reg., XIX, 10, 14. — 2. C. VII, 26, 27. — 3. 2 Thess., II, 8. — 4. Cf. supra, Quaest. I, art. 1, n. 8, p. 16. — 5. L. De mortibus persecutorum, II. — 6. Apoc., XI, 3, seq.

*suum, bestia quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos... Et post dies tres et dimidium, spiritus vitae a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos.*

5. — **Ratio theol.** — Huius autem rei ratio haec potest assignari, videlicet, congruum esse ut Christi divinitati testimonium a cuiusvis conditionis hominibus feratur. Igitur in Nova quidem Lege splendidum ei testimonium fert candidatus martyrum exercitus; in Veteri autem Lege testimonium ei tulerunt patriarchae et prophetae, sed tamquam venturo Messiae: unde aliud non restat, nisi ut eidem iam incarnato aliquis ex insignioribus patriarchis, scilicet Henoch, necnon aliquis ex maioribus prophetis, nempe Elias, uterque a morte miraculose exemptus, praeclarum testimonium perhibeat de eius divinitate atque opere redemptivo. Et ille quidem potissime ethnicis, hic vero Iudaeis poenitentiam praedicaturus est.

6. — **Quaestio I.** — *Utrum de fide sit Henoch et Eliam sub finem mundi venturos esse?*

*Responderi* potest cum Suarezio [1], assertionem hanc aut de fide esse, aut certe fidei valde proximam; quia etsi Sacrae Scripturae verba parum subobscura sint, nec horum duorum virorum nomina in citato textu expressa inveniantur, tamen cum omnes sive Patres, sive Doctores, qui hunc locum commentati sunt, illum de reditu Henoch et Eliae sint interpretati, hinc stante huiusmodi traditionis concordia, non est unde huic veritati fidei dogmatis valor denegetur. — *Ceterum,* ait Tertullianus, loquens de duobus istis viris [2], *morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo exstinguant.* Similia habent S. Irenaeus [3], S. Hilarius [4], S. Ephrem Syrus, S. Ambro-

1. In 3m P, t. II, Disp. LV, Sect. 3. — 2. L. de Anima, c. 50. — 3. L. IV Adv. Haeres. — 4. In S. Matth., c. 20.

sius[1], S. Augustinus[2], S. Gregorius Magnus[3], necnon S. Ioannes Damascenus[4]. Prae ceteris digna sunt quae citentur verba doctoris Hipponensis[5]: *Vivunt,* ait, *Henoch et Elias; translati sunt, ubicumque sint, vivunt. Et si non fallitur quaedam ex Scriptura Dei coniectura fidei, morituri sunt. Commemorat enim Apocalypsis quosdam duos mirabiles prophetas, eosdemque morituros, et in conspectu hominum resurrecturos, et ascensuros ad Dominum, et intelliguntur ipsi Henoch et Elias, quamvis illic nomina eorum taceantur.*

7. — **Quae de Henoch et Elia in S. Scriptura leguntur.** — Ceterum nonnulla sunt quae de Henoch et Elia expresse leguntur. Scilicet de illo dicitur[6]: *Ambulavit cum Deo* (Henoch), εὐηρεστήσεν τῷ Θεῷ, *et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Ubi, contra Iudaeos, contendentes hic agi de morte Henoch a Deo illata, advertimus quod etsi hebraica vox נִשָׂא hunc sensum aliquando habeat, apud Septuaginta tamen ponitur μετατέθεικεν, quod est *transtulit,* qua voce utuntur auctor Ecclesiastici necnon S. Paulus, ut infra patebit. Ceterum, hoc idem verbum נִשָׂא ponitur in narratione raptus Eliae. Igitur de eodem Henoch rursus dicitur[7]: *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam;* et iterum[8]: *Nemo natus est in terra qualis Henoch, nam et ipse receptus est a terra;* denique[9]: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.*

De Elia vero haec habentur[10]: *Ascendit Elias per turbinem in caelum;* et rursus[11]: *Et surrexit Elias*

1. L. I de Poenit., C. VIII, n. 34. t. IV, col. 521. — 2. L. I de Pecc. meritis; l. VI contra Iulian. — 3. Homil. XXIX. — 4. De fide orthod., l. IV, c. 26. — 5. Sermo CCXCIX, n. 11 t. V, col. 1217. Cf. etiam de Civ. Dei, l. XX, c. 19, ubi ad populi christiani fidem S. Doctor patenter appellat, t. VII, col. 613. — 6. Gen., V, 24. — 7. Eccli., XLIV, 16. — 8. Ibid., XLIX, 16. — 9. Hebr., XI, 5. — 10. 4 Reg., II, 11. — 11. Eccli., XLVIII. 1, 13.

*propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat... Elias quidem in turbine tectus est;* et iterum [1]: *Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in caelum.* Denique, de eius assumptione aut futuro adventu sermo pluries recurrit in Evangelio [2]; unde et rite concluditur persuasionem hanc, tempore Domini Nostri, penes Iudaeos communem extitisse.

**8. — Quaestio II.** — *Utrum Henoch et Elias nunc in paradiso terrestri commorentur?*

*Resp.* Negative, cum paradisus terrestris, in quo positus fuit Adam, subversus manserit in universali diluvio. — Nec obstat superius citatus locus [3]; nam verba *in paradisum* in textu graeco desiderantur, et aliunde paradisus hic dici potest positus pro caelo. Sed nec valet in contrarium auctoritas S. Thomae, cum ille rem non definiat, sed potius tanquam probabilem sententiam ex aliorum mente exhibeat; ait enim [4]: *Elias sublevatus est in caelum aëreum, non autem in caelum empyreum, qui est locus Sanctorum; et similiter etiam Henoch raptus est ad paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi* [5]. Ceterum, cum Scriptura locum siluerit ubi duo isti viri nunc asservantur, tutius est de hoc nihil decernere, ut monent S. Augustinus [6], S. Ioannes Chrysostomus [7], necnon Theodoretus [8]. — Igitur dicendi sunt duo hi fidei praecones in aliquem superiorem locum assumptos a Deo, ibi miraculose conservari, ut sub fine mundi veritati Incarnationis Christi, sanguinis eius virtute, testimonium perhibeant. Sunt autem, etsi adhuc in carne viventes, in gratia con-

1. 1 Mac., II, 58. — 2. Cfr. Matth., XI, 14; XVII, 11; XXVII, 49, etc. — 3. Eccli., XLIV, 16, n. praec. — 4. 1 2ae, Quaest. XLIX, art. 5, ad 2m. — 5. Cf. 1, Quaest. CII, art. 2, ad 3m. — 6. L. II de Pecc. orig. — 7. Homil. XXI in Gen. — 8. Homil. XLV in Gen.

firmati; unde in Ecclesia tanquam sancti honorantur, licet nondum sint visione beatifica glorificati [1].

**9. — Prophetia Henoch.** — Hic autem recensuisse iuvabit celebrem prophetiam Henoch, ab Apostolo Iuda, in sua epistola canonica, relatam his verbis [2]: *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctibus millibus suis, facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris quae locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Quae quidem verba, ob Apostoli Iudae, ea referentis, infallibilem auctoritatem, tanquam sub inspiratione olim prolata, ultro suscipimus; quin tamen propterea librum ipsum ab illo patriarcha inscriptum, scilicet librum Henoch, in quo etiam illa prophetia refertur, tanquam authenticum suscipiamus. Licet enim hic liber in apocrypho testamento duodecim prophetarum, necnon a pluribus inter Patres, ut Iustino, Irenaeo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Athenagora, Cypriano, Lactanctio, Minutio Felice, Ambrosio, aliisque citetur vel laudetur, tamen inepta plura continet, quae libro inspirato prorsus indigna inveniuntur; aliunde Patres illi, uno excepto Tertulliano, de illius genuinitate dubium movent. Sed nec illis subscribendum est, qui epistolam Iudae propterea reiiciunt, *quia,* ut testatur S. Hieronymus [3], *de libro Henoch, qui apocryphus est, assumit testimonium:* non

1. In Martyrologio Romano fit commemoratio de S. Elia propheta die 30 Iulii. In Carmelitarum ordine, ex indultis Gregorii XIII aliorumque Pontificum, recitatur officium S. Eliae. Cf. Bened. XIV, De beatific. et Canon. SS., l. IV, c. 29. Censent nonnulli, Salvatorem nostrum redivivum, antequam caelum conscenderet, partim cum Henoch et Elia, in illo loco ubi isti conservantur, commoratum fuisse, ut illos edoceret qualiter in fine mundi contra diabolum sint pugnaturi. — 2. Iud., 14, 15. — 3. Catalog. Script., c. IV. t. II, col. 833.

enim Apostolus ille ex huius patriarchae scriptis, sed ex eius dictis, fideliter in traditione conservatis, praedictum testimonium profert.

**10. — Missio Eliae.** — Quod autem ad Eliam pertinet, eius missio atque missionis scopus apertissime declarantur apud Malachiam his verbis [1]: *Ecce ego mittam vobis Elias prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate;* ex quo habemus, cohaerenter iis quae scribit S. Paulus [2], et quae superius posuimus [3], Eliam zelo suo non solum miseros Iudaeos ad fidem Christi reducturum, verum etiam mores ac disciplinam populi christiani instauraturum, iuxta illud Domini Nostri [4]: *Elias venturus est, et restituet omnia:* unde in fine temporum iterum florebit in Ecclesia Christi antiquus pietatis splendor.

**11. — Christi insignis victoria.** — Qualis autem futurus sit finalis huius acris belli exitus, non obscure significat S. Ioannes [5]: *Et descendit ignis a Deo de caelo, et devoravit eos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum:* id est, ignis divinus, tanquam caeleste fulmen, divinae vindictae instrumentum, omnes Christi inimicos devoraturus est; et Lucifer, qui eos evocarat atque seduxerat, remittendus est in locum suum, id est, in stagnum igneum et sulphureum, Antichristo paucis ante diebus e vivis sublato [6]; unde una tandem erit militantis Ecclesiae vox: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat!*

1. C. IV, 5, 6. — 2. Rom., XI, 25, seq. — 3. Art. 2, n. 4. — 4. Matth., XVII, 11. — 5. Apoc., XX, 9, 10. — 6. Tirin., in h. l.

ARTICULUS VI. — *Utrum universalis naturae perturbatio annuntiare debeat proximum mundi finem.*

**1. — Ratio articuli.** — Ex Sacra Scriptura perspicue colligitur, adventante mundi fine, extraordinarios quosdam eventus, tum in civili societate, tum in physica natura, accidere debere, quibus proxima saeculi consummatio et supremi iudicis adventus indicentur. Qui quidem eventus ad quatuor capita facile reduci possunt: nempe, primo, erunt bella inter populos; secundo, fames, pestilentiae et terremotus; tertio, solis, lunae ac stellarum obscuratio; quarto demum, commotio virtutum caelorum. Quae omnia sequentibus locis comprehenduntur [1]: *Audituri estis praelia et opiniones praeliorum. Videte ne turbemini: oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentia, et fames, et terremotus per loca: haec autem initia sunt dolorum.* Rursus [2]: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae.* Denique: [3] *Erunt signa in sole, luna et stellis, et in terris pressura gentium, prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi; nam virtutes caelorum commovebuntur.*

**2. — PROP. — Congrue assignatur, tanquam indicium novissimi adventus Christi, multiplex societatis ac naturae perturbatio.**

**3. — Prob.** — Per insolitas atque terribiles commotiones in civili societate, et per phaenomena omnino ex-

1. Matth., XXIV, 6, seq. — 2. Ibid., 29, 30. — 3. Luc., XXI, 25, 26.

traordinaria atque terrifica in mundo visibili, solent homines ex torpore ad maiorem de Deo rebusque divinis sensum excitari. Atqui consonum est ut, Christo iamiam adventuro ad homines finaliter iudicandos, hi ex torpore excitentur, ac vivum de Deo divinisque iudiciis sensum percipere incipiant. Ergo convenienter assignatur, tanquam novissimi adventus Christi indicium, multiplex societatis atque naturae physicae perturbatio.

Porro, cum non eodem modo omnes isti eventus mundi finem designaturi sint, hinc pauca de singulis, praeclaros commentatores secuti, opportune subnectemus.

4. — **Bellorum incursus.** — Quod attinet ad primum signum, scilicet bella inter gentes et regna, dicendum est huiusmodi non exclusive pertinere ad mundi consummationem, cum referri utique hoc signum possit ad ipsum populum iudaicum, in quo, sub Caio imperatore, seditiones, civilia bella atque strages multae locum habuerunt, de quibus disserunt Iosephus et Philo. At, instante iam mundi fine, refrigescente hominum charitate, acrius bella gerentur, eaque intestina; unde ex frequentibus ac acerbis hominum litibus deduci poterit instare proximam elementorum mundi dissolutionem.

5. — **Fames, pestilentiae et terremotus.** — Hi quoque eventus non proprie ponuntur ad praesignandum proximum mundi finem, cum legantur quovis tempore advenisse, et praecipue temporibus Claudii ac Neronis; at ad secundum Christi adventum propius pertinebunt. quando in poenam peccatorum mundi, famem Deus immittet in terram, cui naturaliter succedet pestis, ac magnis terraemotibus homines affligentur. Qui quidem eventus, etsi utique secundum leges physicas naturaliter producantur, a Deo tamen aeternaliter ordinati sunt ad specialem finem obtinendum, qui est hominum conversio, sicut videmus in magnis calamitatibus homines ad poe-

nitentiam atque ad divinum auxilium postulandum promptius confugere [1].

6. — **Obscuratio solis et lunae.** — Circa hoc phaenomenon, opportune monet S. Thomas [2], quod si sermo sit de ipso momento adventus Christi, sic non est credibile quod huiusmodi astra obscurabuntur sui luminis privatione, quia totus mundus innovabitur, Christo veniente et sanctis resurgentibus. Si autem de eisdem sermo sit secundum tempus propinquum ante iudicium, sic esse poterit quod sol et luna et alia caeli luminaria sui luminis privatione obscurabuntur, vel diversis temporibus, vel simul, hoc divina virtute faciente ad terrorem hominibus incutiendum, quemadmodum de sole constat factum esse tempore dominicae passionis.

Nec obstat quod lux corporum caelestium ordinatur ad generationem inferiorum corporum per influxum quem in haec corpora exercet: circa iudicium vero cessabit generatio, unde videretur concludendum solem et et lunam, adveniente Domino, secundum veritatem obscurari debere. Hoc, inquam, non obstat: quandoquidem lux est in corporibus caelestibus non solum ad causandam generationem in istis inferioribus, sed etiam ad eorum perfectionem atque decorem; unde, concludit S. Thomas [3], non oportere quod, cessante generatione, lux corporum caelestium cesset, sed magis augeatur.

7. — **Commotio virtutum caelorum.** — Denique, circa id quod in Evangelio ponitur: *Virtutes caelorum commovebuntur*, sciendum est duplicem poni explicationem: nimirum, recentiores interpretes cum Knabenbauer [4], volunt illis verbis significari mutationem orbium viriumque caele-

1. Haec dum typis mandamus, aures nostrae adhuc tinniunt horrendo strepitu universalis belli, cui simile mundus antea non viderat, quodque infinitorum malorum caterva comitata est. - 2. Supplem., LXXIII, art. 2. — 3. Loco cit., ad 2m. — 4. Comment. in h. l. S. Lucae.

stium a pristina sua conditione, concussa et permutata tota machina caelesti; antiquiores vero, cum S. Thoma, per virtutes caelorum intelligi volunt angelos, sive omnes, sive specialem eorum ordinem qui praecise *virtutes* vocantur.

Igitur, priori sensu, dicuntur moveri omnes angeli propter admirationem novitatis quae in mundo erit: quandoquidem admiratio solet esse de his quae nostram cognitionem vel facultatem excedunt; et secundum hoc virtutes caelorum, seu angeli omnes, admirabuntur divinam virtutem talia facientem, in quantum ab eius imitatione et comprehensione deficiunt; per quem modum dixit beata Agnes quod *eius pulchritudinem sol et luna mirantur* [1].

Si autem nomen virtus sumatur prouti uni ordini appropriatur, tunc dupliciter potest exponi, secundum quod diversimode hoc nomen accipitur a S. Gregorio et a S. Dionysio. Nam, secundum S. Gregorium, virtutes sunt supremus ordo infimae hierarchiae, eisque attribuitur miracula facere; unde moveri dicuntur, in quantum maxime circa illud tempus miracula patrabunt. Secundum S. Dionysium vero, virtutes sunt medius ordo in secunda hierarchia, qui cum potentia illimitata gaudeat, ministerium habet circa causas universales. Unde, secundum hanc considerationem, *proprium officium virtutum*, ait S. Thomas [2], *esse videtur corpora caelestia movere, quae sunt causa eorum quae in natura inferiori aguntur; et hoc etiam ipsum nomen sonat, quia* VIRTUTES CAELORUM *dicuntur: tunc ergo movebuntur, quia ab effectu suo cessabunt, ulterius corpora caelestia non moventes; sicut nec angeli, qui sunt ad custodiam hominum deputati, ulterius custodiae officio vacabunt.*

1. Supplem., Quaest. cit., art. 3, ad 2$^{m}$. — 2. Loco cit., corp. art.

## ARTICULUS VII. — *Utrum ignis ultimae conflagrationis iudicium praecedere debeat.*

**1. — Mundi finalis purgatio.** — Cum mundus sit propter hominem factus, necesse est ut, quando homo secundum corpus glorificabitur, aliae quoque mundi partes ad meliorem statum immutentur, ut sit et locus convenientior, et adspectus delectabilior: unde necesse est omnem immunditiam a mundo materiali removeri. Duplex autem immunditia in rebus corporalibus potest distingui: una quae est corruptio proveniens a contrariis dispositionibus, et hanc oportet tolli ab elementis, antequam in novitatem gloriae adducantur, sicut etiam ab ipso hominis corpore in resurrectione removebitur. Altera est infectio culpae; non quasi res corporalis subiectum culpae esse valeat, sed quia ex culpa incongruitas quaedam in rebus corporalibus relinquitur ad hoc quod spiritualibus dedicentur, unde etiam videmus quod loca, in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua sacra in eis exercenda, nisi purgatione praemissa. Igitur, ex hoc capite, illa mundi pars, quae in usum nostrum cedit, recipit ex peccatis hominum aliquam inidoneitatem ad gloriae susceptionem: unde quantum ad hoc mundatione indiget. Quocirca oportet elementa mundi in fine purgari, ad hoc quod decenter suscipiant novitatem gloriae [1]; unde S. Ioannes in Apocalypsi ait [2]: *Vidi caelum novum et terram novam: primum enim caelum et prima terra abiit, et mare iam non est. — Non dixit mare novum futurum,* commentatur Estius [3], *quia mare non nude significat aquae elementum, sed simul importare videtur quod sit crassum, salsum, turbidum, inquietum: quae qualitates post hoc saeculum non*

1. S. Thom., Supplem., Quaest. LXXIV, art. 1. — 2. XXI, 1. — 3. In h. l.

*erunt*[1]. — *Erit exinceps* (mare) *plane quietum,* ait Tirinus[2], *tranquillum, serenum, purum, subtile, pellucidum, et instar crystalli resplendens.*

2. — **Mundus purgabitur per ignem.** — At ulterius notandum, illam mundi purgationem, qua removebitur a mundo impuritas commixtionis necnon infectio ex culpa relicta, et quae erit dispositio ad gloriae perfectionem, per ignem, qui maximam habet efficaciam ad purgandum et ad dividendum subtilizando, complendam fore, iuxta illud S. Petri[3]: *Caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent*[4]. Complebitur autem fere in instanti huiusmodi conflagratio; et praecipue ad hoc ordinabitur, ut a sanctorum habitatione removeatur quidquid imperfectionis est, unde manebunt elementa quantum ad substantiam et qualitates eorum proprias, sed purgabuntur tum ab impuritate quae per actionem et passionem mutuam in eis accidit, tum ab infectione quam ex peccatis hominum contraxerunt: aliunde, cessante iam motu caeli, mutua actio et passio in elementis inferioribus amplius non erit: seu cessabunt innaturales dispositiones elementorum, secundum quas corruptioni appropinquant[5]. Sic enim scriptum est[6]: *Adveniet autem dies Domini ut fur; in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.*

3. — PROP. — α) **Ignis ultimae conflagrationis, quoad purgationem mundi, iudicium praecedet;** β) **sed quoad aliquem actum, qui est involvere malos, iudicium subsequetur.**

1. Cf. Supplem., loc. cit., art. 5, ad 2m. — 2. In h. l. Apoc. — 3. 2 Ep., III, 12. — 4. Supp. Quaest. LXXIV, art. 2. — 5. Ibid., art. 5. — 6. 2 Pet., III, 10.

**4. — Exponitur 1ª Pars.** — Quod praedicta conflagratio, quantum ad sui initium, iudicium praecedere debeat, ex hoc manifeste colligi potest, quod resurrectio mortuorum iudicium praecedet, ut patet ex S. Paulo [1], ubi dicit quod illi qui dormierunt rapientur in nubibus in aera obviam Christo ad iudicium venienti. Atqui simul erit resurrectio communis et corporum sanctorum glorificatio: sancti enim resurgentes corpora gloriosa resument, ut patet per illud [2]: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Porro, simul ac corpora sanctorum glorificabuntur, tota etiam creatura suo modo renovabitur, ut patet per illud quod dicitur [3], quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Cum ergo conflagratio mundi sit dispositio ad renovationem praedictam, manifeste colligi potest quod ista conflagratio, quoad mundi purgationem, iudicium praecedet [4]; unde scribitur [5]: *Ignis ante ipsum praecedet.*

**5. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti verba Apostoli, ubi ex persona eorum quos Dominus ad iudicandum veniens vivos reperiet, dicit [6]: *Deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini,* etc.; quod non esset, si conflagratio mundi praecederet, quia per ignem dissolverentur, — *respondetur,* cum eodem Angelico [7], quod omnes homines morientur et resurgent; sed tamen illi dicuntur vivi reperiri, qui usque ad tempus conflagrationis vivent in corpore.

**6. — Exponitur 2ª Pars.** — Ignis ille finalis conflagrationis, ait iterum Angelicus [8], potest considerari vel quantum ad hoc quod iudicium praecedet, vel quantum ad actum quem post iudicium habebit. — Igitur, si con-

1. 1 Thess., IV, 16. — 2. 1 Cor., XV, 43. — 3. Rom., VIII, 21.
4. Supplem., Quaest. LXXIV, art. 7. — 5. Ps. XCVI, 3. — 6. 1 Thess., IV, 14. — 7. Ibid., ad 3m. — 8. Loco citato, art. 8, ad litt.

sideretur quantum ad hoc quod iudicium praecedet, ignis finalis conflagrationis aget ut instrumentum divinae iustitiae, et iterum per virtutem naturalem ignis: quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos et bonos qui vivi reperientur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo: inquantum vero aget ut instrumentum divinae iustitiae, diversimode aget in diversos, quantum ad sensum poenae. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, nullum omnino dolorem ex igne sentient; sicut nec pueri senserunt in camino ignis [1]: quamvis eorum corpora non servabuntur integra, sicut puerorum servata fuerunt; et hoc divina virtute fieri poterit, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporum patiantur. Boni vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus, pro meritorum diversitate [2].

Sed quantum ad actum, quem post iudicium ignis ille finalis conflagrationis habebit, in damnatos tantum aget, quia boni omnes habebunt corpora impassibilia. Quocirca ignis iste malos involvet, una cum igne inferni, qui ab initio mundi praeparatus est damnatis, ut sic iam isti, in fine mundi, duplici igne torqueantur. Nimirum, sicut gloria electorum post iudicium erit maior quam ante, ita et poena reproborum; et ideo sicut claritas superiori creaturae addetur ad augmentandam gloriam electorum, ita etiam

1. Dan., III, 50. — 2. *Obiicienti* huiusmodi resolutionem corporis sine dolore ad miraculum pertinere, quod supra in hac ultima conflagratione excludendum censuimus (Quaest. I, art. 1, n. 14, p. 23), *respondetur* aliud esse quod vivorum corpora per ignem non dissolvantur, ut ibi ponebatur, aliud vero quod in dissolutione nullum vel parvum dolorem corpora illa persentiant: et illud quidem secumfert, igni nullam prorsus inesse actionem, ideoque frustra, relate ad illos vivos, adhiberi, unde nec instrumenti ratio in eo salvatur; hoc autem sibi vult quod, dum ignis suam habet dissolvendi actionem, dolorem tamen vel omnino non causat vel minorem infligit, et sic vere fit instrumentum divinae potentiae, sicut ignis inferni.

quidquid est turpe in creaturis retrudetur in infernum ad augmentandum miseriam damnatorum; et ita igni damnatorum ab initio praeparato in inferno, non est inconveniens si alter ignis addatur [1]; ita ut in illa purgatione totum quod est foedum, ad locum damnatorum congregandum sit; unde infernus non purgabitur, sed ad ipsum deducentur totius mundi faeces, secundum illud [2]: *Faex eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terrae* [3]; e contra, quidquid erit pulchrum et nobile reservabitur in superioribus ad gloriam electorum.

7. — **Quaestio I.** — *Quomodo finalis illa conflagratio, quae in momento perficietur, sufficiet ad hoc ut illi qui invenientur vivi, in quibus erunt multa purgabilia, revera purgari possint.*

*Respondet* S. Thomas tres esse causas, quare subito illi, qui vivi reperientur, poterunt purgari. Una est, quia in eis pauca purganda invenientur, cum terroribus et persecutionibus praecedentibus fuerint purgati; secunda causa est, quia et vivi et voluntarii poenam sustinebunt; poena autem in hac vita voluntarie suscepta multo plus purgat, quam poena post mortem inflicta, sicut patet in martyribus, in quibus *si purgandum quid invenitur, passionis falce tollitur*, ut S. Augustinus dicit [4], cum tamen martyrii poena brevis sit in comparatione ad poenam quae in purgatorio sustinetur; tertia est, quia calor ille recuperabit in intensione quantum amittit in temporis brevitate [5].

8. — **Comparatio inter purgationem per aquam in diluvio universali, et purgationem per ignem in ultima conflagratione.** — Porro, quia Apostolorum Princeps comparationem instituit inter purgationem mundi per aquam diluvii, et finalem eiusdem purgationem per ignem

1. L. cit., art. 9, ad 3m. — 2. Ps. LXXIV, 9. — 3. Ibid., art. 6, ad 3m. — 4, Lib. de unico bapt. contra Petil., c. XIII, t. IX., col. 538. — 5. S., Quaest. LXXIV, art. 8, ad 5m.

ultimae conflagrationis [1], ideo non inutile erit hic breviter, ex S. Thoma, capita tum similitudinis tum dissimilitudinis inter utramque purgationem breviter expendere.

Et primo quidem, sicut aqua illa qua mundi sordes olim purgatae sunt, eiusdem speciei fuit cum aqua nostra naturali, ita etiam ignis ille, qui purgabit faciem mundi, erit eiusdem speciei cum igne qui est apud nos. — Nec obstat quod operationem habebit cuius ignis noster capax non est: hoc enim ex hoc procedet, quod ignis ille assumetur tanquam instrumentum divinae virtutis vel operationis [2]. — Ulterius advertetur quod caeli, qui per ignem purgandi dicuntur, sunt illimet qui prius per aquam diluvii sunt purgati, scilicet caeli aerei: quod ex S. Petro patet, qui cum prius de diluvio universali locutus fuisset, mox subdit [3]: *Caeli autem, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum* [4].

At differentia est inter modum quo mundus olim per aquam purgatus est, et modum quo illius purgatio, in fine temporum, per ignem complebitur. Nimirum, prima purgatio non respiciebat nisi infectionem peccati; praecipue vero tunc regnabat peccatum concupiscentiae; ideoque convenienter per contrarium purgatio facta fuit, scilicet per aquam. Sed secunda purgatio respicit et impuritatem commixtionis, et infectionem culpae, et quantum ad utrumque convenit magis quod fiat per ignem quam per aquam. Aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis congregandi; unde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non posset, sicut tollitur per ignem. Similiter etiam circa finem mundi regnabit vitium tepiditatis, quasi mundo iam senescente: unde tunc convenienter purgatio per ignem fiet [5].

1. 2 Pet., III, 6. seqq. — 2. S., loc. cit., art. 3, ad 2m. — 3. 2 Ep., III, 7. — 4. Cf. S., loc. cit., art. 4, ad 2m. — 5. Ibid. art. 2, ad 2m.

**9. — Quaestio II.** — *Utrum huiusmodi conflagratio sit eventura mediantibus causis secundis?*

*Resp.* Nihil obstat quin dicatur huic conflagrationi producendae secundas concurrere causas, utique sub ordine supremo divinae Providentiae omnia gubernantis, ut puta, subitam aliquam ac generalem eruptionem ignis subterranei, aut sideralem quamdam collisionem, terra vel sole cum uno alterove ex corporibus caelestibus, quae quaquaversum moventur, confligentibus [1]. S. Thomae autem magis placet ut dicatur finem mundi inter ea esse quae Deus operatur absque alicuius creaturae concursu, quasi soli eius potestati reservatum [2]. — Poterit forsan dubium solvi, dicendo quod, quemadmodum in origine mundi, ex actione causarum secundarum, materia praeparata est ut diversas vitae formas immediata Dei actione producendas susciperet, ita in fine ex earumdem causarum secundarum actione proveniet ignis ille qui mundum subito conflagrabit; sed quod ignis ille tam miros effectus, tanta varietate atque discretione, producat, hoc ex Dei immediata atque exclusiva operatione procedet.

## ARTICULUS VIII. — *Utrum certo sciri possit tempus ultimi adventus Christi.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum definita maneant signa finale iudicium praenuntiantia, videretur posse tempus adventus Domini Nostri cum certitudine dignosci: quod

1. Cf. KIRVAN, Comment peut finir l'univers, c. 1. *La rencontre d'un essaim d'uranolithes,* ait hic auctor, *ou d'une grande comète à noyau solide ou composee de gaz délétères, ou d'une nébuleuse formée de particules embrasées, ou d'un amas cosmique quelconque, suffirait à déterminer sur notre terre des commotions violentes capables soit de l'anéantir, soit d'y détruire la vie en révolutionnant complètement sa constitution physique.* Cf. ibid., c. 3, ubi auctor iuxta hanc hypothesim explicat citatum locum S. Petri. — 2. S., Quaest. LXXXVIII, art. 3.

tamen non ita compertum est, ut ex illis signis utcumque apparentibus, iam imminere finem mundi concludi tuto possit. Re quidem vera, concurrentibus omnibus hisce signis, potest utique tempus adventus Domini certitudinaliter dignosci, dicente Christo[1]: *Cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis;* at certe falleretur qui ex uno alterove signo praecipitanter concluderet adventasse iam rerum consummationem. Sit ergo

2. — PROP. — **Nemo certitudinaliter potest scire tempus adventus Domini Nostri.**

3. — **Prob.** — Haec veritas clare resultat ex ipsis verbis Christi[2]: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*[3]. — Nec audiendi sunt qui, uti advertit S. Augustinus[4], haec *sic accipiunt, ut putent se posse computare tempora, diem vero tantummodo ipsum et horam neminem scire,* cum nominibus diei et horae utatur Dominus Noster ad tempus adventus sui generatim designandum.

Huc quoque referri potest id quod Christus Dominus Apostolis respondisse legitur; qui cum eum interrogassent[5]: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel,* dixit eis[6]: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate;* quibus verbis Christus Apostolorum interrogationem evasit, simul indicans tempus secundi sui adventus, χρόνους ἢ καιροὺς, haudquaquam manifestari debere, seu, ut ait S. Augustinus[7], *omnium de hac re calculantium, digitos resolvit et quiescere iubet.* Licet dici etiam possit verba ista: *Tem-*

1. Matth., XXIV, 33. — 2. Marc., XIII, 32. — 3. Qua ratione dicat Christus Filium latere diem iudicii, diximus in tr. DE INCARNATIONE VERBI, Quaest. X, art. 2, n. 7. Vol. I. p. 427. — 4. Epist., CXCVII, n. 2. t. II. coll. 737. — 5. Act., I, 6. — 6. Ib., v. 7. Notandum. ly καιροὺς proprie significare *opportunitates temporum.* — 7. L. XVIII, de Civ. Dei, c. 53, n. 1. t. VII, col. 536.

*pora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate*, generaliorem sensum habere, nobis revelata non esse tempora opportuna quae Pater elegerit ad sua consilia exequenda.

**4. — Verba S. Thomae.** — Iuvat autem hic recitare verba quibus Angelicus Doctor praefracte excludit omnem de tempore finis mundi supputationem. *Quod enim*, ait ille, *Apostolis quaerentibus noluit indicare, nec aliis revelabit. Unde illi omnes qui tempus praedictum numerare voluerunt, hactenus falsiloqui sunt inventi. Quidam enim, ut Augustinus dicit*[1], *dixerunt ab ascensione Domini usque ad ultimum eius adventum quadringentos annos posse compleri; alii quingentos, alii mille: quorum falsitas patet; et similiter eorum qui adhuc computare non cessant*[2].

**5. — Rat. theol.** — Determinatus numerus futuri temporis sciri non potest, nisi vel per revelationem, vel per rationem naturalem. Atqui numerum illum Deus nobis revelare noluit, ut omnes semper solliciti sint et parati ad Christo occurrendum; similiter numerus ille cognosci non potest ratione naturali, quia ex motu caeli non potest cognosci finis eius, cum sit circularis, ideoque secundum naturam suam hoc habeat, ut in perpetuum possit durare[3]. — Quocirca, rite advertit S. Augustinus[4]: *Aetas ultima generis humani, quae incipit a Domini adventu, usque in finem saeculi, quibus generationibus computetur, incertum est;* et exemplum inducit de senectute, quae est ultima aetas hominis, nec determinatum habet tempus secundum mensuram aliarum aetatum, cum quandoque sola tantum teneat temporis, quantum omnes aliae

1. Loco prox. cit. — 2. 4, Dist. XLIII, Quaest, I, art. III, sol. II. — 3. Supplem., Quaest. LXXVII, art. 2. — 4. L. LXXXIII Quaest., q. LVIII, t. VI, col. 29.

aetates. Quod si Apostolis Dominus Noster tempus illud indicare noluit, certe nec aliis revelabit.

6. — **Solvuntur difficultates.** — I. In Apocalypsi [1] dicitur quod mulier, per quam Ecclesia significatur, *habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Atqui, per dies, anni significari videntur, iuxta illud [2]: *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Ergo ex Sacra Scriptura sciri potest determinate finis mundi.

*Resp.* Per illos mille ducentos sexaginta dies, ait Angelicus [3], significatur omne tempus quo Ecclesia durat, et non determinatur aliquis numerus annorum: et hoc ideo quia praedicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio; quod tempus fere continet aequalem numerum dierum numero praedicto: licet hoc etiam referri possit ad praedicationem Henoch et Eliae, ut supra dictum est [4].

II. Status novi Testamenti praefiguratus fuit in veteri Testamento. Atqui scimus determinate tempus in quo vetus Testamentum statum habuit. Ergo et potest sciri tempus determinate in quo novum Testamentum statum habebit.

*Respondet* iterum S. Thomas [5], quod quamvis status novi Testamenti in generali sit praefiguratus per statum veteris Testamenti, non tamen oportet quod singula respondeant singulis, praecipue cum in Christo omnes figurae veteris Testamenti fuerint completae; et ideo S. Augustinus respondet quibusdam qui volebant accipere numerum persecutionum quas Ecclesia passa est et passura sit, secundum numerum plagarum Aegypti, dicens [6]: *Ego, illa re gesta in Aegypto, istas persecutiones prophetice*

1. XII, 6. — 2. Ezech., IV, 6. — 3. S., Quaest. LXXVII, art. 2, ad 2m. — 4. Art. 5, n. 2. — 5. Loco cit., ad 3m. — 6. L. XVIII, de Civit. Dei, c. 52, n. 1, t. VII, col. 534, 535.

*significatas esse non arbitror; quamvis ab eis qui hoc putant, exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanae, quae aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.* — Et hic esse videtur error celebris abbatis Ioachim, qui per tales coniecturas de futura Ecclesiae sorte plura praedicare praesumpsit, in quo quidem, si quando ad verum pertigit, pluries tamen deceptus est [1].

III. Secundus Christi adventus respondet priori. Atqui sancti Patres sciverunt tempus primi adventus, sicut patet per numerum hebdomadarum qui in Daniele describitur [2]. Ergo nobis quoque esse debet determinatum tempus secundi adventus, quo Dominus ad iudicandum veniet.

*Resp.* In primo adventu, Christus venit occultus, iuxta illud [3]: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator;* et ideo, ut a fidelibus cognosci posset, oportuit tempus illius adventus praedeterminari: in secundo autem adventu, veniet manifeste, secundum illud [4]: *Deus manifeste veniet;* et ideo circa cognitionem adventus ipsius error esse non poterit [5].

**7. — Ex persecutionibus non satis dignosci potest tempus extremi iudicii.** — Porro, quoniam inter signa a Christo posita circa finem mundi, eminent ingruentes in Ecclesiam persecutiones, sedulo advertendum est cum S. Thoma, non satis ex eis determinari posse tempus extremi iudicii; quia ut ille acute argumentatur [6], illa pericula quae praenuntiantur, nuntiantia vicinum Christi adventum, etiam a tempore primitivae Ecclesiae fuerunt, quandoque intensius, quandoque remissius: unde et ipsi

1. Vide tr. DE SS.MA TRINITATE, Quaest. XXXIX, 7, n. 4, p. 341. — 2. IX, 2. — 3. Is. XLV, 15. — 4, Ps., XLIX, 3. — 5 Supplem., Quaest. LXXXVIII, art. 3, ad 1m. — 6. L., cit., ad 2m, ad litt.

dies Apostolorum dicti sunt novissimi dies, ut patet ex hoc ubi Petrus exponit illud verbum Ioël [1]: *Erit in novissimis diebus,* etc. pro tempore illo; et tamen ex illo tempore tempus iam plurimum transivit; et quandoque plures, quandoque pauciores tribulationes in Ecclesia fuerunt: unde non potest determinari, quantum tempus sit futurum, nec de mense, nec de anno, nec de centum, nec de mille annis, ut S. Augustinus expresse dicit [2]. Sed etsi credantur huiusmodi pericula magis in fine abundare, non potest tamen determinari quae sit illa quantitas periculorum, quae immediate diem iudicii praecedet vel Antichristi adventum, cum etiam circa tempora primitivae Ecclesiae fuerint persecutiones aliquae adeo graves, et corruptiones errorum adeo abundantes, quod ab aliquibus tunc vicinus expectaretur vel imminens Antichristi adventus; sicut dicitur in Ecclesiastica historia [3], et in libro S. Hieronymi de *Viris illustribus* [4]. Huic Angelici Doctoris animadversioni mentem applicent, qui circa tempus quo mundus desiturus sit aequo libentius divagantur.

**8. — Scholion.** — Quod attinet ad placita scientiarum physicarum, ad quae nonnulli provocant ad determinandum tempus quo finem mundus sit habiturus, sciendum est aliquos tenere eo pacto motum corporum caelestium esse desiturum, quo mors homini senectute confecto obvenit. Nimirum, paulatim decrescente in eisdem vi motiva, ipsis initio indita, eorum circulationes gradatim restringi debent, usquedum omnia tandem corpora caelestia in collisionem veniant [5]. Quod utique de terra relate ad

1. II, 29. Cf. Act., II, 17. — 2. Ep. CXCIX ad Hesychium, *de fine saeculi*, t. II, col. 759. — 3. Euseb., lib. VI, cap. 6. — 4. Cap. LXII, *Iudas de septuaginta*, etc., *erroris arguitur, quod adventum Antichristi circa sua tempora futurum esse dixerit: sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum praesentem mundi minabatur occasum.* — 5. K. Udeis, pseudon., in eph. Bonifatius Korrespondenz. Apologetische Mitteilungen, etc. durch P. Aug. Galen, O. S. B. Prag, 1 Aug., 1909, p. 233.

solem ita explicant ut, deficiente, progressu temporis, in hoc astro, caloris emanatione, globo nostro frigore et tenebris obvoluto, cesset penitus circulatio aereo-tellurica, et sic omnis vita organica in fine consumatur [1].

At vero, si motus per aliquam naturalem causam cessare deberet, iam finis mundi non transcenderet omnem praevisionem, maxime in angelis, quibus naturae leges compertissimae sunt; at, e contra, ait expresse Christus [2]: *De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater;* praeterea, cataclysmus mundi praedicitur in Scriptura eventurus sicut fur in nocte, aut laqueus superveniens. Aliud ergo, iis quae astronomia hac de re tradit, non evincitur, nisi vitam vegetativam aliquando fore desituram; ita ut, quemadmodum prima apparitio vitae in mundo scientifice potest demonstrari, ita etiam necessitas finis aliquando obventuri: salvo manente quod solum per fidem sciri potest et novitas mundi seu creatio eius in tempore et illius destructio seu renovatio finalis [3].

**9. — Nonnullorum Patrum hac de re sententiae. —** Quod si interdum nonnulli ex Patribus, uti sancti Cyprianus, Ambrosius, Basilius, Gregorius ac Bernardus, aut ex insignioribus divini verbi concionatoribus, uti S. Norbertus et S. Vincentius Ferrerius, sententiam evulgarint, ob visa nonnulla ex signis praedictis, imminere diem Domini, dicendum est cum Suaresio [4], illos ita locutos fuisse, *vel quia mala praesentia semper videntur maiora; vel quia vehementius aut ipsi timebant, aut timorem immittere peccatoribus cupiebant, et semper vere dicere poterant iudicium Domini magis ac magis appropinquare; vel certe more Scripturae loquebantur, consi-*

1. Faye, L'Origine du monde. — 2. Matth., XXIV, 36. — 3. Cf. quae scripsimus in op. L'opera dei sei giorni, P. I, c. IV. — 4. In 3m P., Disputat. 53, t. XVII, p. 534.

*derando totum huius vitae tempus ut brevissimam moram aeternitati comparatum; vel si aliqui fortasse ita simpliciter existimarunt, non satis experti fuerant, vel non animadverterant, eadem signa quae ipsos movebant, multis ante saeculis eodem modo contigisse.* Videri potest de hac re S. Augustinus, in saepius citata ad Hesychium episcopum Salonitanum epistola, ubi rescribit signa evangelica et prophetica, quae huic Praesuli ita completa videbantur, ut iam, secundum ipsum, manifestarent adventum Domini, esse valde generalia et communia, et quae fere omni tempore in Ecclesia fuerunt [1].

Quae cum ita sint, concludendum est inutiles plane atque curiosas esse de tempore adventus Domini et consummationis saeculi qualescumque supputationes, maxime cum S. Paulus expresse dixerit quod dies Domini veniet *sicut fur in nocte* [2]; ideoque magis satagendum nobis est, ut in mentem revocemus extremum vitae nostrae diem, iuxta illud S. Augustini [3]: *Unusquisque debet etiam de die huius vitae suae novissimo formidare. In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.*

**10. — Solvitur tacita difficultas.** — *Obiicienti,* nullam nobis utilitatem obvenire, in hoc quod dies iudicii occultus maneat, cum aliunde quilibet se sollicite ad mortem, cuius tempus incertum est, praeparare debeat, — *responderi* potest, cum citato Angelico [4], quod etiam supposita mortis incertitudine, dupliciter ad vigilantiam valet incertitudo iudicii: *primo,* quantum ad hoc quod ignoratur, utrum etiam tantum differatur quantum est hominis vita, ut sic ex duabus partibus incertitudo maiorem di-

1. Epist. CXCVIII inter S. Augustini epist.; necnon Epist. CXCIX, t. II., col. 739. — 2. 1 Thess., V, 2. — 3. Epist. CXCIX, n. 2. t. II, col. 743. — 4. Suppl., Quaest. LXXXVIII, art. 3, ad 4m, ad litt.

ligentiam faciat: *secundo,* quantum ad hoc quod homo non gerit solum sollicitudinem de persona sua, sed de familia, vel civitate, vel regno, aut tota Ecclesia, cui non determinatur tempus durationis secundum hominis vitam. Et tamen oportet, unumquodque horum hoc modo disponi, ut dies Domini non inveniat imparatos.

**11. — Quaestio.** — *Utrum prisci fideles universaliter retinuerint proximum esse ultimum iudicii diem?*

*Resp.* Negative, ut constat ex verbis S. Pauli ad Thessalonicenses [1]: *Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum,* etc.; ex quibus patet hunc utique fuisse quorundam falsorum doctorum Thessalonicae conatum, ut priscos fideles, ob privatos fines, in errorem circa iudicii diem inducerent, confictis, ad id insinuandum, falsis quibusdam revelationibus, abutentes verbis ipsiusmet Pauli: unde Apostolus suas partes esse duxit illorum imposturam, data opera, in altera epistola refellere.

Quae cum ita sint, reiicienda prorsus est modernistarum positio, cum Loisy [2] comminiscentium communem extitisse, apud priscos fideles, opinionem de proxima parusia seu de proximo adventu Domini, quam quidem opinionem illi suscepissent, tum ex verbis Christi, tum ex Apostolorum doctrinis. In quo quidem duo gravissime contra fidem pugnantia proferuntur: primum, Christum et Apostolos errore hac super re fuisse abductos; alterum, eosdem proximum mundi finem, conceptis verbis, docuisse.

Porro, primum quidem in ea theologiae parte ex professo refellitur, ubi de plenitudine scientiae in Christo [3] et pariter de Apostolorum infallibilitate [4] agitur: quo quidem

1. 2 Ep., II, 3. — 2. In opusc. *L'Evangile et l'Eglise.* II. Le Royaume des Cieux. At errorem istum iamdudum protulerat apostata Renan, in sua *Vie de Jésus*, c. 17. — 3. Cf. tr. DE INCARNATIONE VERBI, Vol. I, Quaest. IX, art. 3, n. 2, p. 407. — 4. Cf. Op. n. de Stabilitate et progressu dogmatis, ed. 2a, p. 101.

pertinet sequens propositio a Pio X condemnata [1]: *Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum... errorem de proximo messianico adventu fuisse professum.* Quocirca hic non restat, nisi ut ea loca expendamus, ex quibus potissime censent adversarii fulcimentum aliquod suae assertionis derivari posse [2].

**12. — Explicantur nonnulla loca Sacrae Scripturae.** — I. Dominus noster ait [3]: *Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Nöe, ita erit et adventus Filii hominis.*

Ad hunc locum rite intelligendum, sciendum est quod cum Christus de adventu suo [4], necnon de destructione Hierusalem [5] locutus fuisset, discipuli illum interrogaverunt, tum circa tempus, tum circa signa utriusque eventus, his verbis [6]: *Dic nobis quando haec erunt, et quod signum adventus tui et consummationis saeculi.* Cui interrogationi ut satisfaciat, primum Dominus noster signa recenset et postea de tempore disserit, quo illa debent compleri. At vero, differentia est inter modum quo de signis loquitur, et modum quo tempus assignat: nam signa quidem permiscet tum eversionis Hierusalem tum consummationis mundi, quae res communis est prophetis, quorum visio ex Dei visione hausta, simul multa comprehendit quae ad diversa tempora et ad diversos eventus pertinent, dum e contra historicus res enarrat

1. Decret. *Lamentabili*, 3 Iul. 1907, prop. 33. — 2. Quam falso a nonnullis scriptoribus asseratur, appropinquante anno millesimo erae christianae, persuasionem in fideli populo generaliter invaluisse, ultimum mundi diem fuisse proximum, ostendit, inter alios, ROHRBACHER, in opere Storia universale della Chiesa, L. XVII, pp. 217, 218. Torino, 1878, t. VII. — 3. Matth., XXIV, 34, seq. — 4. Ibid., XXIII, 39. — 5. Ibid., XXIV, 2. — 6. Ibid., vers. 3.

eo ordine quo gestae sunt: ceterum eo vel magis permisceri poterant signa eversionis Hierusalem cum signis consummationis mundi, quod illa esse debebat huius figura.

Accedens autem Dominus ad designationem temporis quo uterque eventus erit complendus, sedulo illos eventus distinguit: et quidem eversionem Hierusalem complendam praedicit adhuc vivente praesenti generatione; mundi vero consummationem eventuram tempore omnibus, etiam angelis, ignoto, eo quod nulli hominum, si Christum ipsum excipias, cuius humana scientia defectum nesciebat [1], tempus illud manifestare voluerit. Quocirca antithesim instituit Christus inter ista duo tempora, quae antithesis evidentissime apparet, tum ex textu graeco, tum ex latino: videlicet, hinc quidem ponuntur *omnia haec*, *πάντα ταῦτα*, scilicet eversio Hierusalem; illinc vero *dies illa*, ἡμέρα ἐκείνη, nempe finis mundi. Igitur nihil est, in citato textu, etiam exegetice discusso, quo argui possit in Domino nostro error circa diem iudicii [2].

II. Apud S. Marcum legimus [3]: *Qui me confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et post dies sex, assu-*

1. Cf. tr. DE INCARNAT. VERBI, Vol. I, Quaest. IX, seq.; Quaest. XV, art. 3. — 2. En quomodo glossatur Bossuet praedictam Domini nostri responsionem (Méditations sur l'Evangile. Dernière semaine du Sauveur, 76me, jour): *Je vous ai parlé de deux choses: de la ruine de Jérusalem, et de celle de tout l'univers au jugement. Ce qui doit arriver dans la génération où nous sommes, et dont les hommes qui vivent doivent être les témoins, je vous en marque le temps, et cette génération ne passera pas qu'il ne s'accomplisse. Voilà pour l'événement auquel nous touchons Mais pour ce jour-là, ce jour où je viendrai juger le monde, personne n'en sait rien, et je ne dois pas vous le découvrir.* — 3. VIII, 38, 39; IX, 1.

*mit Iesum Petrum et Iacobum et Ioannem, et ducit illos in montem excelsum solos, et transfiguratus est coram ipsis* [1].

In hoc textu, verba: *sunt quidam de hic stantibus*, etc., nullam difficultatem faciunt si, uti fieri debet, sumantur in relatione ad verba praecedentia et subsequentia. Nimirum, professus fuerat Christus se, in gloria regni sui venturum, negaturum vero eos qui sui erubuissent; in cuius rei confirmationem praedicit aliquos ex praesentibus ante mortem testes futuros gloriae regni sui: quod quidem post paucos dies evenit, tribus ex Apostolis assumptis ad praelibationem gloriae illius regni in eius transfiguratione percipiendam. — Quaerenti autem quare Dominus Noster tali dicendi modo usus sit, nempe: *donec videant*, etc., cum tam brevi intervallo interiecto suam gloriam manifestare debebat, *respondetur* hoc ideo illum fecisse, ut omnem curiositatis ansam illis adimeret qui testes huius mysterii esse non debebant, cum decrevisset illud absconditum teneri, usquedum a mortuis resurgeret. Ita communiter Patres locum hunc interpretantur.

III. Legitur apud S. Paulum [2]: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt.*

Hoc loco Apostolus, a Deo, ut videtur, specialiter edoctus, de ordine resurrectionis ex professo pertractans, eos distinguit qui tempore adventus Christi iam defuncti fuerint, ab eis qui tunc vivi reperientur, quibuscum, per emphasim sese identificat, docens hosce non praeventuros, in iudicio, eos qui iam dormierant: sed primum hos resurrecturos fore, et quidem in momento, id operante infinita Dei virtute; deinde eos ex iustis qui tunc vivi

1. Cf. Matth., XVI, 27. 28; XVII, 1; Luc., IX, 26, 27, 28. — 2. 1 Thess., IV, 14.

reperientur, simul rapiendos cum illis obviam Christo in aera [1]. Quod quidem ponit Apostolus, ad demonstrandam summam celeritatem in resurrectione complenda, praetermissa hic quaestione utrum secundi tunc morituri sint, ut cum latinis Patribus tenemus, an non, ut tenent graeci. Ideo autem seipsum fingit Paulus cum vivis tunc praesentem, tum propter incertitudinem temporis futuri, tum quia conveniebat ut viventes in persona vivente repraesentarentur. Ceterum, ipsemet Paulus sese alibi expresse excludit a consortio eorum qui in fine mundi vivi reperientur, cum ait [2]: *Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat;* quod simile est illi quod ait S. Petrus [3]: *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei.* Cum autem nonnulli, ut diximus, ex praecitatis verbis, retulissent Apostolo persuasum multis fuisse, se et coaetaneos non esse morituros antequam dies iudicii adventaret, aliam ille ex professo epistolam conscripsit [4], ut talem opinionem demonstraret nonnisi ex male intellectis verbis suis profluxisse.

IV. In Apocalypsi legitur [5]: *Quae oportet fieri cito;* et rursus [6]: *Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam, venio cito. Amen. Veni, Domine Iesu.*

In hoc et similibus locis, sive Apocalypseos, sive aliorum sacrorum scriptorum [7], attendenda est tum applicatio particularis, tum applicatio generalis. Et quidem cum ea quae in huiusmodi prophetiis continentur, valeant pro unoquoque hominum, sit autem brevis vita nostra, rite dicitur cito aut velociter venire Dominus, cum mors utique non tardet. Quod autem spectat ad generalem applicationem, quatenus loca indicata respiciunt ultimum Christi adventum, rite dicitur hic cito adesse, non absolute, sed relative, id est comparatione instituta inter

1. Vers. 16. — 2. 2 Tim., IV, 6. — 3. 2 Ep., I, 14. — 4. Sc. 2am ad Thessalonic. — 5. I, 1. — 6. XXII, 20. — 7. Cf. Apoc., III, 21; XXII, 6, 12; 1 Pet., IV, 7; Matth., IV, 17; Luc., X, 9.

tempus, etsi longissimum illud sit, et aeternitatem, quae finem non habet, iuxta illud [1]: *Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus;* et rursus [2]: *Mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna quae praeteriit.* Sed et hoc signanter pro Apocalypsi advertendum est, quod cum omnes Ecclesiae sortes per saeculorum decursum descriptas habeat, eatenus intelligi possunt verba: *quae oportet fieri cito,* quatenus cito, id est statim post editam prophetiam, res annuntiatae debuerint initium completionis habere.

**13. — Conclusio.** — Liceat momentosum hoc argumentum, circa quod ultimis hisce temporibus tot a tradita veritate aliena conscripta sunt, verbis claudere Emi Card. Billot [3]. *Etsi dicatur tempus breve esse, noctem huius vitae processisse, diem vero aeternitatis appropinquare, iudicem ante ianuam assistere, etc., nihil tamen magis peregrinum a mente apostolorum, quam proximitas ultimae catastrophes. Numquid, quaeso, innuunt non esse amplius seminandum, emendum, vendendum, generandum, militandum, administrandum, quasi humana societas in eo tunc fuisset ut finiret? Imo, ubique tradunt quomodo officia vitae tam civilis quam domesticae sint observanda* [4]; *quomodo parentes pro filiis thesaurizare debent* [5]; *quomodo orare oportet pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus* [6]... *Ubique demum ea praecipiuntur, quae faciunt ad societatem recte et christiane ordinandam; et nedum insinuetur in ianuis esse saeculi consummationem, omnia potius in-*

1. 2 Pet., III, 8. — 2. Ps., LXXXIX, 4. — 3. Quaestiones de Novissimis, Romae, 1908, p. 218. — 4. Coloss., III, IV. — 5. 2 Cor., XII, 14. — 6. 1 Timoth., II, 2.

*culcant humanae civitatis palingenesim et restaurationem in Christo*[1].

1. His dissimilia sunt quae scribit R. P. Ioannes Semeria: « La speranza o illusione parousiaca, che il ritorno trionfale del Cristo non potesse a lungo tardare, era in tutte le prime generazioni diffusa, e ad essa gli apostoli stessi non si sottrassero, per quanto non ne facessero materia del loro insegnamento ». (Primo sangue, 94-95; vedi nota).

« Le speranze parousiache, certe per altri argomenti nella primitiva Chiesa, spiegano il suo regime economico — e questo regime economico riconferma la esistenza di quelle speranze. Al Camus pare che in una comunità, posta così immediatamente sotto la vigilanza degli Apostoli, quelle speranze illusorie non potessero allignare; ma ciò suppone che gli Apostoli i primi non le nutrissero. Ora nutrire speranze in sè e comunicarle o lasciarle correre come speranza, pura speranza, negli altri, non è un professare, nè un insegnare errori dogmatici: fu un provvidenziale mezzo per sostenere tra le difficoltà, delle quali oggi non possiamo più nemmeno formarci un' idea chiara e adeguata, animi per sè stessi portati al timore. A Gerusalemme queste speranze d'un pronto, d'un immediato ritorno del Cristo, mentre animarono il coraggio, nutrirono ad un punto di sublime follìa il disinteresse ». (Venticinque anni, ecc. 123-124; cfr. 366).

Propius ad verum accedit quod legitur in Vigouroux (Manuale Biblico, Vol. IV, pp. 751, 752): *Qui pure si scorge quanto siano mal fondati coloro i quali pretendono che gli Apostoli fossero convinti che il mondo finirebbe colla rovina di Gerusalemme, o colla fine del secolo, o colla caduta di Roma... Le esortazioni degli Apostoli a vegliare incessantemente non gli impedirono di faticare, di operare e sovente di parlare come se il mondo dovesse sussistere ancora per una lunga serie d'anni. Che anzi, di essi quelli che ebbero a spiegarsi più nettamente in tal proposito. S. Paolo, S. Pietro e S. Giovanni, il fecero in tal guisa, che riesce impossibile loro imputare alcuno errore.*

# QUAESTIO VII.

## DE RESURRECTIONE CARNIS.

### PROLOGUS.

**1. — Necessitas credendi in resurrectionem mortuorum.** — Acto de signis mundi consummationem praenuntiantibus, modo *transeamus ad famosissimam de resurrectione carnis quaestionem*, ut loquitur S. Hieronymus [1], in qua, iuxta Tertullianum, *fiducia christianorum* reponitur [2]. Quanti autem referat perfectam fidem in mortuorum resurrectionem tenere, luculenter tradit S. Paulus, dum, contra quosdam qui hoc dogma negabant, expresse scribit [3]: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam, si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.*

Revera, ut scite argumentatur S. Augustinus [4], Christus resurrexit ut christianus non dubitet se resurrecturum esse: cum id quod prius in capite evenit, in corpore postea sit eventurum. Sed et beata resurrectio in Scriptura ponitur tamquam bonae vitae praemium,

1. L. contra Io. Herosolymit., n. 23. t. II., col. 428. — 2. L. de Resurrect. carnis, n. 1. — 3. 1 Cor., XV, 13, seq. — 4. Sermo V de Resurrect. in edit. Muguet est 234, t. V.

quae videlicet mandatis fidei conformis evadat; unde vanam oportet esse fidem nostram, si mortui non resurgunt. Quinimmo, si dolores huius vitae patienter toleramus, hoc est profecto ob spem beatae resurrectionis et vitae aeternaliter felicis; unde rite concludit Apostolus [1]: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Magni igitur faciendus est ille Symboli Apostolorum articulus, qui agit de resurrectione carnis.

2. — **Carnis resurrectio.** — At ulterius notandum est, non inconsulto hominum resurrectionem in Symbolo appellari resurrectionem *carnis: quod quidem,* ait Catechismus Romanus [2], *sine causa factum non est; nam docere voluerunt Apostoli, id quod necessario ponendum est, animam esse immortalem. Quare, ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis sacrarum Litterarum locis immortalem esse plene constet, ob eam rem carnis tantum suscitandae mentio in articulo facta est. Et quamquam saepe etiam in sacris Scripturis caro integrum hominem significet, hoc tamen loco carnis vox corpus declarat, ut duarum partium, animae et corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus, corrumpi, et in pulverem terrae ex qua compactum est, redire, animam vero incorruptam et immortalem manere intelligamus. At vero cum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie non dicitur resurgere.*

Accedit quod, ut olim notabat S. Hieronymus [3], fuerunt haeretici, qui credere se dicebant futuram resurrectionem corporum. *Sed quia corpora sunt caelestia et terrestria,*

1. Loco cit., vers. 19. — 2. P. I, art. XI, n 2. — 3. Epist. LXXXIV, n. 5.

*et aer iste, et aura tenuis, iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem, ut orthodoxus corpus audiens, carnem putet, haereticus spiritum recognoscat.*

**3. — Quid sit resurrectio.** — Mortuorum resurrectio a graecis patribus sepius vocatur ἀνάστασις [1]; aliquando autem παλινγενεσία, *regeneratio*, iuxta illud [2]: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis*, etc.; aliquando etiam dicta est *adoptio, redemptio corporis*, ut in hoc loco S. Pauli [3]: *Adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri* [4].

Significat autem resurrectio *animae cum corpore iteratam coniunctionem* [5], non utcumque, sed qualis iterum per mortem solvenda non sit: quod dicitur, ut distinguatur generalis resurrectio carnis ab illa aliquorum resurrectione, ut puta, Lazari, qui a morte suscitati leguntur, denuo tamen morituri, et quorum magis fuit resuscitatio quaedam, quam vera resurrectio, ait Angelicus [6].


**4. — Terminus a quo resurrectionis.** — Sciendum autem terminum a quo fiet resurrectio esse cineres: Scriptura enim sacra, sicut resurrectionem praenuntiat, ita et corporum reformationem [7]; unde oportet quod, sicut omnes moriuntur ad hoc quod omnes vere resurgere possint, ita omnium corpora dissolvantur, ad hoc quod possint reformari. Praeterea, sicut in poenam hominis, mors a divina iustitia est inflicta, ita et corporis resolutio, ut patet ex hoc Geneseos [8]: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quocirca, nisi aliquibus ex speciali privilegio gratiae sit indultum contrarium, ut de Christo et Beatis-

1. A verbo ἀνίσταμαι, *resurgo*. — 2. Matth., XIX, 28. — 3. Rom., VIII, 23. — 4. Cf. S. Augustin., l. III contra duas Epist. Pelagian., c. 3. — 5. Contra Gent., l. IV, c. 79. — 6. S., Quaest. LXXVII, art. 1, ad 3m. — 7. Phil., III, 21. — 8. C. III, 19.

sima Virgine tenemus, dicendum est omnes a cineribus resurrecturos esse [1]. —Per cineres autem intelliguntur omnes reliquiae quae remanent, humano corpore resoluto, duplici ratione: *primo,* quia communis mos erat, apud antiquos, corpora, mortuorum comburere et cineres reservare, unde inolevit modus loquendi, ut ea in quae corpus humanum resolvitur, cineres dicantur: *secundo,* propter causam resolutionis, quae est incendium fomitis, quo corpus humanum radicitus est infectum: unde ad purgationem huiusmodi infectionis, oportet usque ad prima componentia corpus humanum resolvi: quod autem per incendium resolvitur, dicitur in cineres resolvi; et ideo ea, in quae corpus humanum resolvitur, cineres dicuntur [2].

**5. — Ordo quaestionis.** — Porro, in hac momentosa quaestione ita procedendum erit, ut primo quaeratur an sit futura resurrectio (1), et secundo, quomodo locum sit habitura (2-6); quae quidem quaestio duabus distinctis investigationibus locum praebebit, secundum quod, primo, de extrinsecis resurrectionis inquisitio fiet (2-3), et secundo de intrinsecis eiusdem (4-6). Porro extrinseca resurrectioni sunt tum causa, scilicet efficiens, exemplaris et finalis (2), tum tempus (3); intrinseca vero sunt causa, tum materialis (4-5), ex qua habetur et identitas (4) et integritas (5) corporum resurgentium, tum formalis (6), quae attenditur penes qualitatem corporum resurgentium

1. S., Quaest. LXXVIII, art. 2. — 2. Ibid., ad 2m, ad litt




Quapropter, sex in hac quaestione investiganda proponuntur.

*Primo.* Utrum corporum resurrectio sit futura.

*Secundo.* Utrum Christi resurrectio sit causa resurrectionis nostrae.

*Tertio.* Utrum omnium mortuorum resurrectio simul futura sit in fine mundi.

*Quarto.* Utrum in resurrectione anima idem corpus resumet.

*Quinto.* Utrum humana corpora resurgent integra.

*Sexto.* Utrum omnes resurgent in vita animali.

## Articulus I. — *Utrum corporum resurrectio sit futura.*

**1. – Errores.** — Ex triplici ratione, ait Angelicus [1], potest quis induci ad mortuorum resurrectionem denegandam: vel quia reputat ultimam beatitudinem in hac

1. Supplem., Quaest. LXXV, art. 1.

vita obtineri posse; vel quia corpus retinet tanquam a malo principio productum; vel quia hominem ponit ex sola anima constitui, quae corpore, cui unitur ut motor, utitur tantummodo tanquam instrumento. — Igitur ad primam classem pertinebant gentiles illi, de quibus sic refertur in Actibus Apostolorum [1]: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum;* quibus plane consensisse perhibentur olim quidem Sadducaei [2], hodiedum vero materialismi sectatores. Ad alteram classem referri possunt plures antiquae sectae, ut gnosticorum, marcionitarum et manichaeorum; necnon recentiores haeretici albigenses atque waldenses. Denique, ad tertiam classem facile reducuntur tum spiritistae, corporis compaginem tanquam humanae naturae partem haudquaquam agnoscentes, tum illi ex transformistis, quibus videtur humanam naturam ita evolvendam esse, ut ad angelicam formam tandem transmutetur.

2. — PROP. — **Fide tenemus omnes prorsus mortales resurrecturos esse [3].**

3. — **Auctoritas.** — Veritas fundamentalis dogmatis catholici de resurrectione carnis, quae in diversis Symbolis exprimitur, a pluribus Conciliis definita est, inter quae recenseri potest Concilium Lateranense IV, ubi statuitur [4]: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant, ut recipiant secundum merita sua, sive bona fuerint, sive mala.* Item, in symbolo quod a S. Athanasio inscribitur, legimus: *Ad cuius* (Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

1. C. XVII, 32. — 2. Matth., XXII, 23; Act., XXIII, 8. — 3. Dicimus *mortales,* potius quam *homines,* ob Graecorum sententiam, nonnullos homines a lege mortis excipientium. Cf. supra, Quaest. I, art. 1, n. 4, p. 14. — 4. Cap. *Firmiter.*

**4. — Prob. ex Sacra Script. — I. Ex Veteri Testamento.** — α) Celeberrimum prostat S. Iob testimonium, quod sic legitur [1]: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo.* — Contra plures scriptores, maxime ex protestantica secta, contendentes, ob aliquam diversitatem textus hebraici a versione Vulgatae, verba Iob referri debere ad valetudinem recuperandam, ideoque ex hoc loco colligi non posse solidum argumentum ad resurrectionem comprobandam, adverti opportune potest, nec ex textu, nec ex contextu talem sensum revera exhiberi, Patres vero locum hunc unanimiter de carnis resurrectione intellexisse; unde diserte S. Augustinus ait [2]: (Iob), *sicut in exemplaribus quae ex hebraeo sunt, invenitur resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetasse*; et S. Hieronymus [3]: *Resurrectionem corporum sic prophetat* (Iob), *ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit* [4].

Quod si apud eumdem Iob legitur [5]: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum:* atqui caelum nunquam atteretur, cum et ipsa terra, de qua minus videtur, *in aeternum stare* dicatur [6]: — facile *respondetur,* caelum nunquam quidem atteretur quantum ad substantiam, sed atteretur quantum ad effectum virtutis, per quam movet ad generationem et corruptionem inferiorum [7].

β) Similiter et in prophetis veritas de carnis resurre-

1. C. XIX, 25, 27. — 2. L. XXII de Civ. Dei, c. 29, t. VII, col. 698. — 3. Epist. LIII ad Paulin., n. 8, t. I, col. 276. — 4. Vide etiam S. Cyrill. Hierosolym., *Cateches.* XVIII. Pleniorem huius textus vindicationem videsis apud Petr. M. Gazzaniga, O. P., Praelect. theol., t. VII, Diss. IV, c. 3, pp. 93, seqq. Ven., 1797. Item Bern. Jungmann, Tract. de Novissimis, p. 218, Ed. 2a, 1874. — 5. C. XIV, 12. — 6. Eccl., I, 4. — 7. S. Thom., loco cit., art. 1, ad 12.

ctione non obscure significatur. Sic in Isaia legitur [1]: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere; quia ros lucis, ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.* De iustis in Dei caritate defunctis loquitur propheta: quos ait divina gratia praeoccupandos, quemadmodum ros antelucanus novum plantis arescentibus infundit vigorem: impii autem, sub nomine gigantum significati, resurgent quidem, at in infelicitatem aeternam.

γ) Pariter in Daniele habetur [2]: *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper:* ubi, ly *multi*, ut explicat S. Augustinus [3], ponitur pro *omnes*, qui modus loquendi frequenter invenitur in Sacra Scriptura; licet particulatio possit intelligi quantum ad pueros damnatos in limbo, qui quamvis resurgent, non proprie dicuntur evigilare, cum nec sensum poenae nec possessionem gloriae habituri sint: vigilia enim est solutio sensus, ait Angelicus [4].

δ) Sed praecipue dignus est qui recitetur Ezechiel, qui mente deductus est in campum ossibus repletum, quae flante Spiritu Dei, consistere et ad invicem componi, carnibus et nervis vestiri ac reviviscere, admirans propheta conspexit. *Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis; et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum et vivetis, et scietis quia ego Dominus* [5]. Equidem verum est, in primario sensu, hic agi de restitutione populi Israëlitici; at sensu secundario re-

1. C. XXVI, 19. — 2. C. XII, 2. — 3. L. XX de Civ. Dei, in fine. — 4. S., Quaest. cit., art. 2, ad 2m. — 5. Ezech., XXXVII, 3, seqq.

surrectio carnis hic clare significatur, quae adducitur ad illam restitutionem suadendam, et eo evidentius stabilita manet, quod praesupponitur tanquam argumentum instaurationis carnalis populi israelitici; unde mirum non est, si plures ex Patribus hoc loco usi sint ad dogma de carnis resurrectione illustrandum [1].

ε) Demum, disertissimum prostat Machabaeorum testimonium, qui sub impio Antiocho fortiter pro patriis legibus martyrium subiere; quorum secundus sic tyrannum alloquebatur [2]: *Tu quidem, scelestissime, in praesenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Denique celebre est illud sacrificium quod Iudas, *bene et religiose de resurrectione cogitans,* pro defunctorum peccatis obtulisse legitur [3].

**5. — II. Ex Novo Testamento.** — α) At quantumvis diserta sint quae in veteri Testamento habentur testimonia, clariora tamen adhuc sunt quae in novo suppeditantur. Nimirum, Christus ipse Sadducaeos refellens, futuram carnis resurrectionem ex professo docuit, dicens [4]: *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium:* per quae verba, ait S. Thomas [5], Dominus Noster resurrectionem *subtilissime et efficaciter* probat. Nimirum, contra Sadducaeos agebat Christus, qui immortalitatem animae negabant, admittebant tamen, ut observat Tirinus [6], animam naturaliter requirere coniungi corpori ut comparti suae: cum autem Deus non mortuorum sit, sed viventium, oportet ut, si est Deus Abraham, Isaac et Iacob, isti viventes sint, utique secundum ani-

1. C. S. Hieronym., in h. l. — 2. 2 Mach., VII, 9. — 3. Ibid., XII, 43. — 4. Matth., XXII, 31, 32. — 5. S., Quaest. cit., art. 1, ad 1m. — 6. In h. l.

mam, corpori rursus coniungendam; itaque, ex immortalitate animae arguit Christus resurrectionem corporum.

Nec minus eloquentia sunt quae alibi profert Dominus Noster [1]: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat... Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii;* quibus verbis resurrectionem tum iustorum, tum impiorum clarissime Christus enunciat [2].

β) At vero inter inspiratos scriptores, nemo Paulo eloquentius argumentum de carnis resurrectione pertractavit, qui Athenis cum Iudaeis et gentilibus disputans, *Iesum et resurrectionem annuntiabat eis* [3]. Ubi audiendi non sunt qui haec verba de resurrectione animae, non corporis, explicare conantur: nam, ut observat Tertullianus [4], *Athenienses non aliam quam corporalem resurrectionem intellexerant a Paulo portendi:... non irrisuri omnino, si animae solius restitutionem ab eo audissent.* — Simile est quod, coram Felice, praeside romano, protulit idem Paulus, cum spem suam *in resurrectione futura iustorum et iniquorum* consistere aperte docuit [5]; ad Hebraeos scribens [6], doctrinam de resurrectione mortuorum, tamquam fundamentale dogma, commemorat.

γ) Quid plura? Nonne pro omni scripturistica probatione stare possunt insignia facta, certis argumentis comprobata, de filii viduae Naim, de filiae Iairi, de Lazari resurrectione? Circa quod ultimum factum, solemne est Marthae testimonium, quo evincitur Iudaeis plane de hoc dogmate persuasum fuisse: nam, cum Dominus ei dixisset [7]: *Resurget frater tuus,* illa fidens respondit: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

1. Io., V, 21. 28, 29. — 2. Cf. Io., VI, 39, 40, 55. — 3. Act., XVII, 18; cf. Ibid., 31, 32. — 4. L. de resurrect. carnis, c. 39. — 5. Ibid., XXIV, 15. — 6. Hebr., VI, 2. — 7. Io., XI, 23, 24.

**6. — Traditio Ecclesiae.** — Cum vix ullus sit ex Patribus qui de resurrectione non sit locutus, hinc longius foret hic eorum testimonia singillatim adducere, maxime cum plures ex eis in decursu tractationis, ad illustrandam unam vel aliam de hoc argumento quaestionem sint adducendi. Ex splendida autem priscorum Patrum corona, qui de resurrectione carnis data opera contra ethnicos aut adversarios quoscumque pertractarunt, iuvat praeprimis citare Theophilum Antiochenum [1]; Minutium Felicem [2]; Athenagoram, qui librum *de resurrectione mortuorum* specialiter conscripsit, ubi probat Deo nec potentiam defuisse, nec voluntatem mortuos suscitandi [3], S. Irenaeum [4], Tertullianum [5], Gregorium Nyssenum [6].

Horum omnium vocem personat S. Augustinus qui, fidem Ecclesiae in dogma de resurrectione carnis ita solemniter testatur [7]: *Resurrecturam carnem, omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus.*

**7. — Imagines resurrectionis.** — Sed ad idem argumentum referri debent imagines quibus Patres conantur huiusmodi dogma illustrare. *Prima resurrectionis fides,* ait S. Ambrosius [8], *usus est mundi, rerumque status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortusque signorum, diei et noctis occasus, eorumque quotidie tamquam rediviva successio... Quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere, cum revirescunt? Quod satum est, resurgit; quod mortuum est, resurgit et in eadem genera, in easdem species reformatur. Hos terra pri-*

1. L. I, ad Autolycum, n. 7-8. — 2. In Libro *Octavius*, c. 34. — 3. Migne, P. G. t. VI. — 4. L. V. adversus Haeres. — 5. L. de Resurrectione carnis, c. 12. — 6. De Hominis opificio c. 25-26. Migne, P. G. t. XLIV. — 7. Enchirid., c. 84, t. VI, col. 228. — 8. De fide resurrect., n. 53, t. V, col. 60.

*mum reddidit fructus; in his primum natura nostra speciem resurrectionis imitata est.* Non minus explicitus est S. Gregorius Magnus, qui ait [1]: *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc ex ratione tenere debuerant: quid enim quotidie mundus in elementis suis, nisi resurrectionem nostram imitatur?* Et exempla ponit de luce, quae *quasi moriendo oculis subtrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur,* necnon de arbustis, quae *viriditatem amittunt, et rursus quasi resurgentia reparantur;* similiter de seminibus quae *putrescentia moriuntur, et rursus germinando quodammodo resurgunt;* quod ultimum exemplum ponit etiam Apostolus [2].

In usu quoque fuit, penes ecclesiasticos scriptores, ad resurrectionis dogma plenius illustrandum, appellare ad illas mirabiles transformationes, quas in natura, tum organica, tum inorganica, compleri videmus, puta, ad vermes, qui uti chrisallides bombycio folliculo obductae, sepulcro velut includuntur, mox in papiliones mira colorum varietate coruscantes transformandae [3]; ad ovum, e quo gallinae pullus erumpit; ad carbonem, qui in gemmam transmutatur, etc.

Advertendum tamen est, huiusmodi similitudinibus ipsum dogma de resurrectione carnis non perfecte explanari, cum altius longe sit illud Dei proprium opus; inserviunt igitur tum ad removendam difficultatem quam in tam sublimi veritate suscipienda mens debilis persen-

1. L. XIV Moral., c. 28, t. I, p. 351. — 2. 1 Cor., XV, 36, 37. Similia habet Tertullianus in cit. l. de Resurrectione carnis, c. 12. — 3. Perbelle Aligherius, in Purgat., in c. X, vers. 124, seq :

*Non v'accorgete voi, che noi siam vermi*
*Nati a formar l'angelica farfalla,*
*Che vola alla giustizia senza schermi?*
*Di che l'animo vostro in alto galla?*
*Voi siete quasi entomata in difetto,*
*Sì come verme in cui formazion falla.*

tiscit, tum, ex opportuna analogia, ad conciliandum mentis assensum.

**8.** — **Confirmatur** ex monumentis archaeologiae christianae, seu ex inscriptionibus quas veteres christiani in suorum sepulchris ponere consueverunt, quibus suam in resurrectionem corporis fidem disertissime testantur.

Item ex Actis martyrum, qui firma fide ac insigni fortitudine, resurrectionis dogma, iamiam in tormentis morituri, aperte professi sunt. Ex quibus citari potest S. Pionius [1], qui in pyra positus ut combureretur, aiebat: *Haec me ducit causa; haec me potissimum ratio compellit ad mortem, ut populus omnis intelligat, resurrectionem futuram esse post mortem* [2].

Ab indirecto quoque res patet, scilicet ex gentilium praesumptione, martyrum corpora concremari iubentium, ut videlicet omnem spem resurrectionis, in qua maxime illos confidere noverant, absumerent. Sic legimus a gentilibus martyrum Lugdunensium corpora vesano furore concremata, atque in cineres redacta, in profluentem Rhodanum proiecta fuisse, ne ullae deinceps eorum reliquiae in terris superessent, et sic *resurrectionem illis adimere possent* [3].

**9.** — **Ratio theol.** — Cum dogma de resurrectione carnis proprie ad fidem pertineat, hinc ratione probari non valet; sed id tantum ostendi potest, scilicet magnam esse illius dogmatis convenientiam, tum relate ad Deum, tum relate ad hominem.

**10.** — **I. Resurrectionis convenientia ex parte Dei.** — Huiusmodi convenientia primo apparet ex parte Dei, et quidem in quantum donum Christi, ut patet ex S. Paulo [4],

1. A. D. 250. — 2. Cf. Ruinart, Acta Martyr.; Martyrium SS. Pionii et sociorum. — 3. Cf. Ruinart, op. cit.; Euseb., Hist. Eccl., l. v, cc. 1, seq.; S. Augustin., *de Cura pro mortuis gerenda*, l. I, cc. 8, 10. — 4. Rom., V, 15, seq.

est maius quam peccatum Adae. Atqui mors per peccatum est introducta; quia si peccatum non fuisset, mors nulla esset. Ergo per donum Christi, homo a morte reparabitur ad vitam. — Rursus, membra debent esse capiti conformia. Atqui caput nostrum vivit, et in aeternum vivet in corpore et anima; quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur* [1]. Ergo et homines, qui sunt eius membra, vivent in corpore et anima [2]: et sic oportet carnis resurrectionem esse [3].

**11. — Solvuntur obiectiones.** — α) Contra *primam* rationem: Poena non dimittitur, nisi ablata culpa. Sed mors corporalis est poena peccati originalis. Ergo cum non omnibus sit dimissum originale peccatum, non omnes resurgent.

*Respondet* S. Thomas [4], quod mortem, quae est poena originalis peccati, qui in originali decesserunt, exsolverunt moriendo; unde, non obstante originali culpa, possunt a morte resurgere; poena enim originalis peccati magis est mori, quam morte detineri.

β) Contra *secundam:* Per resurrectionem, homines conformantur Christo resurgenti. Atqui non omnes homines conformantur Christo, cum mali nequeant dici portare imaginem eius. Ergo soli boni resurgent.

*Resp.* Omnes, tam boni quam mali, conformantur Christo, vivendo in ista vita, in his quae ad naturam speciei pertinent, non autem in his quae pertinent ad gratiam; et ideo omnes ei conformabuntur in reparatione vitae naturalis, sed soli boni conformes ei fient in similitudine gloriae [5].

**12. — II. Convenientia resurrectionis ex parte hominis.** — Ex parte quoque hominis huiusmodi conve-

1. Ibid., VI, 9. — 2. Cf. 1 Cor., XV, 12. — 3. Cf. S. Thom., Quaest. LXXV, art. 1, sed contra 2, 3. — 4. Loco cit., art. 2, ad 4m. — 5. Ibid., ad 3m.

nientia apparet, et quidem, *primo,* si inspiciatur ipsa eius natura. Nimirum talis est ordo animae ad corpus, ut sit naturaliter secundum essentiam illius forma, unde contra naturam eius est, esse absque corpore. Quae autem contra naturam sunt, non decet esse perpetua. Cum ergo anima perpetuo maneat, oportet eam corpori iterato coniungi, quod est corpus resurgere.

Idipsum patet, *secundo,* considerato felicitatis desiderio, quo unusquisque tenetur. Porro, felicitas plena et ultima haberi nequit, quoadusque subiectum aliqua imperfectione detinetur. Anima vero a corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum existens, cum anima sit pars hominis. Ergo nequit homo ad ultimam felicitatem pervenire, nisi corpus iterum animae coniungatur: scilicet corpus requiritur, non ut sit ultima felicitas plena intensive, sed extensive.

*Demum* eadem conclusio patet, si consideretur praesens vitae meritum: nimirum, cum homines recte agant vel peccent prout praesentem vitam ducunt compositi ex anima et corpore, hinc congruum est ut praemium vel poenam percipiant, tum secundum animam, tum secundum corpus. Atqui perfectum felicitatis praemium in hac mortali vita consequi nequeunt, et vicissim saepe peccata in praesenti vita minime puniuntur. Ergo necesse est corpus animae rursus uniri, ut homo in anima et corpore congrue praemiari aut puniri queat [1].

**13. — Solvuntur difficultates.** — Contra *primam* rationem: Si resurrectio requireretur ob naturalem unionem animae ad corpus, sequeretur illam esse naturalem. Atqui resurrectio naturalis non est. Ergo non requiritur ob naturalem unionem animae ad corpus.

Resp. *Dist. mai.*: sumpto naturali pro eo quod causatur ex principiis naturae, *nego;* pro eo quod est naturae con-

1. Cf. IV Contra Gent., c. 79.

forme, *conc. Contradist. min.*: id est causata ex principiis naturae, *conc.;* id est ordinationi naturae conformis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Equidem nullum principium activum resurrectionis est in natura, sive respectu coniunctionis animae ad corpus, sive respectu dispositionis quae sit necessitas ad talem coniunctionem, quia talis dispositio non potest a natura induci nisi determinato modo, per viam generationis ex semine, et potentia passiva obedientialis seu ex ordine divinae providentiae [1], ex parte corporis, non sufficit ad rationem motus naturalis; unde resurrectio, ex hoc capite, simpliciter miraculosa est; attamen, quia perducit ad id quod est secundum naturam, ideo secundum quid naturalis dici potest [2]. Igitur tota quidem expectatio naturae est ad resurrectionem, non quatenus natura per suam operationem ad eam pervenire possit, sed quatenus subest actioni primi agentis, quod est Deus.

Contra *secundam* rationem: Ultimum rei est perfectissimum in se, quia per illud attingit finem suum. Atqui perfectissimus status animae est, ut sit a corpore separata, quia in hoc statu conformior est Deo et angelis, et magis pura, quasi separata ab omni extranea natura. Ergo separatio a corpore est ultimus status eius, et ita ex hoc statu non redit ad corpus, sicut nec ex viro fit puer [3].

Resp. *Dist. mai.:* perfectissimum simpliciter, *conc.;* secundum quid, *nego. Contradist. min.:* secundum quid, *conc.;*

1. S., Quaest. LXXVIII, art. 3. — Obiicienti verba Iob (XX, 11): *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius et cum eo in pulvere dormient*; vitia autem non sunt nisi in anima: ergo in illis pulveribus remanebit aliqua inclinatio ad animam: — *respondet* S. Thomas (Ibid., ad 3m) quod verbum illud Iob non est intelligendum quod vitia actu maneant in pulveribus mortuorum, sed secundum ordinem divinae iustitiae, quo sunt deputati cineres illi ad corporis reparationem, quod pro peccatis commissis cruciabitur in aeternum. — 2. S., Quaest. LXXV, art. 3. — 3. Loco cit., art. 1, ad 4m.

simpliciter, *nego*. Nego *conseq. et conseq.* — Ceteris paribus, advertit S. Thomas, perfectior est status animae in corpore, quam extra corpus, quia corpus est pars totius compositi et omnis pars ordinatur ad totum. Igitur, anima separata, quamvis sit Deo conformior secundum quid, non tamen simpliciter. Tunc enim, simpliciter loquendo, est aliquid maxime Deo conforme, quando habet quidquid conditio suae naturae requirit, quia perfectionem divinam tunc maxime imitatur. Huius exemplum est in corde animalis, quod magis est Deo conforme in mobili quando movetur, quam quando quiescit, quia perfectio cordis est in moveri; e contra, eius quies est eius destructio [1].

Contra *tertiam* rationem: Corpus est animae instrumentum in bono et malo faciendo. Atqui non oportet quod instrumentum simul cum operante remuneretur. Ergo non est necesse corpus resurgere ad hoc quod homo plene praemietur aut puniatur.

Resp. *Dist. mai.*: instrumentum et simul materia per respectum ad formam, *conc.*; instrumentum separatum, *nego*. *Dist. min.*: instrumentum coniunctum, *nego*; separatum, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Corpus non comparatur ad animam tantum ut instrumentum ad operans, sed ut materia ad propriam formam; unde operatio est coniuncti, et non tantum animae. Atqui operanti debetur operis merces. Ergo necesse est ut ipse homo, compositus ex anima et corpore, operis sui mercedem accipiat [2].

INSTABIS. In purgatorio, ubi animae punientur pro his quae gesserunt in corpore, anima sine corpore punitur. Ergo necesse non est ponere resurrectionem corporum, ad hoc ut anima praemietur aut puniatur cum corpore.

Resp. *Nego conseq.* Venialia enim peccata, ob quae animae in purgatorio puniuntur, dicuntur peccata, quasi dispositiones ad peccandum, non quod habeant simpliciter et perfecte rationem peccati; quocirca, poena quae eis

1. Ibid. — 2. Ibid., ad 3m.

in purgatorio redditur, non habet rationem permanentis retributionis, sed magis est purgatio quaedam, quae seorsum fit in corpore per mortem et incinerationem, et in anima per ignem purgatorii [1].

## Articulus II. — *Utrum Christi resurrectio sit causa resurrectionis nostrae.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum quadruplex sit causarum genus, in antecessum iuvat advertere, nos hic non agere de causa materiali, quae meritoria dicitur, cum constet Christum resurgentem iam non fuisse viatorem ideoque non fuisse in statu merendi. De causa autem finali res satis explorata manet, Christus enim est finis omnium, ideoque nostra resurrectio cedere debet in laudem et gloriam resurrectionis eius. Igitur, de causa efficiente agitur, quae potest esse principalis et instrumentalis, necnon de causa formali extrinseca, quae exemplaris dicitur.

**2. — Deus est principalis causa efficiens nostrae resurrectionis.** — Sed nec in dubium vertitur, utrum Deus sit causa principalis resurrectionis nostrae; cum enim per mortem corpus corruptum maneat, nonnisi divina virtute, quae res produxit in esse, fieri potest ut in integrum reparetur: quocirca sicut a morte spirituali liberari non possumus nisi per donum gratiae divinitus datum, ita nec a morte corporali nisi per resurrectionem divina virtute factam: unde dicitur [2]: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra:* quocirca potuisset Deus, si voluisset, nos a morte liberare per aliam causam, quam per Christi resurrectionem; sicut etiam potuisset nos a peccato mundare, aliter quam per Christi mortem.

1. Ibid. — 2. Rom., VIII, 11.

3. — PROP. — **Ipsa Christi resurrectio, virtute divinitatis adiunctae, est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostrae.**

4. — **Prob.** — Habet hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quaelibet causa primo operetur in id quod est sibi propinquius, et per illud operetur in alia magis remota; unde solet dici quod illud quod est primum in quolibet genere, est causa omnium quae sunt post in illo genere [1]: sicut videmus quod ignis primo calefacit aerem sibi propinquum, per quem corpora distantia calefacit, et Deus primo illuminat substantias spirituales sibi magis propinquas, per quas vicissim magis remotas illuminat. Atqui primum in genere verae resurrectionis fuit resurrectio Christi, cuius humana natura fuit hypostatice coniuncta divinitati: principium autem humanae vivificationis est Verbum Dei, secundum illud [2]: *Apud te est fons vitae.* Ergo resurrectio Christi est causa resurrectionis nostrae, secundum illud [3]: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium; quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum* [4].

5. — **Solvitur dubitatio.** — Dubitanti quomodo resurrectio Christi possit esse causa efficiens resurrectionis mortuorum, cum non habeat contactum corporalem ad mortuos qui resurgent, propter distantiam temporis et loci, sed nec contactum spiritualem, qui est per fidem et charitatem, cum etiam infideles et peccatores resurrecturi sint, — *respondetur* quod Christi resurrectio est causa nostrae resurrectionis virtute divina, quae virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora, et talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiae,

1. L. II Metaphysic., t. 4. — 2. Ps. XXXV, 9. — 3. 1 Cor., XV, 20, 21. — 4. 3, Quaest. LVI, art. 1; S., Quaest. LXXVI, art. 1.

quae se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt Christi iudicio subiecti [1].

**6. — Christi resurrectio est exemplar resurrectionis nostrae.** — Sed ulterius dicendum est quod Christi resurrectio est exemplar nostrae resurrectionis: nam semper id quod est perfectissimum, est exemplar eius quod est minus perfectum secundum suum modum: porro resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, sicut est prima tempore [2], ita etiam prima est dignitate ac perfectione; ergo resurrectio Christi est causa exemplaris nostrae resurrectionis. Est tamen differentia inter causam efficientem et causam exemplarem: quia huiusmodi exemplaritas se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes filiationis ipsius [3].

**7. — Solvitur difficultas.** — Posita causa, statim ponitur effectus. Atqui posita resurrectione Christi, non est secuta statim resurrectio aliorum mortuorum. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis nostrae.

Resp. *Dist. mai:* causa necessaria, *conc.;* causa libera vel agente sub influxu causae liberae, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique causa necessaria immediate producit effectum suum, sicut videmus calorem, statim ac existit, movere ad calefaciendum, quia calor est effectus eius mediante motu. At causa libera, vel agens sub influxu causae liberae, non statim producit effectum, sicut

1. Ibid., ad 3m. — 2. Christi resurrectio prima est ordine temporis; nam qui ante eum surrexerunt, morituri surrexerunt. — Obiicienti Moysis apparitionem cum Christo in monte Thabor, dici potest Moysen ad horam rossuscitatum fuisse ut gloriae Domini serviret, mox autem corpus illud sine dolore deposuisse. Vel dici potest, animae Moysis divinitus datum fuisse per miraculum potestatem corpus sibi ex circumstanti materia efformandi. — 3. Ibid. cf. Tr. de INCARNATIONE VERBI, Vol. II, p. 286.

videmus quod Deus non ab aeterno mundum creavit. Porro Christi resurrectio est causa nostrae resurrectionis per virtutem divinam, quae virtus operatur mediante voluntate; unde non oportet quod statim, resurrectione Christi perfecta, hominum resurrectio sit secuta, sed tunc sequitur, quando voluntas Dei ordinavit [1].

8. — **Vox tubae ad resurrectionem excitans.** — Hic autem praetereunda non est tuba, quae ad homines a somno mortis excitandos personabit, iuxta illud [2]: *Ipse Dominus in iussu, et in voce Archangeti, et in tuba Dei descendet de caelo.* Nimirum, in resurrectione corporum, resurrectio complebitur communi aliquo signo corporali dato. Quale autem futurum sit huiusmodi signum, diversi diverse explicant. Aliqui hoc signum interpretantur ipsam vocem Christi resurrectionem imperantis, quemadmodum imperavit mari et cessavit tempestas [3]. Alii vero dicunt hoc signum esse ipsam evidentem repraesentationem Filii Dei in mundo, ita quod eius apparitio vox eius dicatur, quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem, sicut imperanti, unde dicitur Dominus venire *in iussu.* Vox autem huiusmodi, quaecumque sit, quandoque dicitur *clamor,* quasi praeconis ad iudicium citantis; quandoque autem dicitur *sonus tubae,* vel propter evidentiam, vel propter convenientiam ad usum tubae qui erat in veteri Testamento; tuba enim congregabantur ad concilium, commovebantur ad praelium, et vocabantur ad festum: resurgentes autem congregabuntur ad concilium iudicii, et ad praelium quo orbis terrarum pugnabit contra insensatos [4], et ad festum aeternae solemnitatis [5].

9. — **Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti quod frustra vox emittitur ad eum qui audire non potest; sed

1. S., Quaest. LXXVI, art. 1, ad 1m. — 2. 1 Thess., IV, 15. — 3. Matth., VIII, 26. — 4. Sap., V, 21. — 5. Ibid., Art. 2.

mortui non habebunt auditum; ergo non est conveniens quod vox aliqua formetur ad eos resuscitandum, — *respondetur* quod sicut formae sacramentorum habent virtutem sanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, sed ex hoc quod proferuntur, ita vox illa, quidquid sit, habebit efficaciam sacramentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur; sicut etiam, addit S. Thomas [1], vox ex ipsa impulsione aeris excitat dormientem solvendo organum sentiendi, non ex eo quod cognoscatur; quia iudicium de voce veniente ad aures sequitur excitationem, et non est causa eius.

**10. — Angelorum ministerium respectu resurrectionis.** — Quia ubicumque in aliquo divino effectu adest aliquid transmutabile, Deus utitur instrumentalitate creaturae suae, ideo in resurrectione, in qua et collectio cinerum et eorum praeparatio ad reparationem humani corporis, transmutationem quamdam important, utetur Deus ministerio angelorum, quod videri potest significatum in eo quod dicitur: *in voce Archangeli*. Nimirum, ministerium illud erit principaliter unius Archangeli, scilicet Michaelis, qui est princeps Ecclesiae, sicut fuit Synagogae: aget tamen ex influentia virtutum et aliorum superiorum ordinum; et similiter inferiores angeli cooperabuntur ei circa resurrectionem singulorum, quorum custodiae deputati fuerunt. — At, sicut anima immediate a Deo est creata, ita immediate a Deo corpori denuo unietur, scilicet absque aliqua angelica operatione; et similiter gloriam corporis Deus faciet absque angelico ministerio, sicut etiam animam immediate glorificat [2].

1. Ibid., ad 2m. — 2. Ibid., art. 3.

## ARTICULUS III. — *Utrum omnium mortuorum resurrectio simul futura sit in fine mundi.*

**1. — Ratio articuli.** — De vera resurrectione, sensu antea explicato [1], hic agitur, minime vero de simplici resuscitatione, qualis fuit Lazari, qui iterum mortuus est. Praeterea quaestio est de hominum generalitate, cum non obstet ut dicantur plures iam vere resurrexisse, uti de Beata Virgine fides Ecclesiae sentit, et theologice retineri potest de pluribus sanctis, ut puta de S. Ioseph et de S. Ioanne Evangelista [2]. Sed et graves auctores tenent sanctos illos qui, tempore resurrectionis Christi, leguntur a monumentis exiisse et apparuisse multis [3], amplius mortuos non esse, ut testimonium perhiberent resurrectionis Christi Domini [4]. — His ergo exceptis, quaeritur modo utrum convenienter mortuorum resurrectio usque ad finem mundi sit differenda, ita tamen ut omnium simul mortuorum resurrectio compleatur.

**2. — PROP. — Resurrectio humanorum corporum differetur usque ad finem mundi, quando omnes simul resurgent.**

**3. — Resurrectio in Sacra Scriptura.** — Imprimis, una exhibetur, in Sacra Scriptura, resurrectio futura in fine mundi; sic enim ait Dominus noster [5]: *Ego resuscitabo eum in novissimo die;* et Martha de fratre Lazaro ad Christum dicebat [6]: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Quod autem omnes simul resurrecturi

1. Prol., n. 3. — 2. Cf. tr. DE S. IOSEPH, P. II, art. 6, n. 17, p. 242. — 3. Matth., XXVII, 52, 53. — 4. Notat opportune Angelicus (S. Quaest. LXXVII, art. 1, ad 3m), evangelicam narrationem de sanctis qui tunc surrexerunt, intelligendam esse dictam per anticipationem, quod frequenter historiographis accidit, cum nulli vera resurrectione surrexerint ante Christum, eo quod ipse est *primitiae dormientium.* 1 Cor., XV, 20. — 5. Io., VI, 55. — 6. Ibid., XI, 24.

sint, patet ex hoc [1]: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem* (id est plenam animae et corporis beatitudinem), *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.*

4. — **Prob. rat. theol.** — Secundum positionem fidei, resurrectio erit in vitam immortalem, conformiter Christo qui *resurgens ex mortuis, iam non moritur* [2]; quando videlicet tota materia corporalis ita innovabitur, ut amplius non subiaceat variationi, quod erit quando motus caeli cessabit [3]. Atqui hoc non erit nisi in fine mundi. Ergo resurrectio humanorum corporum perficietur in fine mundi, et quidem simul, ut in communi gaudio omnium, maius fiat gaudium singulorum [4]. Rursus, resurrectio ad hoc futura est, ut expleto merendi tempore, omnes Christo iudici sistantur, retributionem ab eo accepturi. Atqui Christus venturus est in fine saeculi ad omnes simul iudicandos. Ergo omnium simul corporum humanorum resurrectio usque ad finem mundi differetur.

5. — **Tacita obiectio.** — Obiicienti, contra simultaneitatem resurrectionis, locum S. Pauli [5]: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi,* — facile respondetur, ly *primi* poni in oppositione ad id quod sequitur, scilicet: *deinde nos qui vivimus*, etc., ut evidenter patet ex textu graeco, ubi legitur *primum:* καὶ οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον; quasi dicat: primum resurrectio fiet, postea raptus omnium hominum obviam Christo; quotquot tamen sunt, fuerunt aut futuri sunt mortales, *simul unico momento reviviscent* [6].

6. — **Solvitur difficultas.** — Maior est convenientia capitis ad membra, quam membrorum ad invicem. Atqui

1. Hebr., XI, 39, 40. — 2. Rom., VI, 9. — 3. S., Quaest. XCI, art. 2. — 4. Ibid., Quaest. LXXVII, art. 1. — 5. 1 Thess., IV, 15. — 6. Tirinus, in h. 1, t. II, p. 240.

Christus, qui est caput nostrum, non distulit resurrectionem suam usque ad finem mundi ut simul cum omnibus resurgeret. Ergo non oportet quod humanorum corporum resurrectio differatur usque ad finem mundi. — *Prob. mai.* Nam maior est convenientia causae ad effectus, quam effectuum ad invicem.

Resp. *Dist. mai.:* convenientia proportionis, *conc.;* convenientia habitudinis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique caput magis convenit cum membris, quam membra conveniant ad invicem, si attendatur convenientia proportionis, quae in hoc consistit quod caput influit in membra; unde videmus quod etiam in membra valde dissimilia caput proportionaliter influit. At considerata dependentia membrorum a capite, maior est membrorum convenientia, cum omnia, modo suo, a capite influxum recipiant. Porro, Christi resurrectio est exemplar nostrae resurrectionis, cum ex fide illius resurrectionis consurgat in nobis spes de nostra resurrectione; non autem resurrectio alicuius membri Christi, quantumvis membrum istud ponatur perfectum, est causa resurrectionis caeterorum membrorum : ideoque licet aliqua membra magis conformia sint ad Christum, ut fuit Beatissima Virgo, tamen eis non debetur quod eorum resurrectio praecedat resurrectionem aliorum quasi exemplar exemplatum, sed hoc eis concessum est speciali gratiae privilegio [1].

7. — **Chiliastarum error.** — Ex doctrina huius articuli, patet respuendum esse chiliastarum figmentum, quod aliquando ut cancer in Ecclesiam serpsit. — Fuit millenariorum, qui graece χιλιασταί dicti sunt, opinamentum, a iudaica notione temporalis imperii messianici derivatum, duplicem futuram esse resurrectionem: unam, iustorum, mille annis ante iudicium finale; alteram, impiorum hominum, brevi tempore finale iudicium praeces-

1. Ad $1^{m}$, et $2^{m}$.

suram. Illo igitur mille annorum spatio, sancti illi resuscitati ac iusti viventes, iuxta aliquos ex veteribus Patribus qui huic systemati faverunt, cum Christo regnaturi forent in sancto sabbatismo, honestas delicias experturi; iuxta alios vero, materialismo addictos, ut Cerinthum, marcionitas et apollinaristas, omnibus corporis voluptatibus essent fruituri.

Locus autem Scripturae cui illi potissime innitebantur, erat sequens: [1] *Vidi... animas decollatorum, propter testamentum Iesu, et propter verbum Dei;... vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni: haec est resurrectio prima: in his secunda mors non habet potestatem, sederunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes;... et ascenderunt,... et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam. Et descendit ignis de caelo a Deo, et devoravit eos... Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt,... et iudicati sunt mortui.* Porro millenarii haec omnia sensu proprio accipientes, litteraliter applicabant futuro illi messianico regno.

Huius sententiae, inter catholicos, videtur fuisse S. Papias, qui saeculo secundo episcopus Hierapoleos in Asia fuit. Hic, mediocri ingenio praeditus, ut testatur Eusebius [2], cum fuisset olim Ioannis auditor et Polycarpi contubernalis, ea quae ab Apostolis symbolice et mystice dicebantur, τὰ ἐν ὑποδείγματι πρὸς αὐτὸν μυστικῶς εἰρημένα, materialiter intellexit, aliosque, ob auctoritatem qua pollebat, ad idem sentiendum induxit. Papiam secuti sunt, inter alios, S. Iustinus martyr, S. Irenaeus, Tertullianus atque Lactantius [3].

1. Apoc. XX, 4, 5. — 2. Hist. Eccl., l. III, c. 39. — 3. En quod de Papia scribit S. Hieronymus (De Viris illustribus, c. XXVIII): *Hic dicitur mille annorum iudaicam edidisse* δευτέρωσιν, *quem secuti sunt*

**8. — Quasnam absurditates millenarii seu chiliastae tradiderint.** — Ceterum, quam absurda fuerint ea quae passim a millenariis docebantur, colligi potest ex hoc S. Irenaei [1]: *Vineae nascentur* (in felici illo mille annorum regno), *singulae decem millia palmitum habentes, et in uno palmite dena millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena millia botruum, et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unumquodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini.* Nec dissimiliter loquitur Lactantius [2]: *Terra aperiet fecunditatem suam et uberrimas fruges sua sponte generabit; rupes montium melle sudabunt, per rivos vina decurrent, et flumina lacte inundabunt... Non bestiae per hoc tempus sanguine alentur, non aves praeda, sed quieta et placida erunt omnia. Leones et vituli ad praesepe simul stabunt, lupus ovem non rapiet, canis non venabitur, accipitres et aquilae non nocebunt, infans cum serpentibus ludet.* En quae a millenarismi fautoribus, retento risu, palam proferri solebant.

**9. — Refellitur millenarismus.** — Sciendum tamen opinionem hanc nunquam communem in Ecclesia evasisse, imo non defuisse, inde a saeculo secundo, ut ex S. Justino colligitur [3], qui illam oppugnaverint [4], usquedum penitus explosa evanuit saeculo quarto, quando insignes viri illam tamquam falsam, aut saltem valde improbabilem, abiecerunt. Quos inter, eminent Origenes, Dionysius episcopus Alexandrinus, Caius presbyter Ecclesiae Romanae, ubi videlicet haec opinio nunquam viguit, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus [5], S. Epiphanius [6], et

---

*Irenaeus, et Apollinarius et celeri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum resurrecturum. Tertullianus quoque, in libro de Spe fidelium, et Victorinus Petabionensis, et Lactantius hac opinione ducuntur.*

1. L. V, c. 33. — 2. Divin. Instit., l. VII, cc. 24. Migne, P. L., t. IV. — 3. Dialog. cum Triphone, n. 80. — 4. Vide Euseb., Hist., l. III, c. 28, 29, l. VII, c. 24. — 5. Orat. 4, n. 69. — 6. Haeres. LXXVII, n. 36.

praecipue S. Augustinus qui [1], ut etiam testatur S. Thomas [2], dicit verba Apocalypseos intelligenda esse de resurrectione spirituali, per quam homines a peccatis dono gratiae resurgent, quae est prima resurrectio, scilicet animae; altera vero resurrectio corporum est: sicut mors prima reproborum est damnatio solius animae, mors autem secunda, damnatio corporis simul et animae, quae infligetur in iudicio universali [3]. Regnum Christi autem dicitur Ecclesia, in qua cum Christo non solum martyres, sed etiam alii electi regnant, ut a parte totum intelligatur: nimirum specialiter mentio fit de martyribus, quia ipsi praecipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certarunt. Millenarius denique annorum numerus non significat aliquem certum numerum, sed designat totum tempus quod nunc agitur, in quo scilicet sancti cum Christo regnant, quia numerus millenarius designat quamdam universitatem [4].

**10. — Millenarismus Scripturae aperte opponitur.** — Praeterea, opinio haec Scripturae contradicit, quae adventum Christi ad diem ultimi iudicii differendum aperte significat [5]: *Quem* (Christum) *oportet quidem caelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum:* nimirum, tempus restitutionis omnium, a prophetis praedictum, aliud non est nisi illud, in quo unusquisque mercedem pro meritis accipiet con

1. L. XX de Civ. Dei, c. 7 seqq. t. VII. col. 580. Cf. etiam S. Gregor. Magn. Moral., l. IV, c. 1; l. IX, c. 1; l. XXXV, c. 20. Millenariorum sententiam aliquando S. Augustinus sectatus erat (Serm. CCLIX, al. XIX), ut ipsemet narrat (l. cit.); et licet illam postea abiecerit, non tamen tamquam formaliter haereticam haberi voluit, eo quod a quibusdam ex antiquis sanctis propugnata fuerat. Similiter loquitur S. Hieronymus, ad caput XX Ieremiae. — 2. S., Quaest. LXXVII, art. 1, ad 4m. — 3. Tirin., in Apoc., c. XX, vers. 5. — 4. Cf. Contra Gent., l. IV, c. 83. Cf. etiam Bellarmin., de Rom. Pontifice, l. III, c. 17. — 5. Act. II, 21.

gruam, tempus videlicet iudicii universalis et consummationis omnium, de quo adeo persuasi erant discipuli, ut palam quaererent [1]: *Quod signum adventus tui et consummationis saeculi?* quam quidem persuasionem Christus non correxit, sed potius responsione sua confirmavit [2].

Sed nec sinit fides nostra ut duplex distinguatur resurrectio, cum haec constanter exhibeatur facienda pro omnibus in novissimo die; sic aiebat Christus [3]: *Haec est voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [4]. Nec obstat aliquos sanctos simul cum Christo resurrexisse [5], hoc enim per speciale privilegium ipsis concessum fuit; quod autem habet S. Paulus [6]: *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi* (πρώτον), intelligendum est per respectum ad raptum sanctorum, qui resurrectionem generalem immediate sequetur.

Denique, advertemus, ea quae de voluptatibus sensuum nonnulli ex millenaristis comminiscebantur, nullimode componi posse cum documentis quae de vita post mortem Dominus Noster aperte tradidit [7]: *Illi qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores;* et S. Paulus ait [8]: *Non est regnum Dei esca et potus.* Ceterum potest dici millenariorum sententia implicite saltem reprobata per Concilii Florentini definitionem [9].

**11. — Millenarismus in media aetate.** — Licet systema millenariorum, a Patribus ac Doctoribus scholasticis con-

1. Matth., XXIV, 3. — 2. Ibid., vers. 29-37. — 3. Io., VI, 39, 40. — 4. Cf. Ibid., 44, 55; cf. etiam Iob, XIX, 25; 1 Cor., XV, 51. — 5. Matth., XXVII, 52. — 6. 1 Thess., IV, 15. — 7. Luc., XX, 35. — 8. Rom., XIV, 17. — 9. Decret. pro Graecis, Bulla *Laetentur caeli*, 6 Iul., 1439. D. — B., n. 693.

fossum, iamdudum obierit, media tamen aetate ac recentioribus temporibus sectatores nactum est, qui illud iterum ad vitam suscitare conati sunt. Ex catholicis, commemorandus occurrit celeber abbas Ioachim, qui chiliasmum quemdam doctrinis suis permiscuit, sectatores tamen non reliquit. Ex haereticis vero inveniuntur Waldenses chiliasmo favisse, necnon anabaptistae ac plures pietistarum fractiones: quibus connumerari potest impia Mormonum secta, saeculo elapso exorta, qui Christi adventum ac initium millenarii regni in dies expectat.

Tacendum hic quoque non est, protestantium plurimos, Apocalypseos libro temere abutentes, pro suo in Ecclesiam Romanam odio, eo procacitatis pervenisse, ut quae in illo libro referuntur de iudicio meretricis magnae, quae in prostitutione sua corrupit terram, eidem Ecclesiae praecise applicantes, dixerint millenarium Christi regnum post illius Ecclesiae iudicium et extinctionem incipere [1]. Tantum potest ex caeco odio insania parturiri!

**12. — Millenaristae recentiores.** — Tandem non defuerunt nec desunt, nostris hisce temporibus, scriptores qui se catholicos reputari volunt, contendentes instare iam diem, quo terrenum Christi regnum, utique millenariorum regno simile, at quod non sit per resurrectionem mortuorum, sed solum per aggregationem iustorum viventium, Christo iubente, inchoandum, et quod non per mille annos, sed in perpetuum durare debeat. Nimirum aiunt, iusti illi, qui adveniente Christo, vivi reperientur, peracto iudicio, ab eo rapientur nunquam morituri: quorum regnum per succedentes generationes nunquam cessabit, adeo ut unumquodque individuum in adamitica privilegia restauretur, usquedum unusquisque, transacto mille fere annorum spatio, ad aeternam in caelum gloriam vivus transferatur.

1. Cf. Apoc., XVII, 3, seq.

At somnia sunt ista, ex arbitraria Scripturarum interpretatione orta, ideoque reiicienda, cum compertum sit nulli licere sacros Libros contra eum sensum quem tenet Sancta Mater Ecclesia, interpretari; praeterea, huiusmodi redivivus millenarismus multipliciter offendit contra dogma catholicum. Primo, contradicit dogmati de universalitate transmissionis peccati originalis in posteros Adae, una excepta Beatissima Virgine, necnon de necessitate baptismi pro salute obtinenda. Deinde, pugnat contra conditionem militantis Ecclesiae, quae inter labores huius vitae ad patriam contendit, et cuius membra nonnisi per pressuras et passiones, quibus capiti Christo conformentur [1], ad finalem triumphum progrediuntur. Praeterea, certus est ac definitus electorum numerus; ideoque non est genus humanum, in quocumque statu, in infinitum multiplicandum. Denique probabilior sententia est, omnes homines, sive bonos sive malos, mortis legi cedere debere.

Quae cum ita sint, dicendum est millenariorum opinionem, quocumque modo accipiatur, inanis figmenti rationem non transcendere [2].

**13. — Quaestio I.** — *Utrum resurrectio futura sit noctis tempore?*

*Respondet* S. Thomas [3], determinatam horam temporis, qua fiet resurrectio, pro certo sciri non posse; satis probabiliter tamen a quibusdam dici quod fiet quasi in crepusculo, sole existente in oriente et luna in occidente, ut correspondeat Christi resurrectioni, quae tali tempore est

1. Rom., VIII, 17. — 2. Cf. *Les derniers temps*, par l'abbé Rongeyron, Paris, 1866. Item, *Essai sur le livre de Job et les prophéties relatives aux derniers temps*, par M. l'abbé Moglia, 1865. Similia legere est penes Canonicum Chabauty: *Resumé du système de la rénovation*; quod opus in indicem librorum prohibitorum relatum est 1894; necnon penes Canonicum Rohling, in op. *In viaggio per Sionne*, etc. — 3. S., Quaest. cit., art. 3.

peracta. — Ex quo quidem deduci non debet moram temporis in resurrectione adfuturam: quia resurrectio complebitur in ipso fine temporis, seu in illo momento in quo motus caeli cessabit [1].

**14. — Quaestio II.** — *Utrum resurrectio futura sit subito, an successive?*

*Resp.* Id quod in resurrectione fiet ministerio angelorum, scilicet collectio cinerum et eorum praeparatio ad reformationem corporis, complebitur quidem in tempore imperceptibili, at non proprie in instanti, si instans dicatur indivisibile temporis, cum nullus motus localis possit sic fieri in instanti; sed id quod perficietur virtute divina immediate, scilicet infusio animae, fiet subito, scilicet in termino temporis quo angelorum opus complebitur, iuxta illud [2]: *Omnes resurgemus,... in momento, in ictu oculi.* Quocirca illa resurrectionis descriptio quae apud Ezechielem habetur [3], qua succcessione actionum exhibetur futura corporum nostrorum reparatio, dicenda est posita pro vulgi intelligentia, capere non valentis quomodo tam grande opus in instanti compleri possit [4].

## Articulus IV. — *Utrum in resurrectione anima idem corpus resumet.*

**1. — Ratio articuli.** — Acto de corporum resurrectione in se ipsa inspecta, sequitur ut de conditionibus resurgentium investigatio proponatur, et primo quidem de identitate corporis animae iterum per resurrectionem copulandi, ex quo sequatur identitas hominis resurgentis. Ut autem quaestio haec rite solvatur, ob oculos teneri debet philosophica veritas qua docemur animam rationalem, utique substantiam immaterialem, specifice distinctam

1. Ad 1m. — 2. 1 Cor., XV, 51, 52. — 3. C. XXXVII, 8, seq. — 4. Ibid., art. 4, ad 2m.

ab anima sensitiva, uniri corpori non ut motorem mobili, sed ut formam substantialem materiae, ipsamque unam formaliter, virtute pollere multiplici, cum det corpori formam corporeitatis, necnon sit homini principium vivendi, sentiendi atque intelligendi.

2. — **Platonicorum error.** — Porro hac in re inveniuntur antiqui ac recentes multipliciter errasse. — Nimirum, platonici posuerunt animam non coniungi corpori essentialiter, sed solum accidentaliter, sicut homo coniungitur vestimento, et rursus animam intellectivam non differre ab anima sensitiva nisi accidentaliter, ut scilicet homo diceretur intellectum habere prae aliis animalibus, quia in eo propter optimam corporis complexionem vis sensitiva amplius viget. Ex hisce ergo profecti principiis posuerunt animam in resurrectione non esse de necessitate eidem corpori coniungendam, sed posse etiam ad aliud corpus coniungi: quandoque quidem idem specie, si scilicet anima olim in corpore existens ordinate vixerat, quandoque autem diversum, si praeter rationis ordinem vitam duxerat; unde eam dicebant transire post mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cuius moribus vivendo se conformaverat, puta, in corpus canis propter luxuriam, in corpus leonis propter rapinam et violentiam, et sic de aliis: post quod, si bene in hoc statu vixisset, post mortem, aliqua felicitate perfuncta, post aliquot saecula incipit ad corpus velle redire, et sic iterum corpori coniungitur humano. Et haec quidem platonicorum sententia haud paucos hodie nacta est sequaces [1].

3. — **Durandi opinamentum.** — Alii, cum Durando, conati sunt identitatem corporis resurgentis cum corpore

1. Sententia haec a Virgilio perbelle illustratur. Aeneid., l. VI, v. 679, seq. Vide quod de hoc scripsimus in op. L'ANIMA UMANA SEPARATA DAL CORPO, C. II, n. III, p. 47, seq.

mortali per hoc explicare, quod animae insit vis quaedam, qua imprimere potest novae materiae characterem praecedentis corporis. Nimirum, notum est corporis nostri materiam, in praesenti vita, in continuo fluxu constitui, nova scilicet materia accedente, veteri depulsa: iamvero, quemadmodum anima, in hac vita, tanta vi pollet, ut huic novae materiae sigillum propriae personalitatis imprimat, ita idipsum resurgens facere poterit: unde ad resurrectionem identitas materiae minime requiritur [1].

**4. — Leibnitii opinamentum.** — Leibnitius vero, haud multum a platonicis discedens [2], voluit in nobis esse germen subtile, ad instar corporis cuiusdam spiritualis, cuius natura etiam ex chimicorum arte deprehendi ac illustrari posset, quod quidem ab anima nunquam separatur, quodque in resurrectione evolvetur atque explicabitur, eo modo quo germina, ex quibus nascuntur plantae, evolvi solent: unde aliud mors non est, nisi huius terrestris et gravis corporis separatio, et resurrectio erit illius incorrupti germinis evolutio, cui anima semper unita manebit. Anima igitur, destructo crassiore corpore, in organico suo invisibili involucro conservatur, et resurrectio est ipsa huius involucri evolutio atque incrementum [3]. Haudquaquam huic positioni dissimilia sunt

1. Hoc systema a pluribus heterodoxis susceptum et illustratum est, prae ceteris a Carolo Bonneto, in sua PALINGENESIA, et in l. DE CORPORIBUS ORGANICIS. — 2. In op. de Systemate theologico. — 3. Sententiam hanc instauravit, non ita pridem N. I. Laforet in op. LES DOGMES CATHOLIQUES, *exposés, prouvés et vengés des attaques de l'hérésie et de l'incrédulité*, t. IV, p. 447, Tournai, Casterman, 1860, his verbis: *Le corps ressuscité sera donc identique au corps actuel du moment où reparaîtra cette même force qui le maintient aujourd'hui, lui imprime sa forme propre et marque son individualité... Sans doute cette force, qui est le principe de l'identité du corps, s'assimilera des éléments matériels qu'elle marquera de son empreinte; mais il n'est nullement nécessaire qu'elle reprenne les mêmes molécules qui composaient la matière du corps au moment de la mort: l'identité des molécules n'est pas essentielle à l'iden-*

quae de perispiritu commentantur spiritistae atque theosophi hodierni.

**5. — Error Origenis.** — Origenis error hic recenseri potest, qui posuit animas, post resurrectionem, non amplius propriis copulandas esse corporibus, sed aliis diversis a Deo creatis, pro meritorum diversitate. Obiicienti vero Domini Nostri resurrectionem, respondebat ille [1]: *Nec vos, o simplices, resurrectio Domini decipiat, quod latus et manus monstraverit, in littore steterit, in itinere cum Cleopha ambulaverit, et carnes et ossa habere se dixerit... Non dissimulat naturam aerei corporis et spiritualis. Clausis enim ingreditur ostiis, et in fractione panis ex oculis evanescit.* — Hunc eumdem errorem Eutychius, Patriarcha Constantinopolitanus, saeculo sexto, edito libro, renovavit, dicens corpora nostra futura alterius generis ac modo sunt, scilicet subtiliora atque aëre puriora: quem errorem S. Gregorius Magnus, ut ipse memorat, refutavit [2], coram imperatore Tiberio Constantino, qui eum librum combussit; ipsemet vero Eutychius resipuit. Cum enim iam morti proximus esset, pellem manus suae tenens, dicebat: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.* Eidem errori plures haeretici adhaesere, quos inter Anabaptistae saeculi XVI.

Porro, cum alia sit identitas specifica, alia identitas numerica, ut contra praedictas sententias ordinatim pro-

---

*tité du corps.* Idipsum tenet Card. L. Billot, scribens (Quaestiones de novissimis, ed. 3a, p. 168): *Videretur satis* (numerica resurgentium corporum identitas) *repeti ex identitate animae, cui quaecumque materia accedat secundum successionem temporis, semper idem manet homo, idemque numero corpus simpliciter.* Quod explicans, addit (p. 177): *Cum igitur Deus possit facere in instanti id quod natura facit cum motu, potest quoque facere ut vere resurgat mortuus, ne unam quidem habens partem materiae quam habebat ante mortem.*

1. Apud S. Hieronym., l. contra Io. Hier., n. 26. — 2. Cf. L. XIV Moral., c. 56, nn. 72-74.

cedamus, primo loco statuenda est identitas specifica corporis humani ante mortem et post resurrectionem.

6. — PROP. I. — **Corpus quod in resurrectione ab anima resumetur, non aëreum vel belluinum, sed proprie humanum erit.**

7. — **Auctoritas.** — Hanc fidei veritatem olim definivit Concilium Toletanum XI his verbis [1]: *Hoc exemplo capitis nostri confitemur, veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum; nec in aërea vel qualibet alia carne, ut quidam delirant, surrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, consistimus et movemur* [2].

8. — **Prob. rat. theol.** — I. Revera, nostra resurrectio, ut argumentatur S. Thomas [3], conformis futura est resurrectioni Christi, secundum illud [4]: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Atqui Christus, post resurrectionem, habuit corpus palpabile, ex carnibus et ossibus consistens, cum discipulis dixerit [5]: *Palpate et videte,* etc. Ergo et alii homines rusurgentes corpora palpabilia habebunt ex carnibus et ossibus composita.

II. Praeterea, anima unitur corpori sicut forma materiae. Atqui omnis forma habet determinatam materiam : potentia enim proportionatur actui. Ergo cum anima sit eadem secundum speciem, videtur quod habeat eamdem materiam secundum speciem. Erit ergo, concludit S. Doctor, idem corpus secundum speciem post resurrectionem et ante.

9. — **Solvuntur difficultates.** — I. Corpus debet proportionari animae. Atqui anima in resurrectione non erit

1. A. D. 675 cel. — 2. D.-B., n. 287. — 3. L. IV Contra Gent., c. 84. — 4. Phil., III, 21. — 5. Luc., XXIV, 39.

eiusdem conditionis sicut modo est. Ergo anima in resurrectione non resumet idem corpus specifice. — *Prob. min.* Anima, in resurrectione, vel transferetur totaliter in vitam caelestem cui inhaesit vivens in mundo, vel deprimetur in brutalem vitam, si brutaliter in hoc mundo vixerit.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* accidentaliter, *conc.;* substantialiter, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique anima, in resurrectione, alterius conditionis erit, at non secundum ipsam rei substantiam, verum secundum aliquid accidentale, scilicet secundum gloriam vel miseriam, prout hic sancte vel inique vixerit: cui novae conditioni et corpus ipsum, licet idem secundum speciem erit ac nunc est, proportionabitur, gloriae claritatem vel damnationis miseriam, suo modo, participans [1].

II. S. Paulus ait [2]: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Atqui non eiusdem speciei est corpus animale et corpus spiritale. Ergo anima in resurrectione non eiusdem speciei corpus resumet.

*Resp.* Differentia corporis animalis et spiritualis, hic ab Apostolo posita, non est nisi accidentalis: nimirum, corpus nostrum nunc, quod traximus ex Adam, est quale habent cetera animalia, crassum, caducum, indigens cibo ac potu; in resurrectione autem habebimus, ex Christi meritis, corpus spiritui simile, scilicet subtile, immortale et impassibile, cibo et potu non amplius indigens, corpus nempe spiritui subiectum, quale est corpus gloriosum [3].

**10.** — PROP. II. — **Anima in resurrectione idem numero corpus resumet.**

**11.** — **Prob.** — De fide est haec propositio, non minus ac praecedens, quae sic habetur in Concilio Lateranensi

1. S., Quaest. LXXIX, art. 1, ad 2m. — 2. 1 Cor., XV, 44. — 3. C. 3, Quaest. LIV, art. 1, ad 2m.

IV[1]: *Qui omnes* (scilicet, tam reprobi quam electi) *cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala.* Pariter, in professione fidei Waldensibus imposita, habetur: *Corde credimus et ore confitemur huius carnis, quam gestamus, et non alterius, resurrectionem* [2].

Evidenter quoque in Scriptura haec veritas significatur; ita enim aiebat S. Iob [3]: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* — *Ubi hic corpus aethereum?* quaerit S. Hieronymus [4]. *Ubi aëreum, et spiritui et aurae simile?... Videbo autem in ista carne, quae me nunc cruciat, quae nunc prae dolore distillat.* Similiter S. Paulus [5]: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.*

**12. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti locum S. Pauli [6]: *Quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum;* ubi S. Paulus comparat mortem seminationi et resurrectionem pullulationi: non est autem idem numero quod seminatur et quod pullulat; ergo non idem numero erit corpus quod per mortem deponitur et quod in resurrectione resumetur, — *respondetur* praedictam similitudinem non currere per omnia, sed solum quantum ad aliquid. Nimirum, in seminatione grani, ait S. Thomas [7], granum seminatum non est cum grano nato idem numero nec eodem modo se habens, cum primo seminatum fuerit absque folliculis, cum quibus tamen nascitur; corpus autem resurgens erit idem numero, sed alio modo se habens: quia fuit mortale et surget in immortalitate.

1. Cap. I. Firmiter. D. - B., n. 429. — 2. D. - B., n. 427 — 3. C. XIX, 26. — 4. L. contra Io. Hierosolym., n. 30. t. II., col. 438. — 5. 1 Cor., XV, 54. — 6. 1 Cor., XV, 37. — 7. S., Quaest. LXXIX, art. 1, ad 1m.

**13. — Prob. ex traditione.** — Huius rei testis est, inter multos, Tertullianus, qui ait [1]: *Si resurrectio mortui est, mortuum autem non aliud est quam corpus, corporis erit resurrectio.*

S. Hieronymus etiam [2]: *Quomodo Dominus post resurrectionem fixuras clavorum ostendit in manibus, vulnus lanceae monstravit in latere,... sic et nos post resurrectionem, eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes, et sanguinem, et ossa;* et rursus [3]: *Sed et ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari.* Idem quoque affirmat S. Ambrosius [4].

Pariter, S. Ioannes Damascenus ait [5]: *Resurrectionem dicentes, corporum resurrectionem intelligimus: Resurrectio enim est secunda eius quod cecidit erectio,* ἀνάστασιν λέγοντες, σωμάτων φαμὲν ἀνάστασιν· ἀνάστασις γάρ ἐστι δεύτερα τοῦ πεπτωκότος στάσις: sed hoc corpus, quod nunc gerimus, per mortem cecidit; ergo idem numero corpus resurget.

Denique huc refert quod defunctorum corporibus honorem Ecclesia tribuit, moremque incinerationis penitus reprobat, atque coemeteria sua benedictione specialiter deputat, ut ibi pia asserventur mortuorum cadavera usque ad resurrectionis diem; denique fideles eorum sepulchra devote frequentant atque sanctorum reliquias magno honore asservant. Ex quibus omnibus rite concluditur, certam Ecclesiae mentem esse, ipsissimas defunctorum exuvias in ultima die resurrecturas.

**14. — Ratio theol.** — Ex his S. Damasceni verbis, ita licet argumentari. Resurrectio dici non potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata

1. L V, contra Marcion., c. 9. — 2. Contra Io. Hierolym., n. 28. t. II., col. 436. — 3. N. 33. — 4. L. de Fide resurrectionis, n. 87. t. V., col. 71. — 5. L. IV Orthod. Fid., c. XXVII in init., t. II, pp. 300, 301.

surrectio. Atqui eiusdem est surgere et cadere; unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Quapropter, si non esset idem corpus quod anima resumit, nec diceretur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio [1], quo modo Verbi incarnatio resurrectio dici non potest.

Accedit quod, ut tradit Catechismus Romanus [2], oportet hominem, ex ipso corpore, cuius opera vel Deo vel daemoni servivit, resurgere, ut cum eodem triumphi coronas recipiat, vel inferni poenas miserrime perferat.

**15. — Explicatur propositio.** — Ad intelligendum quomodo pulvisculus, in quem post aliquod tempus cadaver humanum reduci solet, possit esse materia apta quae, ex contactu animae illum denuo informantis, exurgat in corpus vivum, idem numero ei quod ante mortem existebat, prius advertendum est, cum S. Thoma [3], non requiri, ad hoc quod resurgat homo idem numero, quod quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae resumatur, sed sufficit ut tantum resumatur quantum necessarium est ad complementum debitae quantitatis; et praecipue illud resumendum videtur, quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens, puta cor aut cerebrum. Cum igitur homo subiiciatur iugi fluxui partium materiae, aliis accedentibus, recedentibus aliis decursu temporis [4], sufficere dicemus ad identitatem corporis resurgentis, ut illa materia resumatur, quae in homine fuit mortis tempore.

Ulterius attendendum est, opus reconstructionis humani corporis duplici causae fore adscribendum, scilicet Deo et animae rationali, aliter tamen et aliter: nam Deo attribuitur tamquam causae efficienti, animae vero tan-

1. S., Quaest. LXXIX, art. 1. — 2. P. I, art. XI, n. 9. — 3. L. IV Contra Gent., c. 81. — 4. Asserunt artis physiologicae peritiores systema corporis humani quoque septennio renovari.

quam causae formali, substantialiter et sic immediate informanti materiam. Et quidem, quantum ad Deum, nulla difficultas, *non* enim *erit impossibile apud* eum *omne verbum* [1]; at per respectum ad animam, grave occurrit dubium.

**16. — Solvitur dubium. —** Materia cadaveris resolvitur in materiam quamdam elementarem, quae cum humano corpore praexistente non convenit, nisi in materia prima, quo modo omnis alia elementaris materia cum praedicto corpore conveniet: ergo non videtur quomodo dici possit idem numero corpus quod ex priori materia reconstruitur, potius quam si ex alia materia reconstrueretur: materia enim prima eadem est in omnibus.

Cui *respondetur,* materiam primam eamdem quidem esse in omnibus specie, non autem numero. Ad quod intelligendum, sciendum est, in rebus compositis, ex materia et forma, unum quid constitui non solum in specie, sed etiam in individuo, ita quod materia separata a forma, sub quacumque nova forma inveniatur, maiorem habeat identitatem ad illud quod ex ea compositum erat, quam alia quaecumque pars materiae sub quacumque forma haec inveniatur: unde eadem numero materia ad corpus humanum reparandum reducetur, quae prius fuerat illius materia.

Dicendum igitur, in cineribus hominis mortui, etsi non sit aliqua potentia naturalis, ad unionem cum anima in eis praeexistente, sed solum potentia obedientalis, seu ex ordine divinae providentiae resultans, adesse tamen, prae aliis cineribus, quamdam proportionem ad animam quae illos antea informaverat, quae proportio fundatur in hoc quod ex illis et anima unum suppositum efformabatur; unde cineres illi retinere dicendi sunt dimensiones

1. Luc., I, 37.

non terminatas quae, post separationem animae, adhuc eaedem manent [1].

Potest huius rei luculentum exemplum subministrari in eo quod in Incarnatione Verbi contingit, in qua scimus singularem humanam naturam a Verbo fuisse terminatam: porro, dato quod Verbum singularem hanc humanam naturam, quam sibi in unitatem personae copulavit, dimitteret, si postea iterum fieri vellet idem numero homo ac antea erat, resumere deberet illammet humanam naturam cui antea hypostatice coniunctum fuerat, non autem aliam, ex eo quod natura illa prior maiorem identitatem habet ad illud quod ex ea et Verbo fuerat efformatum, quam alia quaecumque natura.

**17. — Solvuntur difficultates.** — Differentia in forma facit differentiam in numero. Atque cineres, ut fiant corpus humanum, debent prius informari forma mixtionis, quae differt ab anima rationali. Ergo non resurget idem numero corpus.

Resp. *Dist. mai.:* si agitur de forma substantiali, *conc.;* si de forma accidentali, *nego. Dist. min.:* cineres debent prius informari forma substantiali, *nego;* accidentali, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Pretium operae hic est verba referre quibus S. Thomas hanc solvit difficultatem. Sicut qualitas simplex, ait [2], non est forma substantialis elementi, sed accidens proprium eius et dispositio, per quam materia efficitur propria tali formae; ita forma mixtionis, quae est qualitas resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, non est forma substantialis corporis mixti, sed est accidens proprium et dispositio per quam materia fit necessaria ad formam. Corpus autem humanum praeter hanc formam mixtionis non habet aliquam formam substantialem nisi animam rationalem, quia si haberet aliam formam substantialem priorem, illa daret

1. Ad 3m. — 2. Ad 4m, ad litt.

ei substantiale esse, et sic per eam constitueretur in genere substantiae, unde anima iam adveniret corpori constituto in genere substantiae; et sic comparatio animae ad corpus esset sicut comparatio formarum artificialium ad suas materias, quantum ad hoc quod constituuntur in genere substantiae per suam materiam: unde coniunctio animae ad corpus esset accidentalis; quod est erroneum [1].

**18. — Corollarium.** — Ex hac doctrina sequitur eumdem fore numero hominem qui resurget, iuxta illud Iob [2]: *Quem visurus sum ego ipse et non alius*, ubi loquitur de visione post resurrectionem; quo etiam facit illud S. Augustini dicentis [3]: quod *resurgere nihil est aliud quam reviviscere.* Revera, ubi est eadem numero anima, idem numero corpus atque idem esse utriusque, necesse est esse eumdem numero hominem. Atqui in resurrectione eadem sunt numero anima, corpus, atque esse quod anima tunc corpori communicat. — Sed nec aliter fas est resurrectionem concipere, quae ad hoc ponitur, ut homo finem ultimum, propter quem factus est, consequatur, quod in hac vita fieri non potest, nec in vita animae separatae. Atqui necesse est illud idem numero ad finem pervenire, quod propter fidem est factum, ne in vanum esse factum videatur, quod quidem fit quando idem numero homo est qui resurgit [4].

Quocirca, interruptio nulla facta est in esse substantiali hominis, ut non possit idem numero redire homo propter interruptionem essendi, sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interrumpitur, forma non remanente, materia autem sub alio esse existente: unde impossibilis foret, etiam de potentia Dei absoluta, resurrectio eiusdem bruti cuiuscumque [5]. Quia autem ani-

3. Cf. quae scripsimus in op. L'OPERA DEI SEI GIORNI, Vol. II, C. III, n. 19, pag. 113. — 1. XIX, 27. — 2. L. VIII, de Trin., c. 5. — 3. S., Quaest. LXXIX, art. 2. — 4. Ad 1m.

ma rationalis, simul est virtualiter sensitiva, ideo vim habebit in resurrectione rursus influendi corpori eosdem sensus quos illud antea habebat [1].

**19. — Solvuntur tacitae difficultates.** — Nec obstat novitas coniunctionis animae ad corpus: haec enim, sive spectetur tanquam relatio, sive tanquam relationis fundamentum, est aliquid accidentale, ad rationem huius humanitatis non magis pertinens quam generatio vel creatio: unde resurgentis identitatem minime destruit: actio enim et passio, ex quibus erat humanitas, non sunt de essentia humanitatis, et similiter relatio quae humanitatem concomitatur [2].

Nec etiam obstat quod statua, si ex eodem aere reficiatur, non erit eadem numero; ergo multo minus si homo ex eisdem pulveribus reficiatur, erit idem homo numero: — non enim idem iudicium faciendum est de statua et de homine, cum statua sit artificiale quoddam, non autem homo. Equidem, statua ponitur in genere substantiae ratione suae materiae, et hoc modo considerata, eadem est numero statua quae ex eadem materia reparatur; at secundum quod est artificiale quoddam, habet formam accidentalem, quae transit, destructa statua, et cum reparatur, non redit eadem numero. Forma autem hominis, scilicet anima, eadem manet post dissolutionem corporis, et sic idem numero est homo qui resurget [3].

**20. — Scholion.** — Denique, quod attinet ad dispositionem pulverum humanorum in ordine ad varias partes corporis inde reconstruendi, dicendum est, generaliter loquendo, pulveres illos divinitus ordinandos esse ad illas respective partes, ad quas antea pertinebant. Et hoc quidem necessario dicitur, si agatur de partibus essentialibus, cum ablata identitate partium essentialium, auferatur identitas

1. Ad 3m. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 4m.

totius: unde pulveres ad cor aut cerebrum olim pertinentes secundum identitatem situs, ordinabuntur ad has partes reconstruendas; non autem ita res necessario praedicanda est, si agatur de partibus accidentalibus, ut sunt capilli et ungues, in quibus proinde non est necesse ut servetur idem situs, licet probabiliter dici possit, in his etiam situs identitatem observari [1].

## Articulus V. — *Utrum humana corpora resurgent integra.*

**1. — Ratio articuli. —** Cum integritas respiciat partes ex quibus res aliqua composita conflatur, hinc praesens quaestio in hoc dubium resolvitur, utrum corpori humano, in resurrectione, omnes partes quae ipsi uti tali competunt, sint redonandae. Partium vero, quae sunt in humano corpore, aliae sunt de prima intentione naturae, quae videlicet ad operationes animae exequendas ordinantur, quales sunt cerebrum, cor, hepar, manus et pedes; aliae autem partes veluti secundariae, ordinantur ad conservationem principalium partium, sicut capilli et ungues, quae quibusdam membris adiunguntur, sicut foliis fructus cooperiuntur. Rursus, distingui in humano corpore debent humores qui illud pervadunt et quibus membrorum motum explicat. Quocirca de hisce omnibus dubitatur utrum in resurrectione restituenda sint.

Praeterea, ad integritatem rei pertinet omne id quod de illius veritate fuit: unde, cum corpus humanum hinc quidem in hac vita, per nutrimentum, nova iugiter percipiat incrementa, illinc vero, post mortem, ita corrumpatur, ut possit etiam fieri aliorum hominum cibus, hinc secundo loco haud facilis quaestio solvenda erit, utrum totum id quod fuit in corpore de veritate humanae naturae, sit in ipso resurrecturum.

1. Ibid., art. 3.

**2.** — PROP. I. — **Corpus humanum resurget cum omnibus membris suis.**

**3.** — **Verba Catechismi Romani.** — Veritatem hanc, quae solemni huic principio innititur [1]: *Dei perfecta sunt opera,* ita declarat Catechismus Romanus [2]: *Neque corpus tantum resurget, sed quidquid ad illius naturae veritatem, atque ad hominis decus et ornamentum pertinet, restituendum est... Qui enim vel ab ipso ortu oculis capti sunt, vel ad aliquem morbum lumina amiserunt, claudi atque omnino manci, et quibusvis membris debiles, integro ac perfecto corpore resurgent; aliter enim animae desiderio, quae ad corporis coniunctionem propensa est, minime satisfactum esset, cuius tamen cupiditatem in resurrectione explendam esse, sine dubitatione credimus.*

**4.** — **S. Augustini auctoritas.** — Huic rei aperte suffragatur S. Augustini auctoritas dicentis [3]: *Absit, ut ad resuscitanda corpora vitaeque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quae vel bestiae vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus secretumque naturae ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem... Restituetur ergo et quidquid de corporibus vivis, vel post mortem de cadaveribus periit* [4].

**5.** — **Ratio theol.** — Anima se habet ad corpus non solum in habitudine formae et finis, sed etiam in habi-

1. Deut., XXXII, 4. — 2. P. I, De Undec. art., n. 9. — 3. L. XXII, de Civ. Dei, cc. 20, 21. t. VII, coll. 683-684. — 4. Legendus est S. Augustinus, qui per plura capita in citato libro argumentum de modo resurrectionis mortuorum profunde simul et catholice pertractat. Cf. etiam Enchir., cc. 86-90. Vide quoque S. Hieronym., in Libro ad Pammachium, de erroribus Ioannis Hierosolym., n. 33, t. II col. 440.

tudine causae efficientis; unde ad illud comparatur sicut ars ad artificiatum; ideoque quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter atque implicite in anima continetur. Ergo homo perfectus esse nequit, nisi corpus animae ad plenum proportionaliter respondeat. Atqui corpus non resurget nisi in ordine ad animam rationalem: aliunde ad ultimam hominis perfectionem resurget. Igitur necesse est illud perfecte resurgere, seu cum omnibus membris suis [1]: illis quoque non exclusis, quorum usus in altera vita non amplius in actum prodibit, ut sunt membra generationi inserventia, ex quibus ostendetur, absque ulla offensione, virtus potentiarum animae in instrumentis corporis. *Non enim libido ibi erit*, ait S. Augustinus [2], *quae confusionis est causa: nam prius quam peccassent* (primi parentes), *nudi erant, et non confundebantur vir et femina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur.* Igitur, criterium esto: in resurrectione homini restituetur quidquid ad illius perfectionem, sive consideretur ut animae instrumentum, sive ut illius proprium templum, pertineat.

**6. — Scholion. I.** — Quae cum ita sint, nullimode dubitari potest quominus homini capilli et ungues restituantur, cum etiam Dominus expresse dixerit [3]: *Capillus de capite vestro non peribit.* Re quidem vera, etsi partes huiusmodi prima facie superfluae videantur, tamen datae sunt homini in ornamentum et ad aliarum partium conservationem, eo modo quo ars militaris vagina, ad gladii conservationem, utitur: ergo, cum homo resurrecturus sit in omni perfectione suae naturae, necesse est ut capilli et ungues resurgant in ipso [4], cum aliunde et isti participent de vita animae; nutriuntur enim et augentur, non secus ac aliae corporis partes [5].

1. S., Quaest. LXXX, art. 1. — 2. L. XXII, de Civ. Dei, c. 17. t. VII, col. 679. — 3. Luc., XXI, 18. — 4. S., Quaest. LXXX, art. 2. — 5. Ad 3m.

7. — **Solvitur tacita difficultas.** — Ad hoc corpus resurget, ut praemietur de opere quod anima per ipsum gessit. Sed membrum propter furtum amputatum furi, qui postea poenitentiam egit et salvatur, non potest in resurrectione remunerari: nec de bono, quia ad hoc cooperatum non est, nec de malo, quia poena membri in poenam hominis redundaret. Ergo non omnia membra resurgent cum homine.

Respondet S. Thomas [1], *quod actus quibus meremur, non sunt, proprie loquendo, manus vel pedis, sed totius hominis, sicut et operatio artis non attribuitur instrumento, sed artifici: quamvis ergo membrum quod ante poenitentiam est mutilatum, non sit cooperatum homini in statu illo quo gloriam promeretur, tamen ipse homo meretur ut totus praemietur, qui ex toto quod habet Deo servit.* Huc quoque pertinet illud Catechismi Romani [2] dicentis, impiorum etiam corpora mutilata resurrectura fore integra; quae quidem restitutio, non ad eorum felicitatem, sed calamitatem ac miseriam est redundatura: *cum merita non ipsis membris, sed personae, cuius corpori coniuncta sunt, adscribantur.*

8. — **Scholion II.** — Pariter compertum unicuique esse debet humores illos, qui ad perfectionem atque veritatem humanae naturae pertinent, et quibus virtus naturalis corporis ostenditur et explicatur, in resurrectione esse integraliter restituendos. Licet enim humores non eodem modo perficiantur ab anima rationali sicut partes principales, ad eam tamen quodammodo pertinent, quemadmodum videmus partes universi a Deo perfectiones consequi, non aequaliter, sed unamquamque secundum modum suum. Ergo sicut in Christo, qui typus est nostrae resurrectionis, integraliter absque omni diminutione fuerunt non solum vera caro et vera ossa, sed etiam hu-

1. Ibid., art. 1, ad 3m. — — 2. P. I, art. XI, n. 11.

mores pertinentes ad integritatem humanae naturae in illo novo statu, ita etiam in nobis erunt.

Dicimus humores *pertinentes ad integritatem humanae naturae in illo novo statu:* nam humores illi qui consistunt in recedendo a perfectione individui et sunt in via corruptionis atque a natura abiiciuntur, ut sudor, sanies et huiusmodi, profecto in resurrectione non resumentur; sicut nec humores qui a natura ordinantur ad conservationem speciei, sive per actum potentiae generativae, ut semen, sive per actum nutritivae potentiae, ut lac, cum homine resurgent, cum non sint de perfectione hominis in illo novo statu. Pariter non resurget substantia illa, quae ex cibo in stomacho decoquitur, et est in via transeundi ad formam carnis, quae chylus dicitur, cum post resurrectionem singulae partes corporis in suis formis sint constabiliendae.

At certissime resurgent humores illi quos natura ordinavit ad membra quae ex eis vegetantur, et habent aliquas formas determinatas sicut et aliae partes corporis, inter quos eminet sanguis, quem Christum resumpsisse in sua resurrectione certissimum est, alias nunc vinum non transubstantiaretur in Sanguinem eius in sacramento altaris [1].

**9.** — PROP. II. — **Totum id quod fuit in corpore de veritate humanae naturae, considerata totalitate speciei, resurget in ipso.**

**10.** — **Declaratur prop.** — Ad quod intelligendum, sciendum est, aliquid dici esse de veritate humanae naturae, quod ad illius esse proprie pertinet et hoc est

1. Art. 3. Cf. 3, Quaest. LIV, art. 2. De diversis corporis partibus, necnon de humorum distinctione per respectum ad animam, fuse egimus in op. L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. II, c. IV, nn. 13. seqq. Facile poterit unusquisque, ex principiis hic statutis, deducere quinam ex illis humoribus resurrecturi sint.

quod participat formam humanae naturae: sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri, ex qua est esse proprium auri. Porro considerandum est quod caro humana, si consideretur secundum speciem, id est secundum id quod est formale in ipsa, semper manet eadem, quia semper manet natura carnis et dispositio naturalis ipsius; sed si consideretur caro secundum materiam, sic non manet, sed paulatim consumitur et restauratur, sicut patet in igne fornacis, cuius forma manet, sed materia paulatim consumitur et alia in locum eius substituitur [1]. — Aliud opportunum exemplum subministratur in multitudine civitatis, cum singulis subtractis a multitudine per mortem, alii in loco eorum succedunt; unde partes multitudinis fluunt et refluunt materialiter, sed formaliter manent: quia ad eadem officia et ad eosdem ordines substituuntur alii, a quibus subtrahebantur priores, unde respublica una numero remanere dicitur.

Porro, idipsum dicendum est de humano corpore, in quo ex nutrimento restauratur id quod per naturalem calorem consumitur; ideoque, sicut paulatim combusto uno ligno, aliud substituitur, et sic deinceps, semper manente eodem numero igne, ita idem numero per totam vitam manet homo, licet aliquid semper ei ex alimento de novo reparetur [2]; unde S. Augustinus dicit [3]: *Alimenta carnis corrupta,* id est amittentia formam suam, *in membrorum fabricam migrant,* in quantum alimentum vere accipit speciem carnis et ossis et huiusmodi partium, seu vere convertitur in veritatem naturae humanae; ita quod corpus humanum et partes eius semper maneant quantum ad id quod est speciei in eis, sed fluant et refluant quantum ad id quod est materiae.

Quae cum ita sint, intentio praesentis propositionis est ut ostendatur, non quidem quod totum id quod fuit

1. I, Quaest. CXIX, art. 1, ad 2m. -- 2. Ibid., ad 5m. — 3. In lib. de vera Relig., c. 40, n. 74, t. I, col. 774.

de veritate humanae naturae in corpore humano per totam eius vitam resurget in ipso, secus oporteret ut corpus resurgens foret densissimum vel immoderatae quantitatis, sed quod illudmet resurget quod tempore mortis de veritate humanae naturae habuit. Materia enim, ex qua conflatur corpus humanum, non habet ordinem ad animam rationalem, et consequenter ad resurrectionem, nisi in quantum ultimo invenitur ab ea informata.

**11. — Prob. prop.** — Quidquid fuit de veritate humanae naturae, fuit perfectum anima rationali: totum enim quod est sub forma carnis et ossis eadem ratione perficitur anima rationali et ideo pertinet ad veritatem humanae naturae, quia non distinguendum est aliquid materiale signatum permanens in homine toto tempore vitae eius, quod primo et per se pertineat ad veritatem humanae naturae, et aliquid fluens et refluens, quod solum propter perfectionem quantitatis, non autem propter primum esse speciei ad humanam naturam pertineat. Atqui ex hoc habet corpus humanum ordinem ad resurrectionem, quod fuit anima rationali perfectum. Ergo totum quod est in homine resurget, considerata totalitate speciei quae attenditur secundum quantitatem, figuram, situm et ordinem partium: non autem resurget totum, considerata totalitate materiae.

Praeterea, si a corpore hominis subtrahatur aliquid quod est de veritate humanae naturae in ipso, non erit corpus hominis perfectum. Atqui omnis imperfectio hominis tolletur in resurrectione, praecipue ab electis, quibus promissum est[1] quod *capillus de capite* eorum *non peribit*[2]. — Attamen, hic quoque moderata quantitas attendenda erit, determinanda secundum iudicium divinae providentiae, ut advertit S. Augustinus[3]: *Quapropter, si capilli toties*

1. Luc., XXI, 18. — 2. S., Quaest. LXX, art. 4. sed contra. — 3. L. XXII, de Civ. Dei, c. 19. t. VII, col. 681.

*tonsi unguesve desecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt; nec tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eamdem carnem, ut quemcumque ibi locum teneant, servata partium congruentia, materiae mutabilitate vertentur :* quibus verbis significatur defectum aliarum partium posse ex superfluitatibus capillorum reparari [1].

**12. — Solvuntur difficultates.** — I. Costa Adae fuit de veritate naturae humanae in ipso, sicut et costa nostra in nobis. Atqui costa Adae non resurget in eo, sed in Eva, alias Eva non resurgeret, cum de costa illa formata fuerit. Ergo non resurget in homine quidquid fuit in eo de veritate humanae naturae.

*Resp.* Costa illa protoparentis Adae non resurget in ipso sed in Eva, cum in Adam non fuerit de perfectione individui, sed ordinata ad Evae formationem et ad speciei multiplicationem, eo modo quo semen non ordinatur ad generantem, sed ad genitum; unde non resurget in generante, sed in genito [2].

II. Homo, quandoque in cibum sumit carnes bovis vel aliorum animalium. Atqui cibus convertitur in veritatem humanae naturae. Ergo si resurgere debeat quidquid de veritate humanae naturae fuerit, sequetur quod etiam caro bovis vel aliorum animalium sit resurrectura, quod est inconveniens.

*Resp.* Res naturalis non est id quod est, ex sua materia, sed ex sua forma : unde quamvis illud materiae, quod quandoque fuit sub forma carnis bovinae, resurgat in homine sub forma carnis humanae, non tamen inde sequitur quod resurgat formaliter caro bovis, sed resurgit caro hominis : alias posset concludi quod resurget limus de quo formatum est corpus Adae [3].

1. S., Quaest., L. XXX, art. 5, ad 1m. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 1m.

**13. — Quaestio I.** — *In quonam resurget caro quae ab alio homine fuerit comesta?*

*Resp.* Cum non sit necesse quod quidquid fuerit in homine materialiter, resurgat in eo, et aliunde, si quid desit, suppleri possit per divinam omnipotentiam, hinc dicendum est quod caro in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei; et si aequaliter in utroque accesserit, resurget in illo in quo primo fuit perfecta anima rationali, quia in illo primo habuit ordinem ad resurrectionem ex coniunctione ad animam rationalem illius hominis; ideoque si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas quae non pertineret ad veritatem humanae naturae in primo, resurgere poterit in secundo. In secundo igitur, loco illius quod in ipso non resurget, sumetur aliquid de eo quod ex aliis cibis in eius carnem conversum est [1].

**14. — Quaestio II.** — *Quid, si quis nullo unquam cibo pastus fuerit, nisi carnibus humanis?*

*Resp.* Huismodi resurget in eo quod a generantibus traxit [2]; et divina virtute aliunde supplebitur quantum indigebitur ad perfectionem quantitatis, eo modo quo divina virtus supplet in illis qui ante perfectam aetatem decedunt. Nec per hoc, addit S. Thomas [3], aliquid praeiudicatur identitati in numero, sicut nec praeiudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt et refluunt.

**15. — Solvuntur difficultates.** — I. De veritate humanae naturae maxime videtur esse illud quod a parentibus trahitur. Sed si quis non comedens nisi carnes humanas, filium generet, oportet quod illud quod filius a parente trahit sit de carnibus aliorum hominum, quas

1. S., Quaest. LXXX, art. 4, ad 3m. — 2. L. IV, Contra Gent., c. 81. — 3. S., Quaest. LXXX, art. 4, ad 3m.

pater suus comedit, cum semen sit de superfluo alimenti. Illud ergo, quod est de veritate humanae naturae in puero isto, fuit etiam de veritate humanae naturae in aliis hominibus, quorum pater carnes comedit [1].

*Respondet* S. Thomas [2], non esse possibile quod totum, quod fuit in carnibus comestis, convertatur in semen, *quia post multam depurationem cibi pervenitur ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultimi cibi. Illud autem quod de carnibus comestis in semen convertitur, pertinet magis ad veritatem humanae naturae in eo qui ex semine nascitur, quam in illo ex cuius carnibus semen est generatum: et ideo... hoc quod in semen conversum est, resurget in eo qui ex semine nascitur: residuum vero materiae resurget in* (illis ex quorum) *carnibus comestis semen est generatum,* quia videlicet in illis caro illa primo habuit ordinem ad resurrectionem ex coniunctione ad animam rationalem in illis hominibus. Quantum vero ad illum qui ex aliorum carnibus vesci solitus fuit, resurget in eo id quod traxit ex parentis semine: reliquum vero divina virtute supplebitur, et eo modo in unitatem suppositi trahetur, quo nunc cibus quo vescimur.

II. In embryone nihil videtur esse, quod non sit de veritate humanae naturae, quia totum quod est in eo, a parentibus trahitur. Porro, potest fingi casus quo quis nonnisi embryonibus vescatur. Cum autem superfluitas cibi convertatur in semen, oportet quod illud quod fuit de veritate humanae naturae in embryonibus, sit etiam de veritate humanae naturae in puero qui ex tali semine generatur: ergo non videtur in quonam illud resurget: videlicet, utrum in illo puero, an in embryonibus.

1. Casus est: Titius, anthropophaga, solis carnibus humanis vesci solitus fuit. Ergo oportet ut caro Sempronii, filii eius, fuerit de veritate humanae naturae eorum quorum carnes Titius comedit: unde cum non possit idem resurgere in duobus, non videtur cuiusnam corpus, ex Sempronii cineribus, resurrecturum sit. — 2. Ad 4m.

*Resp.* Imprimis sciendum est, embryonem inde ab initio suae formationis ex semine, nutriri et augescere, et hoc quidem antequam anima rationali informetur [1]: ideoque si quis solis embryonibus vesceretur, post eorum animationem ex anima rationali, idem dicendum foret, quod in solutione superioris difficultatis dictum est. Quod si in illo semine contineretur aliquid quod fuisset de substantia seminis in illis embryonibus, hoc resurgeret in primis et non in puero ex illo semine generato: residuum autem carnium comestarum, quod non est conversum in semen, constat quod resurgeret in primo, divina potentia utrique supplente id quod deest [2].

**16. — Epilogus.** — Sed recensiti casus magis sunt speculativi quam practici: non inutiliter tamen recitati sunt, et hoc quidem ad laudem et gloriam Dei, ex cuius infinita bonitate expectamus beatam spem resurrectionis, ut appareat nihil prorsus obstare, quominus unusquisque nostrum in ea carne resurgat quam habuit dum mortalem vitam degeret, eo prorsus modo quo Christus Dominus in eadem carne quam assumpserat, resurrexit, et quidem in ea corporis integritate et perfectione quae tam praecellenti operi convenit.

## ARTICULUS VI. — *Utrum omnes resurgent in vita animali.*

**1. — Ratio articuli.** — Post expensam doctrinam de integritate corporum resurgentium, sequitur ut de eorum qualitate agatur, et quidem tum quoad bonos, tum quoad malos, inspecta animalis vitae conditione in nobis. Vitam autem animalem hic dicimus, non quae in cognitione

1. Cf. L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. II, c. VI, n. 12, p. 225. — 2. Ad 5m.

sensitiva explicatur, sed quae functiones vitae vegetativae perficiat, quae sunt ut homo cibis utatur, augescat et sibi in specie similes generet. Constat enim hominem, in resurrectione, testimonio sensuum usurum fore, qui intellectuali operationi naturaliter inserviunt: sed dubitatur utrum inferioris vitae operationes, quae spiritui directe non subserviunt, ideoque animales vocantur, locum tunc sint habiturae. Fuerunt enim qui ponerent hominem absque delectationibus corporalibus perfecte beatum esse non posse, in quo plures Epicuri gregales ex Chiliastis et Iudaeis numerantur. Maxime autem militat praesentis articuli doctrina contra Mahumeti sequaces, quibus ille, si fideles perseveraverint, sensibiles quasque voluptates, ne grossioribus quidem exclusis, repromittit [1].

**2. — PROP. — In resurrectione non erunt functiones vitae animalis.**

**3. — Quomodo vita aeterna in Scriptura designetur.** — Huc imprimis referri possunt verba Domini Nostri ad Sadducaeos [2]: *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo:* quae verba commentans Angelicus, ait [3]: *Ridiculum videtur delectationes quaerere corporales, in quibus nobiscum animalia bruta communicant, ubi expectantur delectationes altissimae, in quibus cum angelis communicamus, quae erunt in Dei visione, quae nobis et angelis erit communis.* Porro, quod de hominibus in resurrectione dicitur, quod *erunt sicut angeli Dei in caelo,* seu, ut habet S. Lucas [4], quod *aequales angelis sunt,* intelligendum est, non natura, sed puritate, incorruptione,

1. Ab hisce voluptatibus, utpote foedissimis, recensendis consulto abstinemus; nec laudare possumus scriptores illos qui, in illis recitandis, etsi sub latini sermonis velamine, omnis modestiae obliti, insipienter indulgent. — 2. Matth., XXII, 30. — 3. L. IV, Contra Gent., c. 83. — 4. XX, 36.

immortalitate; ac proinde neque cibo, neque nuptiis opus habent, quae soli corruptioni arcendae, et interitui praecavendo institutae sunt, ad speciem conservandam, propagandam et perpetuandam [1].

4. — **Solvuntur difficultates.** — Obiicienti Dominum Nostrum post resurrectionem comedisse [2], — *respondetur,* illam comestionem non fuisse necessitatis, quasi cibis indigeret humana natura post resurrectionem, sed fuisse potestatis, ut ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat et biberat. At huiusmodi ostensio necessaria non erit in resurrectione communi, quia omnibus notus erit; et ideo, advertit Angelicus [3], dicitur Christus dispensative manducasse, quia intermisit hoc quod est communiter resurgentium, scilicet non uti cibis, ut scilicet veritatem suae humanitatis comprobaret; unde cibus ille non fuit conversus in carnem, sed resolutus in praeiacentem materiam [4].

5. — **Prob. rat. theol.** — Duplex in homine perfectio distingui potest: prima, quae consistit in integritate eorum quae ad naturam spectant; altera, quae reposita est in perventione ad ultimum finem. Porro, ad hanc secundam perfectionem nequit homo pervenire nisi per resurrectionem: ad primam vero perfectionem pervenire potest homo, in statu praesentis vitae, per actionem causarum naturalium; unde resurrectio propter hanc perfectionem necessaria non erit, cum ad eam causandam vel conservandam ordinentur operationes naturales vitae

1. — Tirinus, in h. l. Perperam tamen, ad hoc argumentum conficiendum, recurreret quis ad hunc S. Pauli locum (1 Cor., XV, 44): *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale,* hoc enim ad illam corporum gloriosorum proprietatem refertur, quae subtilitas vocatur. — 2. Luc., XXIV, 43; Io., XXI, 13. — 3. S., Quaest. LXXXI, art. 4, ad 1m. — 4. Contra Gent., l. IV, c. 83.

praesentis, quae sunt actiones vitae animalis in homine, et actiones mutuae in elementis et motus caeli: quapropter haec cessabunt in resurrectione. Sunt autem operationes vitae animalis comedere, bibere, dormire et generare: unde huiusmodi operationes in resurrectione deerunt[1]. Deficiente autem sumptione cibi, deficiet etiam illa, quae ad cibi assimilationem ordinatur, sanguinis circulatio: remanente vitae materialis explicatione, in organismo humano, per exclusivum animae influxum, absque materialis nutritionis adminiculo. Nec hoc impossibile reputandum est, cum etiam in Christo Domino, necnon in pluribus sanctis, vitam Deus absque omni cibo, per longius tempus, miraculose conservaverit.

**6. — Confirmatur.** — Triplicis generis sunt operationes vitae vegetativae, scilicet nutritio, augmentum et generatio: quarum duae priores ordinantur ad bonum individui, tertia, ad conservationem et propagationem speciei. Atqui, remota a corporibus resurgentium vita corruptibili, necesse est ut removeatur nutritio seu usus ciborum qui ad corruptionem propulsandam ordinatur; pariter, cum homines resurrecturi sint in debita corporum suorum quantitate, ut dicemus, non est cur de augenda eius mole sermo instituatur; denique, fixus erit, nec augeri poterit, peracta iam resurrectione, hominum numerus; imo tantopere differetur mundi finis, ut omnes simul, quemadmodum sunt eiusdem naturae, ita simul novam vitam recipiant; unde generatio omnis tunc cessabit[2]. Ergo desinent tunc omnes operationes vitae proprie animalis: quae quidem non sunt hominis in quantum est homo, et in quibus non consistit beatitudo corporis humani, cuius nobilitas, sicut in praesenti vita, ex refulgentia animae resultat, ita complebitur in resurrectione

1. S., Quaest. LXXXI, art. 4 — 2. L. IV, Contra Gent., c. 83.

ex *redundantia a ratione, a qua homo est homo, in quantun erit ei subditum* [1].

**7. — Solvuntur difficultates.** — I. Dominus Noster dixit [2]: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo.*

*Resp.* Auctoritas illa, similesque auctoritates, quae ciborum usum post resurrectionem repromittere videntur, spiritualiter intelligendae sunt, quandoquidem Sacra Scriptura nobis proponit intelligibilia sub similitudine sensibilium [3]. Ceterum, mens Christi hic est, ad discipulorum contentionem de primatu temporali, ob oculos eorumdem ponere eorum praedestinationem in primos principes regni caelestis, omnium regi proximos atque familiarissimos.

II. Sexuum distinctio ad generationem ordinatur; ac similiter instrumenta, virtuti nutritivae inservientia, ad comestionem. Atqui homo cum omnibus huiusmodi resurget. Ergo utetur actibus virtutis generativae et nutritivae.

*Resp.* Differentia sexuum et membrorum varietas erit ad humanae naturae perfectionem reintegrandam et in specie et in individuo: unde non sequitur quod sint frustra, quamvis animales operationes desint [4].

III. Felicitas beatorum omnes declarationes includit. Atqui in actu virtutis nutritivae et generativae est magna delectatio. Ergo tales actus, ad vitam animalem pertinentes, aderunt saltem in beatis.

*Resp.* Delectationes corporales non sunt simpliciter delectationes, sed secundum quid, scilicet, in quantum tollunt certarum operationum fastidium, sicut medicinae adhibentur ad homini sanitatem restituendam; solae au-

1. S., l. cit., ad 3m. — 2. Luc., XXII, 29. 30. — 3. C. Gent., l. IV, c. 83. — 4. Ad 2m.

tem delectationes spirituales sunt simpliciter delectationes et propter se quaerendae, ideoque ipsae solae ad beatitudinem requiruntur [1].

**8. — Quaestio I.** — *Utrum omnes homines resurgent in aetate iuvenili?.*

Resp. *Affirmative:* homo enim resurget absque omni defectu naturae, quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita absque defectu reparabit. Duplex autem fingi potest defectus: vel quia quis nondum ultimam perfectionem est assecutus, ut patet in pueris; vel quia iam ab ultima perfectione recessit, ut videre est in senibus: in iuvenili autem aetate homo habet statum perfectum, cum ad eam terminetur motus augmenti, et ab ea incipiat motus decrementi. Ergo in iuvenili aetate resurgent omnes, in qua etiam Adam dicitur formatus: non quod tot anni ante eius formationem fuerint numerandi, sed propter talem corporis conditionem quam primo die formationis suae habuit [2].

Re quidem vera, si comparetur iuvenilis aetas cum senectute, utique invenietur quod ista prae illa reverentiam habet: at hoc non est propter conditionem corporis, quod in defectu est, sed propter sapientiam animae, quae ibi esse praesumitur ex temporis antiquitate: unde in electis manebit reverentia senectutis propter plenitudinem divinae sapientiae, quae in eis erit, sed non manebit senectutis defectus [3]. — Rursus, si iuventus comparetur cum aetate puerili, invenietur quod in puero est efficacior virtus ad alimenti assimilationem; sed tamen in iuvenibus natura perfectior est quantum ad terminum complementi [4].

Potest autem confirmari haec veritas verbis S. Pauli [5]: *Donec occurramus omnes... in virum perfectum, in*

1. Ad 4m. — 2. Art. 1, corp., et ad 2m. — 3. Ad 1m. — 4. Ad 3m. — 5. Eph., IV, 13.

*mensuram aetatis plenitudinis Christi:* quae verba, licet in sensu primario spectent ad corpus Christi mysticum, instar capitis Christi perficiendum, in sensu tamen secundario a sacris Doctoribus intelliguntur de aetate qua exemplar nostrum, Christus Dominus, resurrexit, scilicet triginta circiter trium annorum [1]: ubi id quod dicitur, *in virum perfectum,* ponitur propter virtutem animi, non propter sexum virilem, cum unusquisque sexum proprium sit retenturus, ut mox dicetur [2].

**9. — Quaestio II.** — *Utrum omnes resurgent eiusdem staturae?*

Resp. *Negative;* quantitas enim naturalis consequitur naturam uniuscuiusque individui. Porro, in resurrectione non variabitur natura individui, ergo nec quantitas naturalis eiusdem. — Revera, non est eadem ratio de aetate et de statura: primum enim attenditur secundum naturam speciei, quae absque omni defectu esse debet in resurrectione; alterum vero attenditur secundum virtutem individui, quae non est eadem in omnibus. Unumquodque enim individuum in specie humana assequitur, infra terminos illius latitudinis, aliquem gradum quantitatis, ad quam perducitur in termino augmenti, si non fuerit aliquis error in opere naturae, ut patet in nanis vel in monstris: quapropter, non omnes resurgent in eadem quantitate; sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset; quod autem superest vel deficit in homine, resecabitur vel supplebitur a divina Providentia [3].

**10. — Quaestio III.** — *Utrum omnes resurgent in sexu virili?*

Resp. Negative: *melius quippe sapere videntur,* ait S. Augustinus [4], *qui utrumque sexum resurrecturum*

1. Cf. Tirinus, in L. l. — 2. N. 10. — 3. Art. 2. — 4. L. XXII, de Civ. Dei, c. 17. t. VII, col. 679.

*esse non dubitant.* Revera, Deus in resurrectione reparabit id quod in prima conditione naturae instituit. Atqui sexuum distinctio ad ipsam naturae institutionem pertinet: legimus enim quod Deus *masculum et feminam creavit eos* [1]. Ergo uterque sexus in resurrectione reparabitur. Differentia enim sexuum pertinet ad naturam cuiuscumque individui : ergo sicut debetur diversa quantitas diversis hominibus, ita etiam diversus sexus; et sicut resurgent homines in diversis staturis, ita et in diversis sexibus. — Nec timenda erit oculorum offensio : aberit enim penitus omnis libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur. — Deerit tamen tunc praelatio viri in mulierem : mulier enim nunc viro subditur propter imbecillitatem naturae, et quantum ad vigoren animi et quantum ad robur corporis ; sed post resurrectionem non erit differentia in his secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritorum [2].

1. Gen., I, 27. — 2. Art. 3. — Scite advertit G. M. L. MONSABRÉ (Esposiz. del Dogma catt., nota ad Confer. CI), sedulo debere catholicum hominem abstinere ab illis sic dictis scientificis theoriis, quibus apologistae hodierni plures nisi sunt dogma de resurrectione explicare et sic mentibus infidelium acceptabile reddere, cum illud potius eorumdem infidelium irrisioni exponant, qui putantes fidem nostram tam debilibus inniti rationibus, illam despectui habent. Unde et germen palingenesiacum a Carolo Bonnet, et principium identitatis a Baguenault de Puchèse excogitatum, merito reiicit, una cum opinione Durandi et Oswaldi, identitatem hominis in anima sola reponentium.

## QUAESTIO VIII.

## DE CONDITIONIBUS CORPORUM BEATORUM RESURGENTIUM.

### PROLOGUS.

**1. — Corpora omnium resurgentium erunt incorruptibilia.** — Postquam de resurrectione corporum egerimus, sequitur ut distinctis quaestionibus agamus de eorumdem conditionibus, tum in beatis, tum in damnatis. Hisce tamen praemittendum est id quod utrisque commune erit, scilicet ea incorruptibilia, seu immortalia fore; quam admirabilem naturae restitutionem, ait Catechismus Romanus [1], *insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit,* sicut scriptum est [2]: *Praecipitabit mortem in sempiternum;* et [3]: *Ero mors tua, o mors;* quod explicans Apostolus, ait [4]: *Novissima inimica destruetur mors;* et [5]: *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Divinae quoque iustitiae consentaneum est, ut boni in anima simul et corpore beata vita perpetuo fruantur, mali pariter sempiternas poenas luant; unde apud S. Ioannem legimus [6]: *Mors ultra non erit* [7].

**2. — Differentia inter primam hominis formationem et resurrectionem.** — Ad quod plenius intelligendum, advertendum est, animam et corpus diverso ordine com-

1. P. I, art. XI, n. 12. — 2. Is., XXV, 8. — 3. Os., XIII, 14. — 4. 1 Cor., XV, 26. — 5. Ibid., 42. — 6. Apoc., XXI, 4. — 7. Difficultatem deprompta ex eo quod homo interdum definitur *animal rationale mortale,* solvit S. Thomas in S., Quaest. LXXXII, artic. 1. ad 1m, advertendo quod ly *mortale* non signat differentiam essentialem, sed accidentalem.

parari in prima hominis formatione atque in eiusdem resurrectione. Nimirum creatio animae sequitur, in signo rationis, corporis formationem, quatenus materiae per generantis virtutem elaboratae Deus animam infundit, unde anima corporis corruptibilitate quodammodo inficitur: in resurrectione vero corpus coaptabitur animae iam praeexistenti, ideoque immortalitatem animae participabit. Ergo prima vita quam homo per generationem accipit, corruptibilis est; altera vero incorruptibilis [1]. — Equidem Deus homini innocenti immortalitatis necnon impassibilitatis privilegium contulerat, at hoc fuit conditionate, scilicet quoadusque Deo fidelis perseveraret: post resurrectionem vero ista privilegia inconditionate restituuntur, quibus alia adduntur, quae communiter *dotes* corporum beatorum audiunt.

**3. — Dotes corporum beatorum.** — Supposita igitur resurgentis hominis incorruptibilitate, iam de huiusmodi corporum beatorum dotibus, quibus tanquam praeclaris proprietatibus refulgent, agendum erit. Sunt autem dotes perfectiones quaedam effluentes ab anima glorificata in corpus, vi quarum corpus non solum non resistet voluntati spiritus, quod fuit etiam in corpore Adae, sed etiam habile reddetur ut perfecte eidem subiiciatur; unde a Catechismo Romano dicuntur *insignia quaedam et praeclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam unquam antea fuerint* [2]; et habendae sunt tanquam qualitates quaedam, ab anima glorificata in corpus effluentes, quibus mediantibus anima corpus sibi perfecte subiicit [3]. *Tam potenti natura,* ait S. Augustinus [4], *Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non*


1. Contra Gent., l. IV, c. 82. — 2. Catechism. Roman., loco cit. — 3. Cf. Ferrariens., Comment. in L. IV Contra Gent., c. 86. — 4. Ep. CXVIII ad Dioscor., c. 3, n. 14; al. epist. XLV, t. II, col. 334.

*beatitudo quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.* Huiusmodi autem praerogativas iubet nos fides agnoscere in Christi et Beatissimae eius Matris corporibus iam verificatas: unde utile simul et iucundum erit ea quae in huius disputationis decursu dicturi sumus, ad illas sanctissimas personas transferre, simulque ex hac consideratione piam fiduciam concipere, qua valeat animus ardua vitae sustinere, dicens cum propheta [1]: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.*

4. — **Quot sint huiusmodi dotes.** — Quatuor autem corporum beatorum dotes theologi communiter, post S. Thomam, corporibus gloriosis attribuunt, scilicet, impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem et claritatem: quae hoc distycho comprehenduntur:

*Clari, subtiles, agiles, impassibilesque:*
*Omnes quadruplici pollebunt dote beati.*

Huius vero numeri ratio est, quia corpus relate ad animam refertur, primo, ut materia ad formam, et ex hoc habetur dos impassibilitatis; secundo, ut instrumentum ad agens principale, unde oritur subtilitas; tertio, ut mobile ad motorem, ex quo sequitur agilitas; quarto, ut artificiatum ad artem, ex quo habetur dos claritatis




1. Ps. CXXI, 1.

Quapropter quatuor hic quaeruntur.

*Primo.* Utrum sancti resurgent quoad corpora impassibiles.

*Secundo.* Utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.

*Tertio.* Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.

*Quarto.* Utrum claritas inerit corporibus gloriosis.

## ARTICULUS I. — *Utrum sancti resurgent quoad corpora impassibiles.*

1. — **Quid sit impassibilitas.** — Impassibilitas, quae ponitur prima ex proprietatibus corporum beatorum, a Catechismo Romano describitur [1] *munus et dos, quae efficiet ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant: nihil enim aut frigorum vis, aut flammae ardor, aut aquarum impetus, obesse eis poterit.* — Ad intelligendum vero quo modo hic impassibilitas sumitur, sciendum est passionem dupliciter dici: uno modo, communiter, et sic omnis receptio dicitur passio, sive illud quod recipitur sit conveniens recipienti et perfectivum ipsius, sive contrarium et corruptivum; alio modo proprie, in quantum res aliqua movetur ab eo quod sibi secundum suam naturam convenit, sicut aestuare atque algere, variisque cruciatibus affici. Et quidem hoc secundo sensu passio hic accipitur: non priori, cum nihil quod est perfectionis sit a corporibus beatorum auferendum [2].

2. — PROP. I. — α) **Corpora sanctorum resurgent impassibilia,** β) **non tamen omnia aequaliter.**

3. — **Ostenditur ex Sacra Scriptura.** — Veritas haec evidenter eruitur ex pluribus locis Sacrae Scripturae,

1. P. I, art. XI, n. 13. — 2. S., Quaest. LXXXII, art. 1.

puta, ubi dicitur [1]: *Seminatur* (corpus hominis) *in infirmitate, surget in virtute,* quasi nihil sit fortius corporibus sanctorum; et rursus [2]: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (sanctorum): *et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra:* scilicet Deus erga sanctos se geret ut teneram matrem, quae lacrymulas ab oculis parvulorum suorum detergere solet, eisdemque blanditur ac eos peramanter osculatur. — *Resurgent igitur sanctorum corpora,* ait S. Augustinus [3], *sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit* [4].

**4. — Prob. 1ª Pars.** — Omnis proprie dicta passio fit per victoriam agentis super patiens, quatenus agens trahit patiens ad terminos suos. Impossibile est autem quod aliquid dominetur supra patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formae propriae supra materiam patientis: non enim materia subiicitur uni contrariorum, sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur: forma enim dominatur super materiam ligando potentiam materiae, et sic determinando ipsam ad unum. Atqui corpora sanctorum, in resurrectione, erunt perfecte subiecta animae rationali, quia anima erit perfecte subiecta Deo: non quidem mutabiliter, sicut fuit in statu innocentiae, sed immutabiliter et permanenter. Ergo potentia passiva corporis gloriosi erit perfecte ligata per victoriam animae supra corpus, ut nunquam in actum passionis exorbitantis exire possit, nec aliquid illud removere poterit a dominio animae; et propterea nunquam mutari poterit contra dispositionem illam qua perficitur ab anima et sic erit impassibile [5].

1. 1 Cor., XV, 43. — 2. Apoc., XXI, 4. — 3. Enchirid. c. 91, t. VI, col. 130. — 4. Cfr. Sermo XCIX de Tempore; S. Ambros., in Epist. 1 ad Cor., c. XV. — 5. S., Quaes. LXXXII, art. 1. ad 2m.

**5. — Prob. 2ª Pars.** — Igitur, propria causa impassibilitatis corporum gloriosorum erit perfectum dominium quod habebit anima super corpus proprium. Atqui dominium huiusmodi causabitur ex hoc quod ipsa anima fruetur Deo immobiliter. Ergo in eo qui perfectius fruetur Deo. erit maior impassibilitatis causa, ut maiori merito maius praemium, ex hoc quoque capite, respondeat: nimirum, eo maius erit, in resurrectione, animae beatae in corpus dominium, quo eidem istud plenius in hac vita obtemperaverit [1].

**6. — Solvitur difficultas.** — Contraria nata sunt agere pati ad invicem. Atqui in corporibus sanctorum resurgent elementa sibi invicem contraria. Ergo corpora sanctorum resurgent passibilia.

Resp. *Dist. mai.:* quando sibi ipsa relinquuntur, *conc.;* quando adhibentur ab agente perfectae virtutis, *nego. Dist. min.:* tanquam instrumenta perfecte subdita animae, *conc.;* tanquam agentia independentia, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quia elementa corporis, in resurrectione sanctorum. animae, tanquam principali agenti, perfecte subdentur, ideo nullam passionem proprie dictam causare poterunt; eo vel magis quia *divina potentia,* ut ait S. Augustinus [2], *valet de ista visibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus, auferre quas voluerit, qualitates;* sicut ab igne fornacis Chaldaeorum abstulit virtutem comburendi quantum ad aliquid, quia corpora puerorum illaesa servata sunt, sed mansit quantum ad aliquid, quia ignis ille ligna comburebat [3].

**7. — Quaestio.** — *Utrum cicatrices vulnerum remanebunt in sanctis martyribus?*

*Respondet* S. Thomas [4] quod cicatrices vulnerum non

1. Art 2. — 2. Epist. ad Consentium, quae est 205. t. II. col. 768. — 3. Ad 3m et 4m. — 4. Ad 5m.

erunt in sanctis in quantum important aliquem defectum, sed in quantum sunt signa constantissimae virtutis qua passi sunt pro iustitia et fide, ut ex hoc et ipsis et aliis gaudium crescat [1]: quod si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra, haec profecto restituentur in illa generali resurrectione [2].

8. — PROP. II. — **Impassibilitas corporum gloriosorum non excludet actum sentiendi.**

9. — **Ostenditut ex Sacra Scriptura.** — Veritas haec apparet ex eo quod pluries, in Sacra Scriptura, mentio fit de sanctorum, post resurrectionem, sensationibus: dicitur enim [3]: *Videbit eum* (scilicet Christum ad ultimum iudicium venientem) *omnis oculus.* Similiter, in patria erit odor, qui est obiectum odoratus, cum Ecclesia cantet quod odor suavissimus erunt corpora sanctorum. Nec deficiet ibi laus vocalis, iuxta illud [4]: *Exaltationes Dei in gutture eorum;* ex quo rite infertur, auditui non defuturum proprium obiectum: et idem proportionaliter dicatur de actu aliorum sensuum. Denique, nec deerit ibi vis locomotiva, cum de iustis dicatur [5] quod *tanquam scintillae in arundineto discurrent:* porro eadem est ratio de sensu et de motu locali, quibus animatum ab inanimato distinguitur.

10. — **Ratio. theol.** — Ad intelligendum autem quomodo beati sentiendi facultatem exercebunt, sciendum est organa sensus immutari a rebus quae sunt extra animam, dupliciter: uno modo, immutatione naturali, seu materiali et physiologica, secundum quam ipsa organa afficiuntur eadem qualitate materialis obiecti, sicut cum manus ex tactu rei calidae calefit, vel ex tactu rei odoriferae fit odorifera; alio modo, immutatione spirituali, vel

1. Cf. 3, Quaest. LIV, art. 4. — 2. Cf. S. Augustin. L. XXII, de Civit. Dei, c. 20. — 3. Apoc., I, 7. — 4. Ps. CXLIX, 6. — 5. Sap. III, 7.

formali et intentionali, secundum quod species vel intentio qualitatis et non ipsamet qualitas recipitur in sensu, quo modo pupilla recipit speciem albedinis, quin ipsamet efficiatur alba. — Porro, licet in statu praesentis vitae sensus ipse immutetur materialiter ex receptione specierum seu intentionum sensibilium, in corporibus tamen gloriosis, ob dotem impassibilitatis, non erit nisi immutatio formalis seu spiritualis [1], qualis est immutatio aeris per respectum ad colorem, qui in aere recipitur solum secundum esse spirituale; et huiusmodi immutatio non trahit corpus extra suam naturalem dispositionem, sed spiritualiter perficit [2].

**11. — Solvitur difficultas.** — Quando anima est in actu intenso unius potentiae, remittitur actus alterius potentia. Atqui anima, in beatis, summe erit intenta contemplandis per intellectum divinis operibus. Ergo non erit in actu virtutis sensitivae.

Resp. *Dist. mai.:* quando obiecta harum potentiarum sunt disparata, *conc.;* quando unum obiectum est ratio alterius, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Quia Deus apprehendetur a sanctis per intellectum ut ratio omnium quae ab eis aguntur, sentiuntur vel quomodocumque cognoscuntur, ideo eorum occupatio tum circa sensibilia, tum circa alia contemplanda quaecumque non impediet nec remittet divinam contemplationem, vel viceversa; sicut medici considerationem de arte medica non impedit aut remittit utcumque observatio coloris vel pulsus animalis [3].

**12. — Scholion.** — Placet hic pauca addere, ex S. Thoma [4] de operatione quorumdam ex sensibus. — Imprimis *visus* in beatis, post resurrectionem, perfectissi-

1. Art. 3; cf. 1, Quaest. LXXVIII, art. 3. — 2. Ad 1m et 2m. — 3. Ad 4m. — 4. S., Quaestio LXXXII, art. 4.

mus erit, in quantum oculi eorum sub angulo multo minori videre poterunt quam modo possint, et consequenter multo magis a remotis [1]. Recreabuntur autem adspectu rerum pulcherrimarum, et imprimis sacrosanctae humanitatis Christi, necnon corporum gloriosae Virginis Mariae et omnium sanctorum, atque splendore totius universi. Nec ipsis impedimento erit intensio luminis ex dote claritatis derivata: haec enim non auferet aut pessumdabit propriam oculi structuram, sed potius perficiet, eo modo quo gratia et gloria perficiunt naturam [2]. — De *gustu* dicendum, quod secundum quod est sensus alimenti vel potus, non erit in actu; sed secundum quod est iudicativus saporum, forsan esse poterit, per immutationem linguae *ab aliqua humiditate adiuncta* [3]. — Demum, sensus *tactus* aderit actu in beatis, non quidem sic ut materialiter afficiatur ab obiecto suo, sed spiritualiter tantum, sicut fuit in corpore Adae, *quod nec ignis urere nec gladius scindere potuisset, et tamen horum sensum habuisset* [4].

Quae cum ita sint, concludendum est nihil homini, ex honestis voluptatibus, quas operationes sensitivae causare possunt, defuturum, quominus ex hac quoque parte plene beatus esse valeat, iuxta illud [5]: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.*

## Articulus II. — *Utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.*

**1. — Quid sit subtilitas.** — Subtilitatis nomen, ait Angelicus, a virtute penetrandi est assumptum. Quod autem corpus aliquod sit penetrativum, contingit ex paucitate materiae, unde corpora rarefacta subtilia dicimus. Quia autem in corporibus rarefactis, forma magis praedomi-

1. Ad 6m. — 2. Ad 5m. — 3. Ad 2m. — 4. Ad 1m. — 5. Ps. XXXV, 8.

natur materiae, ideo translatum est nomen subtilitatis ad illa corpora quae optime substant formae, et perficiuntur ab ea completissimo modo: quo modo dicimus aurum vel aliquid huiusmodi subtile, quando perfectissime completur in esse et virtute suae speciei[1]. Rite igitur subtilitas a Catechismo Romano dicitur[2] ea dos, *cuius virtute corpus animae imperio omnino subiicietur, eique serviet, et ad nutum praesto erit*[3]. — Quae cum ita sint, patet subtilitatem, ut est dos corporum glorificatorum, in hoc differre ab impassibilitate, quod per istam corpus animae, tamquam formae actuanti atque perficienti omnino subditur; per illam vero anima corpori, tamquam spiritus materiae, dominatur eique libere imperat.

**2. — PROP. — Beatorum corpora, in resurrectione, dote subtilitatis donabuntur.**

**3. — Auctoritas S. Pauli et Patrum.** — Imprimis, veritas haec significata continetur his verbis S. Pauli[4]: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale,* id est spiritui simile eiusque imperio totaliter subiectum. Porro, cum ex his verbis quidam inepte concluderent beatorum corpora esse in spiritum convertenda, paulinam sententiam hoc modo S. Augustinus explicavit[5], quod corpus *spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur;... omni molestiae sensu, omni corruptibilitate*

1. S., Quaest, LXXXIII, art. 1. — 2. P. I. Art. XI, n. 13. — 3. Non inutiliter hic addetur, ex eodem Angelico (loc. cit.), quo pacto nomen *subtile* ad res spirituales fuerit extensum. Nimirum, quia res incorporeae carent quantitate et materia, ideo nomen *subtile* ad eas transfertur, non solum ratione suae substantiae, sed etiam ratione suae virtutis: sicut enim subtile dicitur penetrativum, quia pertingit usque ad intima rei, ita etiam dicitur aliquis intellectus subtilis, quia pertingit usque ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes; et similiter aliquis dicitur habere visum subtilem, quia aliquid minimum potest visu percipere, et similiter est de aliis sensibus. — 4. 1 Cor., XV, 44. — 5. L. XIII de Civ, Dei, c. 20, t. VII, col. 340.

*et tarditate detracta*. Similiter S. Gregorius Magnus, agens contra Eutychium, qui docuerat corpus gloriosum fore subtilius ipso vento et aëre, ait[1]: *In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae: unde Redemptor Noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, palpanda ossa carnemque praebuit, dicens*[2]*:* PALPATE ET VIDETE, QUIA SPIRITUS CARNEM ET OSSA NON HABET, SICUT ME VIDETIS HABERE.

**4. — Prob. rat. theol.** — Tanto aliquid perfectius est in natura, quanto eius materia perfectius subditur formae. Atqui corpus, in resurrectione, perfectissimum erit: correspondebit enim, modo suo, animae quae Deo fruetur eique perfectissime adhaerebit eius bonitatem in summo participans. Sicut ergo nunc dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia passionibus animalibus subiacet et alimonia indiget, ita corpus resurgentis spirituale erit, non quia sit spiritus aut aerea quaedam substantia, sed quia erit omnino subiectum spiritui [3]. Prima quidem subiectio, qua corpus animae subiicitur, est ad participandum esse specificum, prout ei subiicitur ut materia formae, et sic habetur impassibilitas; deinde eidem subiicitur prout anima eo utitur ad opera vitae; et sic est subtilitas.

**5. — Effectus dotis subtilitatis.** — Vi huius dotis, quae est subtilitas, primo anima nullimode impedietur per corpus, a perfectissima operatione contemplandi divinam essentiam, sicut nunc a consideratione rerum divinarum multoties praepeditur per aggravationem corruptibilis corporis; unde concludit S. Augustinus[4] quod *cum* (anima) *hoc corpus iam non animale, sed per*

1. L. XIV Moral., c. 29. — 2. Luc., XXIV, 39. — 3. L. IV Contra Gent., c. 86. — 4. L. XII Super Gen. ad litt., c. 35, t. III, col. 323.

*futuram commutationem spiritale receperit, Angelis coaequata, perfectum habebit naturae suae modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriae quod sarcinae fuit*[1].

Praeterea, corpus gloriosum, ex virtute subtilitatis, hoc animae conferet, ut illa omnibus sensibus, tum externis, tum internis, uti valeat eo modo quo voluerit, servata tamen uniuscuiusque sensus propria natura: unde vis imaginativa, nedum eius dictamen uti nunc praeoccupet, praesto ei erit ad rerum imagines perfecto ordine componendas.

Rursus, licet secundum suam naturam, corpus gloriosum futurum sit et tangibile et palpabile, quia habet a natura sua qualitates quae sunt natae immutare tactum et ulterius quod resistat tangenti, quod importatur in hoc quod dicitur palpabile, ex eadem tamen subtilitatis dote habebit ut, cum anima voluerit, a corpore non glorioso palpari aut tangi minime possit. Corpus enim gloriosum erit omnino subiectum spiritui; unde in potestate eius erit ut secundum illas qualitates immutet alterius tactum vel non immutet [2].

Denique corpus gloriosum poterit videri vel non videri, praesertim ab oculo non glorioso, pro suae libito voluntatis, et hoc quia ita erit subiectum spiritui, ut, immutatum manens, possit agere in visum vel non agere, et sic videri quando vult, et quando non vult, non videri [3].

6. — **Scholion.** — Cum hoc tamen stat, dici non posse quod corpus gloriosum, ratione suae subtilitatis habeat, quod possit esse cum alio corpore, sive glorioso,

1. Cf. 1 2ae, Quaest. IV, art. 6. Notandum autem, perfectum animae in corpus dominium, quantum attinet ad finem usus sensuum, qui est cognitio, ad subtilitatem quidem pertinere; quantum vero ad expeditum motum organorum, quem subaudit, pertinere ad agilitatem. — 2. S., Quaest. LXXXIII, art. 6 Cf. 3, Quaest. LIV, art. 3, ad 2m. — 3. S., l. c., art. 5, ad 3m. De hac proprietate fusius agetur infra, art. 4, n. 9. p. 473.

sive non, in eodem loco. — Ad quod intelligendum sciendum est quod, ad salvandam distinctionem inter duo corpora, requiritur distinctio eorum materiae secundum quantitatem dimensivam. Atqui quantitatem dimensivam sequitur naturaliter situs, qui est ordo partium in loco. Porro subtilitas non aufert dimensionem a corpore glorioso, quod est in loco secundum commensurationem propriarum dimensionum ad dimensiones loci[1]; unde subtilitas non aufert necessitatem distinctionis situs corporis gloriosi a situ alterius corporis; ideoque corpus gloriosum non habebit, ratione suae subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore, sive non glorioso, sive etiam glorioso[2].

**7. — Quomodo corpus gloriosum possit esse in eodem loco cum alio corpore.** — Attamen hoc habere poterit corpus gloriosum, ex operatione virtutis divinae, scilicet per miraculum, ut possit esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso.

Re quidem vera, non potest esse quod duo corpora remaneant duo, et tamen sint simul, nisi utrumque conservet suum esse distinctum. Hoc autem esse distinctum pendet, de lege ordinaria, ex duabus causis: prima est remota et essentialis, et est determinata quantitas dimensiva, quae individuatur intrinsece ex materia subiecta; altera, proxima et accidentalis est, ex situ partium quantitatis in loco, secundum quod dimensiones corporis locati ita correspondent dimensionibus loci, ut ab eisdem dimensionibus excludat aliud quodcumque corpus. Atqui Deus potest per se producere effectus causarum secundarum sine ipsis causis: ergo potest conservare distinctionem suppositalem inter duo corpora sine propriis eorumdem dimensionibus, quod est duo vel plura corpora esse in eodem loco. Et quidem fide accipimus in benedicto partu virgineo duo corpora simul fuisse in eodem loco,

1. S., l. c., art. 5. — 2. Art. 2 et 4.

quia corpus pueri exiens claustra pudoris non fregit; et similiter legimus in Evangelio [1] Dominum ad discipulos intrasse ianuis clausis [2]: hoc modo igitur corpus gloriosum potest esse in eodem loco cum aliquo corpore naturali.

At, ut diximus, hoc non est in virtute subtilitatis, sed per miraculum, eo modo quo in sacramento altaris accidentia remanent sine subiecto, divina virtute supplente id quod illa solent praestare, aut sicut humanum corpus formatum est in utero Virginis sine virili semine [3]. Praeterea, advertendum est quod in hisce casibus, corpus maius fit locus corporis minoris ratione illius superficiei, quae designatur ex contactu terminorum corporis minoris [4].

**8. — Adnotandum.** — Diximus posse corpus gloriosum esse in eodem loco cum alio corpore *non glorioso:* nam licet, absolute loquendo, divina virtute fieri posset ut etiam duo corpora gloriosa essent simul, hoc tamen minime convenit ut eveniat, quia res ista a nobis non posset percipi, cum aliunde miraculosae interventiones, utpote ad fidei manifestationem ordinatae, visibiles esse debeant [5].

## Articulus III. — *Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.*

**1. — Erit aliquis motus corporum gloriosorum.** — In primis dubitandum non est quin corpora gloriosa aliquando moveantur, cum et ipsum Christi corpus motum sit in ascensione, et similiter corpora sanctorum, quae de terra resurgent, ad caelum empyreum sint ascensura. Sed

1. Io., XX, 19. — 2. S., l. c., art. 3. — 3. Cf. 3, Quaest. LXXVII, art. 1. — 4. S., l. c., ad 3m. — 5. Art. 4, 5. Cur autem fieri non possit, etiam per miraculum, ut idem corpus sit simul in diversis locis, exponit S. Thomas, l. cit., art. 3, ad 4m, quod dici debet etiam de corpore glorificato.

etiam postquam caelos conscenderint, aliquando movebuntur pro suae libito voluntatis, ut etiam hoc modo Dei sapientiam commendabilem ostendant, et ut eorum visus reficiantur pulchritudine creaturarum in quibus divina bonitas eminenter relucebit; unde dicitur [1]: *Fulgebunt iusti, et tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Nihil tamen per motum deperibit earum beatitudinis quae consistit in visione Dei, quem ubique praesentem habebunt [2]. — Quae cum ita sint, quaeritur quid futurum sit illud principium, quo beati motum illum localem exequentur.

**2. — Dos agilitatis.** — Porro huiusmodi principium erit dos agilitatis, *qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, facillimeque in quamcumque partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat,* ait Catechismus Romanus [3]. Est igitur agilitas qualitas supernaturalis, ab anima glorificata in corpus redundans, qua illud habile redditur ad obtemperandum cuicumque voluntatis imperio, tum ad motum localem, tum ad sentiendum, et ad omnes alias operationes animae exequendas [4].

**3. — PROP. — Corpora sanctorum, in resurrectione, praedita erunt dote agilitatis.**

**4. — Auctoritas Sacrae Scripturae et S. Augustini** — Veritas haec fundatur in verbis Apostoli [5]: *Seminatur* (corpus) *in infirmitate, surget in virtute,* id est mobile et vivum, ut explicat Glossa [6]. — *Infirmitatem experimur in corpore,* ait Angelicus [7], *quia invalidum invenitur ad satisfaciendum desiderio animae in motibus et actionibus quas anima imperat: quae infirmitas totaliter*

1. Sap., III, 7. — 2. S., Quaest. LXXXIV, art. 2. — 3. P. I, art. XI, n. 13. — 4. S. Thom., l. cit., art. 1, ad 2m. — 5. 1 Cor., XV, 43. — 6. Interlin. — 7. L. IV Contra Gent., c. 86.

*tunc tolletur, virtute redundante in corpus ex anima Deo coniuncta.*

Simile tradit S. Augustinus, cum ait [1]: *Imperabit Deus homini, animus corpori, tantaque obediendi ibi erit suavitas et facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas.* Hic Pater etiam, ad revincendos philosophos, quibus incredibile videbatur gravia sanctorum corpora posse in caelo consistere, cum naturali pondere cadere debeant, primo ad divinam virtutem, quam illimet inficiari non audebant, confugit; tum utitur similitudine animae, quae membra corporis sui sustentat et agiliter movet pro sua voluntate, quaeque *ad suum corpus movendum atque portandum agilior est, cum in bona valetudine plus habet molis, quam cum in peste vel fame minimum roboris* [2].

**5. — Prob. rat. theol.** — Anima corpori coniungitur non solum ut forma materiae, et principale agens instrumento, sed etiam ut motor mobili. Ergo sicut per dotem impassibilitatis corpus animae subiicitur ut formae perfecte actuanti, et per dotem subtilitatis ut spiritui dominanti et libere imperanti, ita per dotem agilitatis eidem subditur in quantum est motor, ut scilicet corpus sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animae [3]; ut sicut natura dat velocioribus animalibus instrumenta diversae dispositionis in figura et quantitate, ita Deus dabit corporibus sanctorum aliam dispositionem quam nunc habeant, non quidem in figura et quantitate, sed in proprietate gloriae quae dicitur agilitas [4].

**6. — Solvitur difficultas.** — Omne quod movetur, movetur propter adeptionem alicuius finis. Sed corpora

1. L. XIX de Civ. Dei, c. 2, t. VII, col. 572. — 2. L. XIII de Civ. Dei, c. 18, t. VII, col. 338. — 3. S., Quaest. LXXXIV, art. 1. — 4. Ibid., art. 4m.

gloriosa nulla re indigebunt; nam, ut ait S. Augustinus [1], *ibi erit quidquid volet, non erit quidquid nolet.* Ergo corpora sanctorum non movebuntur.

Resp. *Dist. mai.:* alicuius finis extrinseci, *conc.;* intrinseci, *nego. Contradist. min.:* intrinsece, *conc.;* extrinsece, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Motus localis, secus ac motus qualitatis et quantitatis, non ponitur propter aliquam intrinsecam rei indigentiam, sed solum propter aliquid quod est extra, unde est proprius animalium perfectorum. Nihil autem prohibet aliquid deesse eorum quae sunt extra, in corporibus beatis: nam dum corpus est in uno loco, est in potentia ad alium locum, quia non potest esse actu in pluribus locis simul, hoc enim solius Dei est: et similiter non potest corpus gloriosum manifestare, per experimentum, virtutem motivam in seipso, nisi actu moveatur, cum non sit ipsum suum moveri: et ideo nihil prohibet adesse defectum istum in corporibus beatorum, qui quidem defectus non repugnat perfectioni gloriae, sicut nec defectus quod creatura est ex nihilo [2].

7. — **Scholion.** — At non est putandum corpora gloriosa moveri cum labore et poena: post resurrectionem enim, anima perfecte dominabitur corpori, tum propter perfectionem propriae virtutis, tum propter habilitatem corporis gloriosi ex redundantia gloriae in ipsum: ideoque non erit aliquis labor in motu sanctorum, cum quanto magis virtus animae dominatur corpori, tanto minor sit labor in motu, ut experientia patet [3]. Quapropter, de sanctis dicitur [4]: *Current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient;* et S. Augustinus ait [5]: *Certe, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus.*

1. L. de Spiritu et anima, c. 64, t. VI, App., col. 62. — 2. Art. 2, ad 1m et 2m. — 3. Art. 1, ad 2m. — 4. Is., XL, 31. — 5. L. XXII de Civ. Dei, c. 30, t. VII, col. 700.

**8. — Corpora sanctorum non movebuntur in instanti.** — Denique notabimus, gloriosa sanctorum corpora motus suos esse executura in tempore, non in instanti, cum nullum corpus in instanti moveatur [1], attamen celerrime pertingent de loco ad locum, et quamcumque spatii partem in tempore imperceptibili, pro lubitu, pertransire poterunt, omni superato obstaculo, quemadmodum radius solis, ait S. Augustinus [2]: non quasi desitura sit tunc lex gravitatis, sed quia haec mirabiliter vincetur per dotem agilitatis corporis ab anima communicatam. Ceterum hic opportune relegi potest quod scribit praelaudatus S. Augustinus [3]: *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status, sicut ipsa species, decens erit, quicumque erit, ubi quod non decebit, non erit.*

## ARTICULUS IV. — *Utrum claritas inerit corporibus gloriosis.*

**1. — Quid sit claritas.** — Ultima ex dotibus corporum gloriosorum modo obiicitur investiganda, quae claritas dicitur, qua corpora illa tanquam sol fulgebunt, et quae ab anima profluit ea ratione qua artificiatum correspondere solet arti. Est autem huiusmodi claritas *fulgor quidem ex summa animae felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur: quo modo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur* [4].

**2. — PROP. — Claritas convenit corporibus gloriosis.**

1. Art. 3. — 2. Epist. XLIX, quaest. 1. — 3. L. XXII de Civ. Dei, c. 30, n. 1. t. VII, col. 700. — 4. Cat. Rom., P. I, art. XI, n. 13.

**3. — Ostenditur ex Sacra Scriptura.** — Hanc veritatem testatur ipsemet Salvator Noster dicens [1]: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum,* quod quidem exemplo suae transfigurationis declaravit, quando *resplenduit facies eius sicut sol* [2]. Huiusmodi splendorem interdum Apostolus gloriam, interdum claritatem appellat. *Reformabit,* inquit [3], *corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae;* et rursus [4]: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Huius etiam gloriae imaginem quamdam, ait Catechismus Romanus [5], vidit populus Israel in deserto, cum facies Moysis ex colloquio et praesentia Dei ita colluceret, ut in eam filii Israel oculos intendere non possent [6].

**4. — Prob. rat. theol.** — Quod recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis, sed per modum recipientis. Atqui claritas illa causabitur ex redundantia gloriae animae in corpus. Ergo claritas, quae est in anima spiritualis, recipietur in corpore ut corporalis; ideoque secundum quod anima erit maioris claritatis secundum maius meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore [7]; et ita in corpore glorioso cognoscetur gloria animae, sicut in vitro cognoscitur color corporis in vase vitreo contenti, uti exponit S. Gregorius Magnus cum ait [8]. *Ibi,* scilicet in caelesti patria, *uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia abscondet: patebitque corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia.*

**5. — Scholion.** — Erunt igitur translucida sanctorum corpora, at simul nativam suam densitatem conservabunt, unde S. Gregorius ea comparat et auro, quod solidum est, et vitro quod est diaphanum; ideoque simul

1. Matth., XIII, 43. — 2. Matth., XVII, 2. — 3. Phil., III, 21. — 4. 1 Cor., XV, 43. — 5. Loco cit. — 6. Exod., XXXIV, 29; cf. 2 Cor., IV, 7. — 7. Cf. 1 Cor. XV, 41. — 8. Super illud Iob, XXVIII, 17: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.* L. XVIII Moral., c. 27.

erunt pervia et clara, non sicut flamma ignis, quae corpus occultat quod est post se, aut sicut luminare quod aliud luminare post se positum eclipsat. Revera, quod aliquod clarum non sit pervium, contingit ex hoc quod claritas corporis causatur ex densitate partium lucidarum, densitas autem repugnat pervietati: sed in corporibus gloriosis claritas erit ex redundatia animae, unde eorum densitas non tollet ab eis pervietatem, sicut nec densitas vitri officit illius diaphaneitati [1]. — Sed nec huiusmodi claritas tollet a corporibus gloriosis, quae certe pulcherrima erunt, eorum nativum colorem, cum pulchritudo corporis sit *partium convenientia cum quadam suavitate coloris*, ut ait S. Augustinus [2]; gloria enim naturam corporis non tollet, sed perficiet; unde remanebit in corpore color qui ei debetur ex natura suarum partium; sed ei superaddetur claritas ex gloria animae; sicut etiam videmus corpora naturaliter colorata solis splendore, vel ex alia causa, extrinseca aut intrinseca, relucere [3].

**6. — Differentia inter claritatem et alias dotes.** — Hic autem advertendum est dotem claritatis, non, sicut alias dotes, aequaliter omnibus corporis partibus competere, una parte maiorem habente dispositionem prae alia parte, ad effectum illius dotis suscipiendum ut puta oculis prae manibus, etc.; cuius ratio est quia relate ad ceteras dotes, partes corporis non inveniuntur habere diversam dispositionem, sicut relate ad claritatem gloriae, quae ab anima redundat in corpus secundum suum modum, et est ibi alio modo quam sit in anima, unde in quamlibet partem corporis redundabit secundum suum modum: et propterea diversae partes habebunt claritatem diversimode, scilicet secundum quod sunt diversimode dispositae ex sui natura ad animam.

1. Ad 2m. — 2. L. XXII de Civ. Dei, c. 19. — 3. Ad 4m.

**7. — Claritas visibilis erit etiam ab oculo non glorioso.** — Ulterius notari debet claritatem corporum gloriosum visibilem fore etiam ab oculo non glorioso, quia utpote verum lumen corporale, referetur ad quemcumque visum tamquam obiectum proprium, non secus ac verum refertur ad intellectum, et bonum ad voluntatem. Huiusmodi enim claritas gloriae non differt specie a claritate naturae, sed solum origine, gradu ac perfectione, quemadmodum ipsummet corpus gloriosum differt a corpore naturali; ideoque cadere poterit sub oculum non gloriosum, ut quando discipuli Christum in monte transfiguratum propriis creverunt oculis [1]; immo ex Scriptura habemus quod impii actu videbunt gloriam iustorum, et ex hoc torquebuntur in iudicio [2].

**8. — Quaestio I. —** *Quomodo fiet ut claritas corporis gloriosi oculum videntis non sit offensura?*

Proponitur hoc dubium, quia multo maior erit claritas corporis gloriosi quam sit claritas solis. Atqui oculus noster nequit inspicere solem in se ipso. Ergo videretur quod multo minus poterit inspicere claritatem corporis gloriosi.

*Resp.* Intensa claritas offendit visum, in quantum agit actione naturae, calefaciendo et dissolvendo aut disgregando organum visus, non autem in quantum agit actione animae, seu intentionaliter, quo modo magis visum delectat. Porro sicut corpus gloriosum pati non potest aliqua passione naturae, sed solum passione animae, ita, ex proprietate gloriae, non agit, nisi actione animae; ideoque, licet eius claritas excedat claritatem solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed magis demulcet; et propter hoc, addit Angelicus [3], eius claritas compara-

1. Matth., XVII, 2, seq. Quod autem dicuntur discipuli *cecidisse in faciem suam*, non est quia visionem illam sustinere non possent, sed ob timorem ab eis de tanta re conceptum. — 2. Sap., V, 2. Cf. hic, art. 2. — 3. Ad 2m.

tur claritati iaspidis, iuxta illud [1]: *Lumen eius* (id est, civitatis Hierusalem) *simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum.* Nimirum, lumen supernae Hierusalem Christus est, similis iaspidi semper virenti, cuius aspectus visum iucundat, necnon crystallo ob gloriae perspicuitatem.

**9. — Quaestio II.** — *Utrum corpus gloriosum se subtrahere possit ab adspectu corporis non gloriosi?*

Resp. *Affirmative.* Nam claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis, ideoque voluntati subdetur, ut secundum eius imperium videatur vel non videatur; unde erit in potestate corporis gloriosi ostendere suam claritatem vel occultare [2]; quemadmodum corpus suum Christus, post resurrectionem, subtraxit ab adspectu discipulorum in Emmaus [3]. Huius autem rei ratio est quia corpus gloriosum erit instrumentum summe obediens animae tanquam principali agenti; unde sicut quaelibet alia actio corporis in animae potestate erit, ita in eiusdem potestate erit quod corpus suum videatur vel non videatur [4], et hoc quidem sine aliqua intrinseca mutatione proprietatum eiusdem: nulla enim in subiecto aliquo mutatio inducitur, sive istud subiectum agat, sive non agat in aliquod extrinsecum.

**10. — Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti quod quantitas corporis gloriosi non suberit voluntati, ut possit esse maioris quantitatis vel minoris, ergo nec qualitas per quam visibile est, ut possit non videri, — *respondetur*

1. Ap., XXI, 11. — 2. Art. 2, ad 3m. — 3. Luc., XXIV, 31. — 4. Ex hoc patet, facultatem hanc, corpus proprium invisibile reddendi, formaliter ad dotem subtilitatis pertinere, qua anima corpore tamquam instrumento perfecte subdito pro lubitu utetur, ut supra dictum est, art. 2, n. 5. Advertendum etiam, ad eamdem subtilitatis dotem pertinere quod corpus gloriosum, intelligibilia edens verba, se audiri faciat ab uno potius quam ab alio, prout evenisse legimus in percelebri visione Domini nostri ad Paulum pergentem Damascum. Act., IX, 7; XXII, 9.

negando paritatem: quantitas enim est inhaerens ipsi corpori glorioso, nec posset immutari ad imperium animae sine mutatione intrinseca eiusdem, quod doti impassibilitatis repugnat: et similiter qualitas per quam corpus gloriosum est visibile, non potest subtrahi ad imperium animae: sed actio illius qualitatis suspendetur, et sic occultabitur corpus ad imperium animae [1]. Et similiter poterit etiam anima colorem sui corporis ita subducere ab oculis illud adspicientis, ut iste possit videre corpora post corpus gloriosum posita: ratio enim cur tale corpus non posset videri, est quia visus non potest simul immutari duobus coloribus, ut utrumque perfecte inspiciat [2].

**11. — Epilogus.** — Et haec quidem de singularibus dotibus corporum gloriosorum pro modulo nostro dicta sufficiant. De cetero plurimi refert illud iugiter prae oculis habere quod olim monebat S. Augustinus [3]: *Quae sit, et quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne quod de illa profertur eloquium. Verumtamen, quia spei nostrae gaudium propter Dei laudem non est tacendum,... de donis eius, quae in hac aerumnosissima vita bonis malisque largitur, ipso adiuvante, coniiciamus, ut possumus, quantum sit illud quod nondum experti utique digne eloqui non valemus* [4].

1. Ad 3m. — 2. Ad 2m. — 3. L. XXII de Civ. Dei, c. 21, t. VII, col. 684. — 4. Pulchre Monsabré, postquam descripsit quatuor dotes corporum beatorum, concludit: *Per questa carne quattro volte glorificata, una terra novella e novelli cieli sono preparati. L'atto divino che compie la sorte della natura umana, ha purificati i nostri corpi da ogni sozzura e da ogni imperfezione. Spogliati di ciò che nel tempo serviva ad alimentare una vita grossolana che la risurrezione tolse di mezzo, rivestiti di splendore, essi più non parlano ai sensi trasfigurati che colla purezza e col fulgore della loro luce, colle grazie delle loro forme, coll'armonia dei loro movimenti, e col bell'ordine della loro moltitudine.* Conferenza CI. La Risurrezione.

# QUAESTIO IX.

## DE CONDITIONIBUS CORPORUM DAMNATORUM RESURGENTIUM.

### Prologus.

**1. — Ratio huius quaestionis.** — Explorata conditione corporum beatorum, sequitur ut de conditionibus corporum damnatorum resurgentium quaestio proponatur, quae quidem novimus in inferno ita cruciatum iri, ut eorum dolor superet omnem poenam cuiuscumque viatoris [1], ut infra diximus [2]; qui quidem dolor corporalis in animam refundetur, ob illam substantialem coniunctionem ánimae ad corpus, tanquam formae ad propriam materiam.

**2. — Ordo huius quaestionis.** — Tria autem in praesenti materia dubia occurrunt: nam, corpora damnatorum resurgentium considerari possunt et quoad esse (1-2), tum substantiale (1), tum accidentale (2), et quoad agere et pati (3).

De corporibus damnatorum inquirendum est

- an sint resurrectura, quoad
  - ipsum suum esse nunquam amittendum (1)
  - omnia sua accidentia (2)
- quomodo sint resurrectura, quoad agere et pati (3)

1. 3, Quaest. XLVI, art. 6, ad 3 . — 2. Quaest. IV, art. 3, n. 11. p. 186, et n. 9, p. 193.

Igitur tria hic quaeruntur.

*Primo.* Utrum corpora damnatorum resurgent incorruptibilia.

*Secundo.* Utrum resurgent sine suis deformitatibus.

*Tertio.* Utrum resurgent impassibilia.

## ARTICULUS I. — *Utrum corpora damnatorum resurgent incorruptibilia.*

**1. — Duplex modus incorruptionis.** — Cum corruptio mutatio quaedam sit, dupliciter autem mutatio a mobili removeatur, uno modo per hoc quod aufertur ipsum principium motus, alio modo per hoc quod istud principium impeditur, hinc dupliciter contingere potest quod corpus aliquod, secundum conditionem suorum principiorum corruptibile, reddatur incorruptibile: uno modo, per hoc quod principium ad corruptionem movens totaliter tollatur; alio modo, per hoc quod principium corruptionis impediatur. Iamvero, duplex est principium corruptionis in corpore humano: scilicet, remotum et proximum. Principium remotum seu primum est motus cosmicus, in cuius virtute omnia agentia secunda agunt; principium autem proximum seu secundum est compositio ex elementis ad invicem pugnantibus; unde necesse est ut, perdurante motu cosmico, corpus ex contrariis compositum corrumpatur, nisi sit aliqua causa potior impediens [1].

**2. — Triplex modus quo humanum corpus incorruptibile esse potest.** — Igitur, aliquod corpus humanum quod de se, quia ex contrariis componitur, est corruptibile, tripliciter fingi potest incorruptibile: uno modo, sic ut remanente causa remota corruptionis, impediatur causa secunda, quo modo corpus Adae, ante peccatum, fuit in-

1. Ad 1m.

corruptibile, quia existente motu cosmico, qualitates contrariae in eo continebantur per gratiam innocentiae, ne ad dissolutionem corporis agere possent. Alio modo, aliquod corpus corruptibile fieri potest incorruptibile, ita quod tollatur causa remota corruptionis, sublato scilicet motu cosmico, et simul impediatur causa secunda, ut erit in corporibus gloriosis quae, ut diximus, erunt omnino subiecta spiritui. Tertio modo fingi potest incorruptibile aliquod corpus, ita ut, sublata causa remota, remaneat solummodo causa proxima, quae tamen sine causa remota agere non potest: et quidem hic praecise quaeritur, utrum damnatorum corpora futura sint hoc modo incorruptibilia. — Pro quo sit

3. — PROP. — **Corpora damnatorum futura sunt incorruptibilia.**

4. — **Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Potest haec veritas significata videri in his verbis Apocalypseos [1]: *In diebus illis quaerent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis:* quae verba licet aliqui intelligant de bonis, ob gravissima mala quae ab hostibus religionis patiuntur, mori cupientibus, verius tamen, secundum contextum, de malis dicta intelliguntur, scilicet de iis qui non habent signum Dei in frontibus. Praeterea, damnati punientur in anima et corpore poena perpetua [2]; hoc autem esse non posset, si eorum corpora corruptibilia forent [3].

5. — **Ratio theol.** — Post resurrectionem, nulla virtus erit sufficiens ut corpus humanum alterare possit a sua naturali qualitate: corpus enim humanum non erit tunc transmutabile de forma in formam, quia totaliter

1. C. XI, 6. — 2. Cf. Matth., XXV, 46. — 3. S., Quaest. LXXXVI, art. 2.

perficietur ab anima quantum ad esse naturae et conservari, ita ut iam non sit possibile hanc formam a tali corpore removeri, neque aliam introduci *divina virtute corpus animae totaliter subiiciente,* ait S. Thomas [1]. *Unde et potentia quae est in prima materia ad omnem formam, in corpore humano remanebit quodammodo ligata per virtutem animae, ne possit in actum alterius formae reduci.*

Quapropter, huiusmodi incorruptibilitas non erit per gloriam, ut in beatis, nec per gratiam, ut in Adam ante lapsum, sed per naturam: non quasi sit aliquod incorruptionis principium in corporibus damnatorum, sed per defectum principii moventis ad corruptionem, seu potentia corporis ad aliam formam ligata manente.

6. — **Quaestio.** — Quaerenti autem utrum huiusmodi virtus animae in damnatis, qua sibi totaliter subiiciet corpus ut non possit esse sub alia forma, sit nova quaedam qualitas ipsi a Deo indita, — *respondendum* censemus negative, cum resultare videatur ex nova conditione universi: nimirum, cessante motu cosmico, tanquam prima causa omnis generationis et corruptionis, principia contraria ab agendo cessabunt, ut expresse docet S. Thomas [2].

7. — **Scholion.** — Quod corpora damnatorum non sint corruptioni subiicienda, inserviet ordini divinae iustitiae, ut scilicet perpetuo viventes, damnati perpetuo puniantur, secundum exigentiam iustitiae Dei, sicut et nunc corruptibilitas corporum deservit divinae providentiae, per quam ex aliquibus corruptis alia generantur.

8. — **Solvitur difficultas.** — Summa poenarum est mors. Atqui damnati summam poenarum merentur. Ergo corruptibiles erunt.

1. L. IV Contra Gent., c. 89. — 2. Scilicet Supplem., loco prox. cit.

Resp. *Dist. mai.:* simpliciter, *conc.;* in quantum ponitur finis dolorum, *nego. Dist. min.:* absolute, *nego;* secundum convenientiam ad suum statum, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis mors sit simpliciter maxima poenarum, ait S. Thomas [1], secundum quid tamen nihil prohibet mortem esse in poenarum remedium, et per consequens ablationem mortis in poenarum augmentum: *vivere* enim, ut dicit Aristotefes [2], *videtur omnibus delectabile esse, eo quod omnia esse appetunt. — Non oportet autem,* subdit Philosophus, *accipere malam vitam, neque corruptam, neque quae est in tristitiis.* Sicut ergo vivere simpliciter est delectabile, non autem vivere in mediis tristitiis, ita et mors, quae est privatio vitae, simpliciter est poenosa, et maxima poenarum, inquantum subtrahit primum bonum, scilicet esse, cum quo alia subtrahuntur; sed inquantum privat malam vitam et quae est in tristitiis, est in remedium poenarum quas terminat: et per consequens mortis subtractio est in augmentum poenarum quas perpetuas facit. Si autem dicatur mors esse poenalis propter corporalem dolorem quem sentiunt morientes, non est dubium quod multo maiorem dolorem damnati continue sustinebunt: unde in perpetua morte esse dicuntur, sicut scriptum est [3]: *Mors depascet eos.*

## Art. II. — *Utrum corpora damnatorum resurgent sine suis deformitatibus.*

**1. — Ratio articuli.** — Expedita quaestione de incorruptibilitate corporum damnatorum in resurrectione, de eorum integritate nunc agendum est, seu de exclusione defectuum eisdem obvenientium. At sciendum est,

1. S., Quaest. LXXXVI, art. 2, ad 3m, ad litt. — 2. L. IX Ethic., c. 9, a princ. — 3. Ps. XLVIII, 15.

defectus hic intelligi qui ex mala formatione, vel mutilatione, vel aegritudine obveniunt: satis enim compertum esse debet defectus illos, qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, ut ponderositas, passibilitas et similes, quos quidem defectus gloria resurrectionis ab electorum corporibus excludet, in corporibus damnatorum permansuros [1].

2. — **Duplex deformitatum genus.** — Loquentes igitur de deformitatibus ex corruptione vel debilitate naturae provenientibus aut alias per vim illatis, sciendum est huiusmodi duplici modo in corpore humano posse contingere: uno modo, ex defectu alicuius membri, sicut mutilatos deformes dicimus, quia eis deest debita proportio partium ad totum; et de tali deformitate nullum dubium est quod in corporibus damnatorum non erit, quia omnia corpora tam bonorum quam malorum resurgent integra. Alio modo, deformitas contingit ex inaequa partium proportione, quae potest provenire vel ex indebita quantitate aut qualitate vel ex deordinato situ: quo modo febres, necnon aegritudines, etc., proveniunt. Igitur de huius generis deformitatibus quaestio nunc proponitur, utrum sint in resurrectione remansurae: quod dubium S. Augustinus insolutum reliquit [2].

3. — **Sententia non probanda.** — Porro nonnulli, considerantes reproborum damnationem, qua ad summam miseriam deputantur, cui nihil incommoditatis subtrahi debet, respondendum duxerunt, huiusmodi deformitates et defectus in corporibus damnatorum remansuros esse, ut sic plenius suam persentiant miseriam. — Sed hoc, ait S. Thomas [3], non videtur rationabiliter dici: quandoquidem, in reparatione corporis resurgentis, magis atten-

1. S., Quaest. LXXXVI, art. 1. — 2. Enchir., c. 92. — 3. S., Quaest. cit., art. 1.

ditur naturae perfectio, quam conditio quae prius fuit; unde et qui infra perfectam aetatem decedunt, in statura iuvenilis aetatis resurgent, ut supra dictum est [1]; et pari ratione concludendum est, illos qui defectus naturales habuerint, sine illis resurrecturos esse. — Quapropter sit

4. — PROP. — **Damnatorum corpora resurgent integra.**

5. — **Prob.** — Deus qui naturam condidit in perfectione speciei, illammet in resurrectione reparabit. Atqui non minor existimanda est divini operis perfectio in restauratione, quam in prima conditione. Ergo quidquid defectus, vel deformitatis aut turpitudinis, ex corruptione vel debilitate naturae in corpore humano fuerit, ut mutilatio, febris, lippitudo et similia, id totum in resurrectione removebitur.

6. — **Confirmatur.** — Ulterius notandum est, quod interdum contingit quod aliquis peccator damnandus minoribus peccatis subiectus, aliquas deformitates, vel defectus habeat, quos non habuit aliquis damnandus peccatis gravioribus irretitus: unde si ille qui in hac vita deformitates habuit, cum eis resurgat, sine quibus constat quod resurget alius gravius puniendus qui eas in hac vita non habuit, modus poenae non responderet quantitati culpae, sed magis videretur aliquis puniri pro poenis quas in hoc mundo passus fuit, quod est absurdum [2].

7. — **Scholion.** — Haec tamen naturae reparatio, in damnatis, non erit eis ad gaudium, sed magis in poenam: contingit enim interdum defectus vel deformitates dimi-

1. Quaest. VII, art. 6, n. 8, p. 449. — 2. S., Quaest. LXXXVI, art. 1.

nuere sensum doloris, in quantum per huiusmodi debilitantur vel auferuntur organa sentiendi: unde ex hac naturae restauratione in damnatis, sequetur quod in ipsis non erit aliquid quod sensum doloris impediat. Re quidem vera, potest dari bonum perfectum, sed non potest dari malum perfectum, cum malum debeat fundari in bono: ergo necesse est ut miseriae damnatorum substernatur bonum naturae in ipsis, quod est opus Conditoris perfecti, qui naturam a se in initio conditam, in fine integram restituet [1].

8. — **Solvitur difficultas.** — Illud quod in poenam peccati inductum est, desinere non debet, nisi peccato remisso. Atqui membrorum defectus, qui accidunt per mutilationem, necnon aliae infirmitates corporales, inducti sunt in poenam peccati. Ergo huiusmodi defectus a damnatis, qui peccatorum remissionem non sunt consecuti, in resurrectione non removebuntur.

Resp. *Dist. mai.:* in eodem foro, *conc.;* in alio foro, *nego. Dist. min.:* secundum ordinationem praesentis vitae, *conc.;* secundum ordinationem vitae futurae, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Poenae temporales quae, sive a divina iustitia homini inflictae sunt pro peccato originali, quales sunt, verbi gratia, morbi, sive a iudicio humano pro aliquo actuali delicto sunt decretae, ut mutilatio, temporales sunt, nec debent ultra vitae terminum protendi: tunc enim punietur homo sive pro eisdem peccatis, si remissa non sunt, sive pro aliis peccatis, poenis novi generis, correspondentibus novo statui in quo nunc invenitur [2].

1. Ibid., ad 2m. — 2. Ad 1m.

## Art. III. — *Utrum corpora damnatorum resurgent impassibilia.*

**1. — Carentia dotum in corporibus damnatorum.** — Quia animae damnatorum, ait S. Thomas [1], erunt secundum voluntatem a Deo aversae et fine proprio destitutae, eorum corpora non erunt spiritualia, quasi spiritui omnino subiecta, sed magis eorum animae per affectum erunt carnales; unde *subtilitatis* dote carebunt. Nec *agilia* erunt corpora, quasi sine difficultate animae obedientia, sed magis erunt ponderosa, gravia et tarda, et quodammodo animae importabilia, sicut et ipsae animae per inobedientiam a Deo sunt aversae. Deerit etiam eis *claritas*, cum futura sint opaca et tenebrosa, sicut animae a lumine divinae cognitionis erunt alienae; unde Apostolus dicit [2] quod *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* soli enim boni immutabuntur ad gloriam, malorum vero corpora absque gloria resurgent. — Quae cum ita sint, specialiter de *impassibilitate* hic dubitatur; nam admisso quod damnatorum corpora patientur, videretur quod aliquando deficere et corrumpi debeant, quia, iuxta dictum Aristotelis [3], *passio magis facta abiicit a substantia.*

**2. — Duplex passionis genus.** — Ad quod resolvendum, sciendum est quod, cum pati sit recipere quoddam, duplex est modus passionis, secundum quod aliquid potest in aliquo recipi dupliciter: uno modo, passione *naturae,* secundum esse naturale materialiter, sicut calor ab igne recipitur in aere materialiter; alio modo, passione *animae*, secundum esse intentionale spiritualiter,

1. L. IV Contra Gent., c. 89. — 2. 1 Cor., XV, 51. — 3. L. VI Top., c. 2, loc. 19.

sicut similitudo albedinis recipitur in aere et in pupilla, qui modus similis est illi quo anima recipit similitudines rerum. — Quo posito, sit

**3.** — PROP. — α) **Damnatorum corpora remanebunt passibilia,** β) **quin tamen corrumpantur vel consumantur.**

**4.** — **Prob. 1ª Pars.** — Sicut corpus cooperatur animae ad meritum, ita cooperatur ei ad peccatum. Atqui propter hanc cooperationem, non solum anima, sed etiam corpus post resurrectionem praemiabitur. Ergo simili ratione damnatorum corpora punientur, quod non esset, si impassibilia forent. Igitur, sicut anima damnati torquebitur a naturali desiderio beatitudinis totaliter frustratae, ita corpus patietur a rebus sensibilibus afflictionem.

**5.** — **Exponitur 2ª Pars.** — Porro, quod corpora damnatorum passura sint quin corrumpantur, ex hoc resultat, quod patientur passione non naturae, sed passione animae. Nimirum, post resurrectionem, cessante motu cosmico, non poterit aliquod corpus alterari a sua naturali qualitate, et consequenter pati passione naturae; ideoque, quantum ad hunc modum passionis, corpora damnatorum erunt impassibilia, sicut et incorruptibilia; patientur tamen passione animae; et propterea erit in corporibus damnatorum sensus poenae sine mutatione naturalis dispositionis.

**6.** — **Scholion.** — Corpus igitur damnati, ex hoc capite, in aliquo conveniet cum corpore beati, et in aliquo discrepabit: in hoc conveniet, quod neutrum poterit removeri a sua naturali dispositione, et ideo neutrum poterit corrumpi; et praeterea in hoc quod utrumque afficietur sensationibus perceptis spiritualiter aut intentionaliter, non materialiter; sed discrimen erit in hoc quod sensa-

tiones beatorum nihil habebunt afflictivi vel laesivi intentionaliter, sicut sensationes damnatorum, qui propterea passibilia corpora habere dicuntur. — Revera, quod res aliqua sensibilis, puta ignis inferni, non laedat corpus damnati per corruptionem aliquam, puta, carnes disgregando et consumendo, non tollit quin illud affligere possit et quidem vehementer: sensibile enim non solum natum est delectare vel affligere sensum, secundum quod agit actione naturae, confortando vel corrumpendo organum, sed etiam secundum quod agit actione spirituali vel intentionali: quia quando sensibile est in debita proportione ad sentiendum, delectat; e contrario affligit, quando se habet in superabundantia vel defectu: cuius exemplum est in coloribus et sonis, qui si medii sint et in harmonia dispositi, delectabiles sunt; sin minus, oculum vel auditum offendunt [1].

**7. — Quomodo patientur damnati ab igne corporeo.** — Igitur damnati ab igne corporeo affligentur, *in quantum qualitas ignis, propter sui excellentiam, contrariatur aequalitati complexionis et harmoniae quae est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit; non tamen talis afflictio animam a corpore poterit separare, cum corpus semper sub eadem forma necesse sit remanere* [2]. Dolor enim non separat animam a corpore secundum quod manet tantum in potentia animae cuius est dolere, sed secundum quod ad passionem animae mutatur corpus a sua naturali dispositione, secundum quod videmus ex ira corpus calescere, et ex timore frigescere: post resurrectionem vero corpus non poterit transmutari a sua dispositione; unde quantuscumque sit dolor, animam a corpore non separabit [3].

1. S., Quaest. LXXXVI, art. 3., ad 3m. — 2. L. IV Contra Gent., c. 89. — 3. S., loc. cit., ad 4m.

**8. — Solvitur difficultas.** — Omne agens agit sibi simile. Atqui ignis comburet corpora damnatorum. Ergo huiusmodi corpora resolventur in ignem.

Resp. *Dist. mai.:* agens univocum agit sibi simile in forma et in modo participandi formam, *conc.;* agens analogicum, *subdist.*; agit sibi simile in forma, *conc.;* in modo participandi formam, *nego. Dist. min.:* et ignis est agens univocum respectu corporum damnatorum, *nego;* agens analogicum, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Differentia est inter agens univocum et agens analogicum in hoc quod prius agit sibi simile tum in forma, tum in modo vel ratione participandi formam, sicut homo generat hominem; agens vero analogicum agit sibi simile in forma, at non in modo vel ratione formae, sicut quae generantur accedunt ad aliquam similitudinem solis, non tamen ut participent illius similitudinem secundum eamdem rationem [1]. Porro ignis, respectu corporum damnatorum, erit agens analogicum; et quidem in ipso erit forma ignis materialiter, quae tamen recipietur spiritualiter in patiente, sicut albedo materialiter est in pariete, a quo recipitur spiritualiter in pupilla et in medio deferente [2].

**9. — Scholion.** — Cum in novo statu, qui resurrectionem sequetur, omnes actus tum generativae, tum nutritivae virtutis sint desituri, hinc simul cessabit etiam omnis concupiscentia qua in praesenti vita ad tales actus incitamur. Quod quomodo intelligi possit graphice describit S. Augustinus [3]. *Sunt,* ait, *quaedam aegrotantium desideria: ardent desiderio aut alicuius fontis, aut alicuius pomi; et sic ardent, ut existiment quia si sani fuerint, frui debeant ipsis desideriis suis. Venit sanitas, et perit cupiditas. Quod desiderabat, fastidit, quia hoc in illo febris quaerebat. Et qualis est ista sanitas, in*

1. 1, Quaest. IV, art. 3. — 2. Ad 2m. — 3. Serm. CCLV, al. de diversis I. n. 7. —

*qua convalescit aegrotus?... Cum multa sint aegrotantium desideria quae ista sanitas tollit, quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas, quia sanitas nostra immortalitas est* [1].

1. Cetera ad naturam ignis inferni pertinentia fuse exposita sunt in Quaestione IV, passim. — Non abs re erit recolere poeticam simul et energicam descriptionem lacrymarum damnatorum, qualis ab Aligherio exhibetur in Inferno (Cant. XXXIII, 94-99):

*Lo pianto stesso lì pianger non lascia;*
*E 'l duol che truova 'n su gli occhi rintoppo,*
*Si volve in entro a far crescer l'ambascia:*
*Chè le lagrime prime fanno groppo,*
*E, sì come visiere di cristallo,*
*Riempion, sotto 'l ciglio, tutto il coppo.*

Advertere hic iuverit, semel pro semper, descriptiones corporalium poenarum inferni, quales in perinsigni hoc poemate leguntur, etsi non semper ad rigorem theologicum pingantur, inservire tamen, quasi symbola, conceptui nostro de huiusmodi corporalibus poenis efformando, quas aliunde scimus acerbissimas existere.

# QUAESTIO DECIMA

## DE IUDICIO UNIVERSALI

### PROLOGUS.

**1. — Utilitas huius considerationis.** — Cum resurrectionem mortuorum iudicium finale seu universale sit immediate excepturum, ideo de illo nunc agendum est: quae quidem res, monet Catechismus Romanus [1], fidelis populi auribus saepius inculcari debet; quandoquidem *profecto vix quisquam adeo praeceps in scelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando ut ei apud iustissimum iudicem, omnium non solum factorum dictorumque, sed occultissimarum etiam cogitationum ratio reddenda, et pro meritis poena persolvenda sit. Iustus vero ad colendam iustitiam magis ac magis incitetur, ac summa laetitia efferatur necesse est, quamvis etiam in egestate, infamia, cruciatibus, vitam degat, cum animum ad eum diem refert, quo, post aerumnosae huius vitae certamina, victor universis hominibus audientibus declarabitur, et divinis atque illis quidem aeternis honoribus, in caelestem patriam receptus afficietur* [2].

1. P. I, art. VII. n. 11. — 2. Quod non sine discretionis iudicio praemia vel poenae sint hominibus decernenda, ipsa ethnica philosophia agnovit, cuius placitum ita exponit Virgilius, dum de statu animabus assignato, canit (Aeneid., l. VI, v. 431, seq.):

*Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:*
*Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum*
*Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.*

**2. — Duplex Dei iudicium.** — Ad intelligendum vero quo pacto iudicium, de quo nunc agitur, ad finem differetur, sciendum est iudicium correspondere Dei operationi. Est autem duplex Dei operatio: una, qua condidit mundum, a quo opere Deus dicitur quievisse; altera vero qua mundum conditum gubernat, de qua dicit Dominus Noster [1]: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Et quidem huic secundae operationi correspondet iudicium quo unusquisque iudicatur, non solum secundum quod sibi competit, sed etiam secundum quod competit gubernationi universi; unde non semper hic unicuique illud decernitur quod ei personaliter debetur, sed differtur unius praemiatio pro utilitate aliorum [2], et poenae unius ad profectum alterius cedunt, iuxta illud S. Augustini [3], *omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur*. At primae Dei operationi respondet iudicium in fine temporum ferendum, quo de unoquoque sententia feretur secundum quod ei personaliter debetur: in quo iudicio apparebit iustitia divina quantum ad omnia quae nunc ex hoc occultantur, quod interdum de uno disponitur ad utilitatem aliorum, aliter quam manifesta opera exigere videantur. Erit quoque tunc universalis separatio bonorum a malis, qui nunc commixti inveniuntur ob mutuum profectum [4].

**3. — Ordo quaestionis.** — Quae autem hic pertractanda sunt, claro ordine ita distribuentur, ut primo quidem, de iudicii universalis existentia (1), secundo vero de


---

Haud dissimiliter Aligherius (Inf. V, 4, seq.):

*Stavvi Minòs orribilmente, e ringhia:*
*Esamina le colpe nell'entrata;*
*Giudica e manda, secondo ch'avvinghia.*

1. Io., V, 17. — 2. Cf. Hebr., XI, 39, 40. — 3. In Ps. LIV, ad 1m versum. — 4. S., Quaest. LXXXVIII, art. 1.

eiusdem causis agatur (2-6). Causae autem sunt tum formalis (2), tum materialis, et quidem remota (3), necnon proxima (4), tum denique efficiens, sive principalis (5), sive secundaria (6).




Quocirca, sex in hac quaestione investiganda proponuntur.

*Primo.* Utrum universale iudicium sit futurum.

*Secundo.* Utrum iudicium universale absolvendum sit per locutionem vocalem, an mentalem.

*Tertio.* Utrum omnes homines in ultimo iudicio comparebunt.

*Quarto.* Utrum uniuscuiusque opera, sive bona, sive mala, innotescent omnibus in ultimo iudicio.

*Quinto.* Utrum Christus in forma humanitatis sit iudicaturus.

*Sexto.* Utrum aliqui homines iudicaturi sint cum Christo.

### Articulus I. — *Utrum universale iudicium sit futurum.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum de iudicio particulari, mortem uniuscuiusque immediate subsequente, egerimus [1], nunc de generali iudicio disserendum venit, quod interdum dicitur *finale* aut *extremum*, eo quod in fine temporum sit faciendum, interdum vero *universale*, eo quod omnes simul homines comprehendet, interdum denique *dies Domini* et *adventus gloriae magni Dei et Salvatoris Nostri Iesu Christi* [2]; quod quidem inficiari conati sunt antiquitus plures ex gnosticis, medio aevo Cathari et Albigenses, nostris vero temporibus, rationalistae, ac modernistae plurimi, quos inter Tyrrell et Loisy.

**2. — PROP. — Post resurrectionem, fiet iudicium universale.**

**3. — Auctoritas S. Scripturae.** — Veritatem hanc, quam ita exprimit Symbolum Athanasianum : *Ad cuius* (Christi) *adventum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem* [3], utriusque Foederis paginae loculenter demonstrant. Sic quippe in Veteri Testamento legimus [4] : *Montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate* [5]. In novo autem Testamento dicitur [6] : *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam :* similiter [7] : *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero*

1. Quaest. II, art. 1, p. 62. — 2. 1 Cor., III, 13 ; Tit., II, 13. — 3. Cf. omnia Symbola, Denzinger, nn. 1, seqq. — 4. Ps. XCVII. 8, 9. — 5. Cf. Is., XIII, 9 ; Ioel, II, 1. — 6. Matth., XII, 41. — 7. Io., V, 29.

*mala egerunt, in resurrectionem iudicii;* et S. Paulus in Areopago expresse dicebat [1]: *Statuit* (Deus) *diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.*

4. — **Patrum voces.** — Patrum vero de hac re unanimem sententiam personat S. Gregorius Magnus [2]: *Pensate, fratres charissimi, ante conspectum tanti iudicis, qui in illo die terror erit, quando iam in poena remedium non erit! Quae illa confusio, cui reatu suo exigente, continget in conventu omnium angelorum hominumque erubescere! Qui pavor, eum, quem et tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre! Quem diem bene Propheta intuens, ait* [3]: DIES IRAE, DIES ILLA, DIES TRIBULATIONIS ET ANGUSTIAE, DIES CALAMITATIS ET MISERIAE, DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS, DIES NEBULAE ET TURBINIS, DIES TUBAE ET CLANGORIS... *Quanta vero tunc erit electorum laetitia, qui de eius merentur visione gaudere, de cuius conspectu vident et elementa omnia contremiscere, cum eo simul ad nuptias intrare!*

5. — **Prob. rat. theol.** — α) *Ex ratione perfecti iudicii.* — Iudicium perfectum de aliqua re esse non potest, nisi id omne quod ad rem illam utcumque pertinet, compleatur. Atqui, nonnisi in consummatione temporum, id quod pertinet ad hominem finem habebit. Ergo oportet esse iudicium finale in ultimo die. — *Minor* patet ex multiplici capite: primo, quia usque ad illud tempus homo gaudebit, forsan contra veritatem, bona vel mala fama; secundo, quia quamdiu mundus perdurat, homo, etsi mortuus, adhuc tamen censetur vivere in filiis aut sal-

1. Act., XVII, 31. — 2. Homil. XII in Evang., n. 4. Paris., 1705. t. I col. 1478, 1479. — 3. Sophon., I, 15.

tem in operibus suis; tertio, usque ante mundi finem, corpus, quod esse debet socium gaudii vel doloris, non resurget, quod tamen quandoque contra ius honorifice traditur sepulturae, aut viceversa insepultum vel inhonoratum iacet; quarto, res illae in quibus defunctus affectum suum defixit, quandoque citius finiuntur, quandoque diutius perdurant [1]. Ergo aequum est ut usque ad mundi consummationem iudicium finale differatur.

β) *Ex ratione divinae providentiae.* — Quoniam saepius evenit ut iusti viri in hac vita malis oppressi tabescant, mali vero opibus ac honoribus floreant, id Dei sapientia aequiter, at occulte disponente, par erit ut publico ac generali iudicio appareat, in tanta rerum vicissitudine, nihil non infinita sapientia ac iustitia rectum atque gubernatum fuisse: quod quidem in extremo iudicio futurum est [2].

γ) *Ex utilitate nobis proveniente.* — Denique opportunitatem generalis ac publici iudicii clare demonstrat utilitas quae ex illo hominibus, tum hac vita, tum in futura, succrescit: in hac vita quidem, cum hoc medio homo certus reddatur, omnia sua gesta, dicta aut cogitata palam esse divulganda; tum pii quidem certa spe erigantur iniusta hominum iudicia reformatum iri, tum impii opportune teneantur metu superventurae sibi confusionis. *Proposito iudicio,* ait Catechismus Romanus [3], *pios recreari, impios terreri oportebat; ut cognita Dei iustitia, illi ne deficerent, hi a malis aeterni supplici metu atque expectatione revocarentur.*

δ) *Ex promovenda electorum gloria et procuranda malorum ignominia.* — Cum plerique iustorum vitam saepe in humilitate, quandoque etiam in ignominia, iuxta exemplum Domini, traducant; ex adverso autem saepenumero contingat ut mali in hac vita exaltentur et su-

1. 3, Quaest. LIX, art. 5. — 2. Cat. Rom., P. I, art. VII, n. 4. — 3. Loco cit.

perbiant, aequum est ut, consummato iam saeculo, illi quidem gloriam, isti vero confusionem palam accipiant, ut illud verificetur [1]: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

6. — **Corollarium.** — Ex his apparet, praeter iudicium singulare, quod de homine prout est singularis homo, fiet post mortem, aliud iudicium de eo esse debere, secundum quod est pars totius generis humani, sicut aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam, etiam quando iudicium datur de communitate cuius ipse est pars; unde et tunc, quando fiet universale iudicium per separationem bonorum a malis, etiam quilibet per consequens iudicabitur [2].

7. — **Solvuntur difficultates.** — I. Omne iudicium praecedere solet, non sequi executionem sententiae. Atqui divinae sententiae executio, secundum adeptionem regni caelestis vel exclusionem a regno, iam nunc tempore mortis uniuscuiusque contingit. Ergo non est futurum iudicium generale.

Resp. *Dist. mai.:* sententiae completae, *conc.*; adhuc per ulteriora complendae, *nego. Dist. min.:* quae sententia est completa omnino, *nego;* adhuc manet complenda, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Licet iudicii particularis sententia statim executioni demandetur, tamen quia ista sententia non comprehendit nisi animam uniuscuiusque, ideo alteri iudicio locus remanet, cuius sententia respiciat tum corpus, tum universalem separationem malorum a bonis, et executio huius secundae sententiae sequetur iudicium universale [3].

II. Ideo aliqua in iudicium adducuntur, quia dubium

1. 1 Reg., II, 30. — 2. S., Quaest. LXXXVIII, art. 1, ad 1m. — 3. Ad 2m.

est quid de eis definiendum sit. Atqui in divina praescientia iam praefinita manet unicuique sanctorum sua beatitudo, et unicuique reproborum sua damnatio. Ergo inutile est iudicium finale.

Resp. *Dist. mai.*: dubium est Deo, *nego;* hominibus, *conc. Dist. min.*: in se et singulis iudicandorum, *conc.;* omnibus, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Universale iudicium, ait S. Thomas [1], magis directe respicit universalitatem hominum quam singulos iudicandorum; unde iudicium universale fiet ut omnibus innotescat uniuscuiusque praemium vel condemnatio.

**8. — Quaestio I.** — *Utrum iudicium finale celebrandum sit in valle Iosaphat?*

Huic quaesito sapienter respondet S. Thomas [2]: *Qualiter illud iudicium sit futurum, et quomodo homines ad iudicium convenient, non potest multum per certitudinem sciri.* — I. Revera, ex antiquis, Origines [3] censuit populos super universam terram fore congregandos, et splendorem Filii Dei, ut fulgur, ubique coruscaturum. Communius quoque hodiedum tenetur, opinionem quae ponit iudicium universale in illa valle quae est prope Hierusalem, fore complendum, fundamento carere [4]; unde aiunt Christum, non in illo loco, qui nimis angustus esset, suum tribunal sisturum, sed quemlibet locum, in quo iudicium habebitur, vallem Iosaphat nuncupari posse, unde haec appellatio symbolica est, quasi dicatur: *Vallis iudicii Dei,* vel *Vallis ubi Dominus sedebit iudex.*

II. Qui vero tenent in citata valle iudicium revera locum esse habiturum, appellant ad sequentia testimonia [5]: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem*

1. Ad 3m. — 2. S., Quaest. LXXXVIII, art. 4. — 3. In Matth., XXV, 32, 33. — 4. Ita Knabenbauer, in Ioel, c. III, et in Matth., p. 380. — 5. Ioel, III, 2.

*Iosaphat, et disceptabo cum eis* [1]; et rursus [2]: *Consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu.* Accedit auctoritas Novi Testamenti [3]: *Hic Iesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum*; ex quibus colligunt, circa locum montis Oliveti, qui valli Iosaphat imminet, Christum descensurum, sicut et inde ascendit, ut idem esse ostendatur qui descendit et qui ascendit [4]. — *Obiicient* vallem Iosaphat augustissimam esse, et ita omnes iudicandos capere non posse, — *respondet* S. Thomas [5], quod magna multitudo in parvo spatio comprehendi potest; maxime si, ut habet S. Paulus [6], iusti rapientur in nubibus obviam Christo in aera [7]; ita quod omnes homines, quasi in amphitheatro distributi, Christum videre possint, qui in aere praeeminens et maxima claritate refulgens, a longinquo inspici poterit [8].

Quae cum ita sint, patet, de loco iudicii finalis, quemadmodum de tempore diximus [9], nihil certi determinari posse: unde prudentia potius suadet, ut curemus ne locus aut tempus impraeparatos nos inveniat; pro quo valet grave illud S. Petri monitum [10]; *Magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

1. In hebraeo habetur וְקִבַּצְתִּי אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם וְהוֹרַדְתִּים אֶל־עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט וְנִשְׁפַּטְתִּי עִמָּם — 2. Ibid., 12. — 3. Act., I, 11. — 4. Quaest. LXXXVIII, art. 4. Cf. S. Bonavent., 4, Dist. XLVIII, dub. 1. Cf. S. Hieronym., in Matth., XXIV, 27; in Ierem., XXXI, 38; licet alibi, sc. Comment. in Ioel, loco cit., aliter sentire videatur. Cf. etiam S. Hilar., In Matth., XXXIV, 32, qui opinari videtur iudicandos in Calvario adunandos esse, ut Filius Dei gloriosus ibi appareat, ubi opprobriis fuit saturatus. — 5. Loco cit., ad 1m et 3m. — 6. 1 Thess., IV, 16. — 7. C. Opusc. II, c. 244. — 8. Cf. Calmet, Comment. in Ioel., III, 2, p. 165. — 9. Supra, Quaest. VI, art. 8. — 10. 2 Pet., I, 10.

**9. — Quaestio II.** — *Utrum signum Crucis praecedere debeat adventum summi iudicis?*

Resp. *Affirmative,* iuxta illud S. Matthaei [1]: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo; et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute multa et maiestate.*

Quaerenti autem quodnam hoc signum futurum sit, responderi potest cum S. Cyrillo Hierosolymitano [2]: *Signum autem verum et Christi proprium Crux est, ...demonstrans eum qui prius crucifixus fuit;* unde Ecclesia canit [3]: *Hoc signum Crucis erit in caelo, cum Dominus ad iudicandum venerit. — Crux ista,* ait S. Ioannes Chrysostomus [4], *sole splendidior videbitur; siquidem sol obtenebratur et absconditur, Crux autem apparet; neque appareret, nisi solaribus longe radiis splendidior esset.*

Signum Crucis igitur apparebit in iudicio, non ad indicium tunc existentis infirmitatis, sed praeteritae, ait Angelicus [5]; ut impii videntes in quem confixerunt, magis crucientur, intelligentes quantam misericordiam neglexerint; ii vero qui redempti sunt, maiores Christo referant gratias. — Porro, non ipsamet Crux in qua Dominus confixus est, apparebit, sed *signum* eius, ut expresse tradit sacer Textus, et contra plures auctores demonstrant Card. Gotti [6] et S. Alphonsus Ligorius [7].

**10. — Quaestio III.** — *Quandonam apparebit signum Crucis?*

*Resp.* Secundum communiorem sententiam, sacratis-

1. XXIV, 30. — 2. Catech. XV. Σημεῖον δὲ ἀληθὲς ἰδικὸν τοῦ χριστοῦ 'στὶν ὁ σταυρός... δηλοῦν τὸν σταυρωθέντα πρότερον. — 3. In festo Exalt. S. Crucis. — 4. Homil. LXXVI, al. LXXVII in Matth. — 5. S., Quaest. XC, art. 2, ad 2m; cf. Opusc. II, p. 1, c. 244. — 6. Quaest. II, Dub, I, n. 15. — 7. Dissert. teol. morali appartenenti alla vita eterna, Dissert. VI, n. 11.

simum Crucis signum apparebit, hominibus iam ad iudicium congregatis. — Nec obstat hunc eventum a S. Matthaeo recenseri post obscurationem solis et antequam homines congregentur: cum saepe in Scriptura res non eo ordine recitentur, quo actu evenerunt aut eventurae sunt.

## ARTICULUS II. — *Utrum iudicium universale absolvendum sit per locutionem vocalem an mentalem.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum omne iudicium absolvatur per sententiam, quae se habet velut forma eius, hinc Christus sententiam proferet, primo quidem relate ad singulos, postea vero ad omnes simul, dicendo his qui a dextris eius erunt [1]: *Venite, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* iis vero qui a sinistris [2]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Porro, de hac sententiae prolatione dubitatur modo, an vocaliter, vel mentaliter tantum fiet: de qua re non omnino certam haberi posse determinationem ipse S. Augustinus censuit [3]; licet probabilius aestimari possit totum illud iudicium, et quoad discussionem, et quoad accusationem malorum et commendationem bonorum, necnon quoad sententiam de utrisque, mentaliter perficiendum esse. Sit ergo

**2. — PROP. — Extremum iudicium perficietur per locutionem mentalem.**

**3. — Expenditur.** — Si vocaliter singulorum facta narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur, sicut etiam advertit idem S. Augustinus, di-

1. Matth., XXV, 34. — 2. Ibid., 41. — 3. L. XX, de Civ. Dei, c. 1.

cens [1] quod si liber iste *carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? Aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae universorum?* Non autem minus tempus requiritur, subiungit Angelicus [2], ad narrandum oretenus singulorum facta, quam ad ea legendum si essent in libro materiali scripta: unde probabile est illa, quae apud S. Matthaeum [3], tanquam a Christo proferenda, recitantur, sic intelligenda esse, ut non vocaliter, sed mentaliter perficiantur; ita quod illud quod in Evangelio locutio dicitur, accipiatur pro cognitione quam unusquisque in conscientia habebit de propriis factis, necnon de aliorum peccatis.

4. — **Solvitur tacita difficultas.** — Christus secundum formam hominis iudicabit, in qua corporaliter ab omnibus possit videri. Ergo eadem ratione, qua corporaliter videbitur, corporali etiam voce loquetur, ut ab omnibus audiatur.

*Resp. Nego paritatem;* Christus enim corporaliter apparebit, ut ab omnibus corporaliter iudex cognoscatur, quod quidem subito fieri poterit; sed locutio vocalis, quae scilicet tempore mensuratur, requireret immensam temporis longitudinem, unde non est simile [4].

5. — **Scholion.** — Attamen, non improbabilis videtur eorum sententia, qui censent individuam quidem sententiam mentaliter prolatum iri, generalem vero sententiam, qua electis regnum, reprobis vero supplicium in communi assignabitur, voce sensibili esse pronunciandam, ut ita Christus iudex, sub corporali specie apparens, corporaliter et videatur et audiatur [5].

1. Loc. cit., c. 14. — 2. S. Quaest. LXXXVIII, art. 2. — 3. Matth. XXV, 34, seqq. — 4. S. Thom., l. c., ad 3m. — 5. Al. Ad. Paquet, De Novissimis, Disp. X, Quaest. I, art. 4. concl. 2a p. 457.

**6. — Quaestio.** — *Utrum omnia merita vel demerita, sive propria sive aliena, ab hominibus, in iudicio ultimo, uno intuitu videbuntur?*

*Respondet* S. Thomas, duplicem circa hoc dari opinionem: quidam enim dicunt, quod omnia merita, et demerita simul aliquis videbit, sua, et aliena, in istanti; quod quidem de beatis facile credi potest, quia omnia in Verbo videbunt; et sic non est inconveniens, quod simul plura videant: sed de damnatis, quorum intellectus non est elevatus, ut possint Deum videre, et in eo omnia alia, magis difficile est determinatu.

Quapropter, dicunt alii, quod mali homines simul omnia videbunt in genere peccata sua, et aliena; et hoc sufficit ad accusationem illam, quae debet esse in iudicio, vel ad absolutionem: non autem videbunt omnia simul, descendendo ad singula. — Sed hoc etiam non videtur consonum dictis S. Augustini [1], qui dicit, quod omnia mentis intuitu enumerabunt; quod autem in genere cognoscitur, non enumeratur.

Quae cum ita sint, videtur posse eligi mediam viam, qua tenetur damnatos singula consideraturos esse, non tamen in istanti, sed in tempore brevissimo, divina virtute ad hoc adiuvante, et hoc est, quod dicit Augustinus [2], quod *mira celeritate cernentur:* nec est hoc impossibile, quia in quolibet parvo tempore sunt infinita instantia in potentia [3].

## Articulus III. — *Utrum omnes homines in ultimo iudicio comparebunt?*

**1. — Ratio articuli.** — Acto de forma iudicii universalis, sequitur modo ut de illius causa materiali inquiratur, et primo quidem de materia remota, seu de

1. L. XX de Civ. Dei, c. 14, — 2. Loco cit. — 3. S. Quaest. LXXXVII, art. 3.

hominibus iudicandis, postea vero de materia proxima, seu de hominum actionibus. — Circa primum vero praemittere debemus, ad iudicium duo pertinere, scilicet discussionem meritorum et retributionem meritorum; et quidem, cum unusquisque recepturus sit, ex divina sententia, praemium merito respondens, ideo quantum ad retributionem praemiorum, omnes, sive boni, sive mali, iudicabuntur; e contra, discussio meritorum non fit, nisi ubi est quaedam commixtio operum bonorum cum malis, quod nec est in omnibus, nec ubi est, eodem modo est.

**2.** — PROP. — α) **In finali iudicio, quantum ad meritorum retributionem, omnes ante Christi tribunal comparebunt; β) sed quantum ad discussionem operum, non omnes iudicabuntur.**

**3.** — **1ª Pars**, quae his Symboli verbis continetur: *Venturus est iudicare vivos et mortuos*, pluribus Scripturae locis exprimitur; sic [1]: *Congregabuntur ante eum omnes gentes;* rursus [2]: *Omnes stabimus ante tribunal Christi;* expressius adhuc [3]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum;* denique [4]: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus;* quod quidem non esset, si non omnes in iudicio comparerent.

**4.** — **Prob. rat. theol.** — Iudiciaria potestas, qua unicuique retributio congrua decernenda est, Christo homini collata est, in praemium tum humilitatis quam in passione exhibuit, tum charitatis qua sanguinem pro omnibus fudit, quantum ad sufficientiam, licet non in omnibus effectum habuerit propter impedimentum in

1. Matth., XXV, 32. — 2. Rom., XIV, 10. — 3. 2 Cor., v. 10. — 4. Apoc., I, 7.

aliquibus inventum. Ergo congruum est ut omnes homines in iudicio congregentur, tum ad videndum eius exaltationem in humana natura secundum quam constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum, tum ad accipiendum ab eo praemium operibus conveniens [1]. — Quocirca omnes homines, in finali iudicio, ante Christum Dominum comparere debent, non exclusis Beatissima Virgine eius Matre et sancto Ioseph eius in terris custode et nutritio, non exclusis etiam pueris ante perfectam aetatem decedentibus, qui licet propria merita non habuerint, testes tamen erunt gloriae iudicis, accepturi ab eo, si quidem fuerint baptizati, coronam eiusdem Christi meritis sibi comparatam [2].

5. — **Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat quod legitur [3]: *Sedebitis... super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel;* — nam, ut ait S. Augustinus [4], *non quia dictum est:* IUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL, *tribus Levi, quae tertiadecima est, iudicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam ceteras gentes iudicabunt:* ideo autem per duodecim tribus omnes aliae gentes significatae sunt, quia in sortem duodecim tribuum per Christum sunt vocatae [5].

6. — **Expenditur 2a Pars.** — Discussio meritorum non fit, ut dictum est, nisi ubi est commixtio operum bonorum cum malis. Atqui, *primo,* aliqui sunt qui aedificant super fundamentum fidei aurum, argentum et lapides pretiosos [6], divinis servitiis totaliter insistentes, qui nullam admixtionem notabilem alicuius mali meriti habent, sicut sunt illi qui, rebus mundanis penitus abiectis, sollicite cogitant solum quae Dei sunt: et hi quidem sine

1. S., Quaest. LXXXIX, art. 5. — 2. Ad 3m. — 3. Matth., XIX, 28. — 4. L. XX de Civ. Dei, c. 5. — 5. Ad 1m. — 6. 1 Cor., III, 12.

ulla discussione meritorum mercedem boni operis accipient [1].

*Secundo,* alii sunt qui aedificant super fidei fundamentum lignum, foenum et stipulam [2], qui scilicet adhuc amant saecularia et terrenis negotiis implicantur, ita tamen quod nihil Christo praeponant, sed student peccata eleemosynis redimere; unde habentes quamdam commixtionem bonorum operum cum malis, in Dei charitate decedunt: et in his discussio meritorum locum habebit, non quasi iam certi non sint de sua beatitudine, sed ut praeeminentia bonorum meritorum ad mala ostendatur omnibus manifeste, et sic Dei iustitia comprobetur [3].

*Tertio,* alii sunt, qui fidei fundamento innixi, et sic formaliter christiani existentes, ad minus actum fidei laudabilem habent, qui quamvis meritorius non sit sine charitate, tamen quantum est de se, est ordinatus ad meritum; unde in eis discussionis iudicium locum habebit; et quia fuerunt, saltem numero, cives civitatis Dei, ideo iudicabuntur ut cives, in quos sine discussione meritorum sententia mortis non feretur [4]. Equidem, huiusmodi iam certiores sunt de sua damnatione; quia tamen aliqua, quae pertinent ad bene merendum, habent adnexa, necesse est ad manifestationem divinae iustitiae, eorum merita discussioni subiici, ut appareat eos iuste a sanctorum civitate excludi, cuius esse numero cives exterius videbantur [5].

*Demum,* alii sunt, scilicet infideles, in quibus nullimode est fidei fundamentum, quo sublato, omnia opera sequentia carent perfecta rectitudine intentionis; unde non est in eis aliqua permixtio bonorum operum cum malis, quae discussionem requirat; ideoque condemnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum discussione exterminari; de quibus dicitur [6]:

1. Art. 6. — 2. 1 Cor., l. cit. — 3. Ibid., et ad 2m. — 4. Art. 7. — 5. Ad 1m. — 6. Io., III, 18.

*Qui non credit, iam iudicatus est,* cum *sine fide impossibile* (sit) *placere Deo* [1]; quo sensu intelligi fors poterit illud Lactantii [2]: *Nec tamen universi tunc a Deo iudicabuntur, sed ii tantum qui sunt in Dei religione versati.*

7. — **Quaestio.** — *Utrum angeli in futuro iudicio iudicabuntur?*

*Respondet* S. Thomas [3] iudicium discussionis nec in bonis angelis, nec in malis, habendum fore, quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad iudicium pertinens. Loquendo vero de iudicio retributionis, vel agitur de retributione respondente propriis meritis angelorum, et haec a principio fuit utrisque facta, dum quidam in beatitudine sublimati sunt, quidam vero in miseria demersi: vel de retributione quae respondet meritis bonis vel malis per angelos procuratis, et haec retributio in futuro iudicio fiet, quia boni angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum quos ad meritum induxerunt, et mali amplius torquebuntur, multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati.

8. — **Solvitur tacita obiectio.** — *Obiicienti* illud S. Pauli [4]: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus,* — *respondetur* hic agi de iudicio comparationis, quia tunc quidam homines quibusdam angelis superiores invenientur [5]; pariter aliqui angeli mali condamnabuntur a sanctis, quorum virtute sunt debellati, ut ait S. Thomas [6]: nimirum, iudicium hic appellatur comparatio hominum sanctorum cum angelis, sive bonis, sive malis.

9. — **Scholion.** — Peracto iudicio, daemones, cunctis videntibus, praecipitabuntur in infernum, ubi tanquam in carcere perpetuo detrudentur, cum eis non concedatur

1. Hebr., XI, 6. — 2. L. VII div. Instit., c. 20. — 3. Art. 8. — 4. 1 Cor., VI, 3. — 6. Ad 1m. — 6. Comment. in suprad. locum S. Pauli.

nunc in terris degere, nisi ad exercitium virtutis ex parte hominum; unde legitur [1]: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari* [2].

### Articulus IV. — *Utrum uniuscuiusque opera, sive bona sive mala, innotescent omnibus in ultimo iudicio.*

**1. — Materia proxima iudicii universalis.** — Determinaturi modo de iudicii universalis materia proxima, quae sunt hominum actiones, primo advertere debemus, dubium praesens non tam esse utrum illae sint omnes in iudicio discutiendae, quam de modo quo huiusmodi actiones tum ipsi iudicando tum eius contribulibus innotescere valeant.

Equidem, quod iudicium universale futurum sit de omnibus operibus bonis vel malis quae quis gesserit, evidentibus Scripturae testimoniis comprobatur. Legitur enim [3]: *Cuncta quae fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Singillatim vero proponuntur indaganda hominis opera [4]: *Reddet unicuique secundum opera eius;* verba [5]: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii;* cogitata [6]: *Dominus... manifestabit consilia cordium;* immo et omissa [7]: *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Haec omnia igitur, in privato iudicio iam discussa, iterum coram omnibus iudicabuntur. — Ex his constat errare eos qui docent, in extremo iudicio, peccata iustorum pridem remissa neutiquam promulganda fore [8].

1. 2 Pet., II, 4. — 2. Cf. ad 2m et 3m. — 3. Eccle., XII, 14. — 4. Rom., II, 6. — 5. Matth., XII, 36. — 6. 1 Cor., IV, 5. — 7. Iac., IV, 17. — 8. Ita contendit Balthassar Bebelius, in edita disp. De peccatis electorum in iudicio extremo non publicandis.

2. — **Ratio articuli.** — Rebus igitur sic stantibus, cum in quolibet iudicio oporteat ut non solum reus, sed etiam testis, necnon accusatores et defensores notitiam eorum habeant quae in iudicio versantur, ideo non levis proponitur quaestio, quo pacto unusquisque iudicandorum tum ea quae ipsemet gesserit, tum aliorum merita vel demerita perspecta habere valeat. Pro quo, sit

3. — PROP. I. — **In ultimo iudicio unusquisque iudicandorum in sua conscientia videbit omnia opera quae fecit, sive bona, sive mala.**

4. — **Exponitur.** — Revera, quemadmodum, in iudicio humano, registris utimur, in quibus rei gesta consignata leguntur, ita conscientiae singulorum, in extremo iudicio erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus uniuscuiusque iudicium procedet, iuxta illud S. Pauli [1]: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum per Iesum Christum.* Huiusmodi autem sunt libri, de quibus dicitur [2]: *Libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitae, et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

5. — **Liber vitae.** — Per librum vitae vero intelliguntur conscientiae singulorum, quae dicuntur singulariter liber unus, quia una virtute divina fiet ut cunctis in memoriam sua facta revocentur. Definitur enim a S. Augustino [3], vis quaedam divina, *qua fiet ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur,*

1. Rom., II, 15, 16. — 2. Apoc., XX, 12. — 3. L. XX de Civ. Dei. c. 14.

*ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli iudicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur quidquid ea faciente recolitur.* Porro, iudicium divinum erit perfectissimum, et unusquisque iudicandus erit de omnibus bonis operibus et malis, iuxta illud[1]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum;* ideoque necesse erit ut conscientia referat omnia de quibus homo iudicandus est[2].

6. — **Relatio operum praesentis vitae ad praemium vel poenam.** — Porro, licet principalis causa, ex qua unusquisque cogniturus est tum bona tum mala opera quae in hac vita gesserit, sit vis illa divina, quae liber vitae dicitur, causa tamen secundaria erit relatio illorum operum ad praesentem animae conditionem: quandoquidem nullum opus erit, quod non aliquo modo maneat in suo effectu. Nam merita quae non sunt mortificata manebunt in praemio quod eis redditur; quae autem mortificata sunt, manent in reatu ingratitudinis, quae augetur ex hoc quod homo post gratiam susceptam peccavit. Similiter demerita, quae non sunt per poenitentiam deleta, manent in reatu poenae quae eis debetur; quae autem poenitentia delevit, manent in ipsa poenitentiae memoria, quam simul cum aliis meritis homo in notitia habebit[3].

7. — **Solvitur tacita difficultas.** — Nec ex hoc deduci debet, aut bonos dolore afficiendos ob peccata quae commiserint, aut malos gaudio ob bona quae patraverint: quamvis charitas sit nunc causa dolendi de peccato, tamen sancti in patria erunt ita perfusi gaudio, quod dolor in eis locum habere non poterit; et ideo de peccatis non

1. 2 Cor., V, 10. — 2. S., Quaest. LXXXVII, art. 1. — 3. Ad 1

dolebunt, sed potius gaudebunt de divina misericordia, qua eis peccata sunt relaxata; sicut nunc etiam angeli gaudent de divina iustitia, qua fit, ut deserti a gratia in peccatum ruant illi, quos custodiunt; quorum tamen saluti sollicite invigilant. Similiter, mali cognoscent omnia bona quae fecerunt; at ex hoc non minuetur eorum dolor, sed magis augmentabitur, quia maximus dolor est multa bona perdidisse; propter quod dicit Boëtius [1] quod *summum infortunii genus est, fuisse felicem* [2].

8. — PROP. II. — **Innotescent etiam cuilibet homini peccata quae sunt in alterius conscientia.**

9. — **Exponitur.** — Quia iudicium illud universale erit, ita ut illius sententia ab omnibus probe cognoscatur, necesse ulterius erit, ad hoc quod iusta sententia appareat, ut iudicati merita vel demerita omnibus sententiam cognoscentibus innotescant [3].

Haec autem cognitio non fiet per hoc quod unusquisque libere legere poterit in alterius conscientia, cum nec homines nec angeli videre possint ea quae pendent a libero arbitrio; sed duplici modo perficietur: scilicet, primo, ex cognita quantitate gloriae vel miseriae hominis resurgentis, poterunt aliquo modo cognosci merita vel demerita praecedentia illius; secundo, praecipue illa cognitio habebitur ex virtute divina, secundum illud [4]: *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Sic nempe quorumdam sanctorum peccata certo sciemus, ut puta, Mariae Magdalenae et Petri Apo-

1. De Consol. Phil. Pros, 4 in principio. — 2. Art. 1, ad 3m et 4m. Sic etiam Poëta (Inf., V, 121, seq.):

*... Nessun maggior dolore*
*Che ricordarsi del tempo felice*
*Nella miseria.*

3. Art. 2. — 4. 1 Cor., IV, 5.

stoli: at nulla ratio est cur etiam aliorum electorum peccata non revelentur, et multo magis damnatorum.

**10. — Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti, huiusmodi manifestationem peccatorum ad ignominiam sanctorum redundare, – *respondetur* negando: nam quod peccata sanctorum revelentur, non poterit eis esse in erubescentiam vel verecundiam, ait S. Thomas [1], sicut nec Mariae Magdalenae est in confusionem, quod peccata sua publice in Ecclesia recitantur, quia, ut Damascenus dicit [2], verecundia est *timor ingloriationis,* quae in beatis esse non poterit; quinimmo, talis publicatio erit eis ad magnam gloriam, propter poenitentiam quam fecerunt, sicut et confessor approbat eum qui magna scelera viriliter confitetur.

Ex adverso, damnatorum erubescentia non minuetur ex cognitione peccatorum aliorum, nec ipsis solatio erit scire se habere multos socios in peccato; nam, ut advertit idem S. Thomas [3], ex hoc magis augebitur uniuscuiusque peccatoris confusio, in alieno vituperio suum proprium vituperium magis agnoscentis. Nam quod, ex tali causa, confusio minuatur, contingit ex hoc quod verecundia respicit aestimationem hominum, quae ex consuetudine redditur levior; sed tunc confusio respiciet aestimationem Dei, quae est secundum veritatem de quolibet peccato, sive sit unius tantum, sive multorum.

### ARTICULUS V. — *Utrum Christus in forma humanitatis sit iudicaturus.*

**1. — Christus iudex omnium.** — Pertractata quaestione de iudicandis, nunc ad ipsum iudicem convertere debemus nostram considerationem, quem non alium fore

1. Art. 2, ad 3m. — 2. L. III Orthod. fid., c. 15. — 3. Ad 4m.

nisi Christum Dominum, tum Scripturae, tum Symbola clare demonstrant. Legimus enim [1]: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit;... aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat; et usque ad Antiquum dierum pervenit;... et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* — Ex his verbis evidenter constat iudiciariam potestatem a Patre traductam esse in Filium, non solum ab aeterno secundum divinam naturam, sed etiam in tempore, secundum humanam naturam, in qua eam promeruit [2].

**2. — Christo, ut Deus est, competit iudicare.** — Et primo quidem, quod haec potestas Christo, ut Deus est, competat, ex hoc constat quod, ad iudicium faciendum, tria requiruntur: primo, potestas subditos coercendi; secundo, rectitudinis zelus, ne quis scilicet ex odio, vel livore, sed ex amore iustitiae iudicium proferat; tertio, sapientia secundum quam formatur iudicium, quod quidem principalius est, quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiae vel veritatis, secundum quam iudicatur. Porro, Filius Dei est sapientia genita et veritas a Patre procedens ipsumque perfecte repraesentans: unde licet iudiciaria potestas communis sit toti Trinitati, in qua tria supradicta essentialiter inveniuntur, specialiler tamen attribuitur, secundum appropriationem, Filio Dei, qui est ars et sapientia Patris [3]. Quocirca legimus [4]: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

At, diximus Christo, etiam ut homo est, competere iudiciariam potestatem, utique, modo secundario, et secundum quod divina hominibus communicantur, quam quidem

1. Dan., VII, 9, 13. — 2. S., Quaest. XC, art. 1, ad 4m. — 3. 3, Quaest. LIX, art. 1. — 4. Io., V, 22, 23.

potestatem ex merito propriae passionis obtinuit, ut qui pro Dei iustitia pugnavit et vicit, et iniuste iudicatus est, secundum Dei iustitiam, iudex omnium esset [1]. — Quae cum ita sint, quaestio nunc proponitur in quanam forma, scilicet, divinitatis, an humanitatis, Christus apparere debeat, mundum iudicaturus.

3. — PROP. — **Christus mundum iudicabit in forma humanitatis.**

Veritatem hanc ita expressit S. Ioannes [2]: *Potestatem dedit ei* (Christo) *iudicium facere, quia Filius hominis est* [3]. Rursus de Christo homine legitur [4]: *Ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*

4. — **Ratio theol.** — Christo competit iudicare finaliter genus hominum, secundum quod ad ipsum pertinet aliquos admittere ad regnum et alios excludere a regno. Atqui hoc ad eum pertinet secundum quod dominium habet super homines. Christus autem dominium habet super homines, non solum ratione creationis, sed etiam ratione redemptionis, quam secundum humanam naturam operatus est. Ergo ipsi competit finali iudicio praesidere, non solum ut Deus est, sed etiam ut est homo, quia ex dono divinitatis, ipsi competit et influere gratiam in membra corporis sui, quod est Ecclesia, et legem condere, quae est lex evangelica, et iudiciariam potestatem exercere, et adducere homines ad beatitudinem, secundum illud S. Pauli [5]: *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari* [6].

1. 3, Quaest. LIX, art. 2., 3. — 2. C. V, 27. — 3. Silendum non est, in pluribus graecis codicibus, necnon in textu Syro, locum hunc sic distingui :... *iudicium facere. Quia Filius hominis est, nolite mirari hoc*, etc. Cf. S. August., tum in proprio Comment., tum l. XX de Civ. Dei, c. 6., n. 2. t. VII, col. 579. — 4. Act., X, 42. — 5. Hebr., II, 10. — 6. S., Quaest. XC, art. 1.

**5. — Confirmatur.** — α) Ex convenientia et affinitate Christi hominis ad ceteros homines; ut sicut Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur, ita homines iudicet per hominem Christum, ut sit suavius iudicium hominibus; β) ex hoc, quod in iudicio finali erit resurrectio mortuorum, qui per Christum hominem suscitabuntur; γ) ex hoc quod rectum est ut iudex videri possit ab omnibus iudicandis, sive bonis, sive malis: atqui forma Dei solis bonis videnda reservatur [1].

**6. — Scholion.** — Quia autem, per redemptionem humani generis, Christus non solum homines reparavit, sed etiam universaliter totam creaturam, secundum quod tota creatura, reparato homine, melioratur, ideo non solum super homines, sed etiam super universam creaturam per suam passionem dominium promeruit et potestatem iudiciariam, secundum illud [2]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* [3].

**7. — Christus iudicaturus veniet in forma gloriosa.** — Sed ulterius attendendum est ad id quod habet S. Matthaeus [4]: *Venturus est in gloria Patris* [5], cui cohaeret illud S. Lucae [6]: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate:* ex quo luculenter deducitur, Christum venturum esse in forma gloriosa, secundum quam omnibus iudicandis, etiam sanctis, qui corpora gloriosa habebunt, supereminet. Nam sicut iudicari est infirmitatis, ita iudicare est auctoritatis et gloriae: sed in primo adventu, Christus ad hoc venit, ut pro nobis satisfaceret apud Patrem per infirmitatem carnis; in secundo autem adventu, ad hoc veniet, ut iustitiam Patris in homines exequatur. Ergo tunc debebit gloriam demonstrare quae inest ei ex communicatione

1. 3, Quaest. LIX, art. 2. — 2. Matth., XXVIII, 18. — 3. S. Thom., ibid. — 4. XVI, 27. — 5. Cf. Ibid., XXV, 31. — 6. XXI, 27.

ad Patrem, ideoque apparebit in forma gloriosa [1]. Igitur, cicatrices, que in beatissimo Christi corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem, sed erunt indicia maximae virtutis, qua Christus per passionem et infirmitatem de hostibus triumphavit. Exprobratissimam etiam eius mortem ostendet, non sensibiliter eam oculis ingerens, ac si tunc eam pateretur; sed ex his quae apparebunt, scilicet indiciis praeteritae passionis, homines in recogitationem praeteritae eius mortis adducet [2].

8. — **Solvitur difficultas.** — Illud quod promittitur iustis in praemium, non conceditur iniustis. Atqui videre gloriam humanitatis Christi promittitur iustis in praemium. Ergo Christus in iudicio finali non apparebit omnibus in forma gloriosa.

Resp. *Dist. mai.:* sub ea ratione qua iustis promittitur, *conc.;* sub alia ratione, *nego. Dist. min.:* prouti gloria illa est delectabilis, *conc.;* prouti formidabilis est, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Sicut amici gloria est delectabilis, ait S. Thomas [3], ita gloria et potestas eius qui odio habetur, maxime contristat; ideoque sicut visio gloriae humanitatis Christi erit iustis in praemium, ita inimicis Christi erit in supplicium.

## ARTICULUS VI. — *Utrum aliqui homines iudicaturi sint cum Christo.*

1. — **Quotuplici modo quis large dicatur iudicare.** — Cum nomen *iudicium* analogicum sit, ideo multipliciter dicitur: et quidem tum large, tum stricte. — Large iudicare dicitur quis quadrupliciter: *primo,* quasi causaliter, in quantum ex comparatione aliorum aliqui iudicandi ostenduntur, sicut patet ex hoc [4]: *Viri Ninivitae sur-*

1. S. Thom., ibid., art. 2. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 4m. — 4. Matth., XII, 41.

*gent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam:* et sic iudicare in iudicio communiter bonorum et malorum est. — *Secundo,* iudicare dicitur quasi interpretative, in quantum illi qui Christo iudici consentient, eius sententiam approbando, iudicare dicentur: quo modo de iustis dicitur [1] quod *iudicabunt nationes.* — *Tertio,* dicitur aliquis iudicare quasi assessorie, et per similitudinem, sicut assessores iudicis, qui cum illo in loco eminenti sedent, rei causam audientes. — *Quarto,* iudicare quis dicitur, in quantum in eo continentur decreta divinae iustitiae, ex quibus homines iudicabuntur, sicut si liber, in quo continetur lex, iudicare dicatur; et hoc modo, qui divinae contemplationi dant operam, criteria habent in cordibus suis, unde homines iudicabuntur. — Hisce igitur modis homines cum Christo dici possunt iudicare, at large accepto hoc nomine *iudicium:* praeter quod tamen, stricte etiam ac proprie loquendo, partem in iudicando cum illo habebunt.

2. — **Iudicium stricte et proprie dictum.** — Revera, iudicare, stricte loquendo, importat actionem procedentem in alium; ideoque iudicare proprie dicitur qui sententiam loquendo in alterum profert: quod quidem fit dupliciter: uno modo, ex propria auctoritate, quatenus ille qui iudicat auctoritatem et dominium habet in iudicandos, in quos etiam potest leges ferre: et hoc modo iudicare proprium est Christi, tum ut est Deus, ex iure creationis et quia Verbum est sapientia Patris, tum ut est homo, iure redemptionis, ut dictum est [2]. Alio modo, iudicare est sententiam alterius auctoritate latam in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronuntiare [3].

1. Sap., III, 8. — 2. Art. praeced., n. 3. — 3. S., Quaest. LXXXIX, art. 1.

**3. — Vesana praesumptio.** — Inter hominum stultitias de potestate in ultimo die iudicium ferendi, specialem meretur mentionem cuiusdam illiterati hominis, cui nomen Eon, seu Eudes de l'Estoile, britanni, saeculo XII, praesumptio, qui in Rhemensi Concilio, coram Eugenio III (a. D. 1148), iactare non erubuit se eum esse qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem: quam stultitiam, iuxta quorumdam placita, ex Manichaeorum haeresi amplexus fuerat: qui quidem haud paucos sibi ascivit asseclas, turpissimis moribus inquinatos, ex quibus quidam Georgius David, homo plebeius, in eamdem dementiam lapsus est, se illum esse asserens, qui in extremo iudicio totum mundum iudicabit [1].

**4. — PROP. — Voluntariam paupertatem, ob Christi ac perfectioris vitae amorem, profitentes, una cum Christo iudices sedebunt in finali iudicio.**

**5. — Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Haec veritas expresse ponitur in Evangelio: siquidem, cum Petrus Christo dixisset [2]: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit Dominus [3]: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae,* ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, *sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Circa quae verba, primo advertendum est, Christum non expresse dixisse: *qui reliquistis omnia*, sed hoc ex ipso quaestionis modo subintellectum relinqui; deinde, ut notat S. Hieronymus [4], dicendo quod maius erat, quod erat minus intellexit. Ulterius, numerus duodenarius, tam

1. Cf. Concilieugeschichte, von C. J. Hefele, V B, 1 Abt. Freiburg in Breisgau, 1862, p. 456, Mansi, t. XXI, col. 721. Innixus similitudini inter nomen suum et pronomen *eum* gallice prolatum, adducebat de l'Estoile hunc locum: *Per* EUM *iudicaturus est vivos et mortuos,* ad thesim suam conficiendam. — 2. Matth., XIX, 27. — 3. Vers. 28. — 4. Comment. in h. l. S. Matth.

in iudicibus quam in iudicandis, pro indefinito numero ponitur; nam, praeter duodecim Apostolos, S. Paulus etiam non se tantum, sed plures ex Corinthiis dicit iudicaturos, non modo duodecim tribus, sed et universum mundum, imo ipsos etiam angelos [1]. Ad rem S. Augustinus [2]: *Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus; ... alioquin quoniam in locum Iudae traditoris Apostolum Matthiam legimus ordinatum, Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad iudicandum sedeat, non habebit;* unde duodenario numero, ut ibidem indicat, *universa quaedam significata est iudicantium multitudo.*

6. — **Prob. rat. theol.** — Ad iudicium faciendum, tria requiruntur: α) potestas in subditos, β) rectitudinis zelus, et γ) sapientiae ac veritatis norma [3]. Atqui voluntarie paupertatem ex Christi amore profitentibus, tria haec specialiter competunt. — Nam, *primo*, humilitati respondet exaltatio, unde etiam in Christo meritum humilitatis est iudiciaria exaltatio, qua ei omnia subduntur, ut ait S. Paulus [4]; et ideo ex hoc capite, potestas iudiciaria specialiter debetur illis qui voluntarie se humiliant, bona temporalia abiiciendo, propter quae homines a mundanis honorantur [5]. — *Secundo*, in iis qui bona mundi voluntarie contemnunt ut Christo soli inhaereant, non est aliquid quod eorum iudicium a iustitia deflectat; unde specialiter ad iudicandum idonei redduntur, quasi zelo iustitiae unice ducti in iudicio proferendo. — *Tertio*, ex hoc quod quis pro Christi amore bonis temporalibus ultro abrenunciat, idoneus fit qui normam iudicii, quae est divina veritas, clare percipiat, et iudicandis hominibus

1. Tirinus, in h. l. — 2. L. XX de Civ. Dei, c. 5, n. 3. col. 577. — 3. 3, Quaest, LIX, art. 1; supra, art. 5, n. 2. — 4. Phil., II, 8, seq. — 5. Art. 2, ad 4m.

applicet, cum e contra exteriores divitiae, ex sua sollicitudine, suffocent verbum Dei [1].

Illi igitur qui, ob perfectionem vitae, paupertatem voluntarie amplectuntur, Christum nudum nudi sequentes, eiusque regno promovendo toti incumbentes, ei in iudicio assidebunt, iustis praemia, malis supplicia decreturi.

7. — **Quaestio I.** — *Utrum angeli cum Christo iudicaturi sint?*

*Resp.* Angeli utique iudicabunt, loquendo de iudicio large accepto, scilicet pro approbatione sententiae iudicis, non autem si agatur de iudicio proprie dicto; quia assessores iudicis, ut observat S. Thomas [2], debent esse conformes iudicandis in natura, videlicet humana, ut ab eis videri possint, sicut iudex ipse videtur. Praesentes autem erunt in illo iudicio, tum ut iudici ministrent, secundum illud [3]: *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum;* tum ut sint testes humanorum actuum, sub quorum custodia homines bene vel male egerint [4].

8. — **Quaestio II.** — *Utrum daemones exequentur sententiam iudicis in omnes damnatos?*

Dubitandi ratio ex eo procedit, quod sicut non omnes homines beati illuminabuntur ab angelis, cum aliqui homines, scilicet sanctiores, ipsos angelos illuminaturi sint, ita non videretur quod daemones, qui peiores damnatis fuerint, eos torquere debeant: secus hoc ipsis solatio verteretur. Similem profert sententiam Seraphicus Doctor. *Probabilior est,* ait [5] *alia opinio, quod daemones non erunt tortores in poena post iudicium, quoniam ipsi erunt totaliter absorpti a poenis. Et illud quod dicitur, quod erunt tortores, solum secundum statum ante iudicium intelligitur esse verum.*

1. Matth., XIII, 22. Cf. S. Quaest. LXXXIX, art. 2. — 2. Art. 3. — 3. Matth., XIII, 49. — 4. Ad 1m. — 5. 4 Sent.. Dist. XLVIII, Quaest. IV, Dub. IV.

Sed tamen, verisimilius respondendum est affirmative, quia omnes homines peccatores se daemonibus subdiderunt peccando; ergo iustum est ut eisdem etiam subiiciantur in poenis, quasi ab eo puniendi [1].

Quod autem non omnes homines salvati illuminandi sint per angelos, provenit ex differentia inter meritum et peccatum, quia meritum exaltat, sed peccatum deprimit; *unde,* ait Angelicus [2], *cum natura angelica sit altior quam humana, quidam propter excellentiam meriti, in tantum exaltabuntur, quod talis exaltatio excedet altitudinem naturae et praemii in quibusdam angelis, unde etiam quidam angeli per quosdam homines illuminabuntur: sed nulli homines peccatores propter aliquem gradum malitiae pervenient ad illam eminentiam quae debetur naturae daemonum.*

Attamen, ex hoc quod daemones fient executores iustitiae in damnatos omnes, nihil eis accrescet solaminis: quia in hoc etiam quod alios torquent, et ipsi torquentur; nec miserorum societas minuit miseriam, sed potius auget [3].

1. Art. 4. — 2. Ad 3m. — 3. Antiquitatis monumenta relate ad iudicium animarum videri possunt apud P. Sisto Scaglia, O. C. R., *I Novissimi nei Monumenti primitivi della Chiesa*, Roma, 1910, p. 50, seq.; Marucchi, *Eléments d'Archéologie chrétienne,* Roma, MCM, t. I, p. 306.

## QUAESTIO XI.

## DE INNOVATIONE MUNDI POST IUDICIUM


### Prologus.

**1. — Ordo eventuum in ultima die complendorum.** — Ex dictis hucusque iam colligere licet rationem et ordinem quibus eventus, in ultima die, quae est dies Domini, complendi, sese excipere debeant. Nimirum, primo loco, dies illa revelanda erit subitanea mundi conflagratione, qua simul homines residui comburentur eorumque inter eos, qui iusti reperientur, poenae luentur, ac mundus totus a corruptione purgabitur: qui ignis proximum iudicis adventum praesignabit, iuxta illud [1]: *Ignis ante ipsum praecedet.* Mox succedet generalis mortuorum resurrectio; tunc videbitur signum Filii hominis in caelo: denique descendet ipse Christus in maiestate et virtute, quem universi homines adspicient oculis corporis, eorum quae gesserint, sive bona sive mala fuerint, aequam retributionem accepturi; electis sine mora per raptum transferendis obviam Christo, ut *ubi fuerit corpus, illuc* congregentur *et aquilae* [2], ex adverso plangentibus omnibus tribubus terrae [3] seu reprobis. Tunc fiet iudicium modo supradicto; quo peracto, ignis damnatos in locum suum involvet, Deo ipso immediate perficiente innovationem mundi, ut digna in posterum salvatorum hominum habitatio fiat [4]; Christo vero in aeternum regnante ac triumphante.

1. Ps. XCVI, 3. — 2. Matth., XXIV, 28. — 3. Ibid., 30. — 4. Cf. supra, Quaest. VI, art. 7.

**2. — Ratio quaestionis.** — Quae cum ita sint, non restat nisi ut de hac finali renovatione pertractemus, iuxta quam promittuntur nobis *terra nova et caeli novi* [1]. Revera, corpus hominis est ex elementis mundi compositum; unde oportet ut partes elementorum, quae sunt in corpore hominis, homine glorificato, glorificentur per receptionem claritatis. Sed eamdem convenit esse dispositionem totius et partium. Ergo oportet ut determinetur quo pacto conveniat ipsa elementa mundi claritate dotari. Ex altera parte, ex hominum salvatorum universitate constituetur Christi regnum in aeternum duraturum.

**3. — Ordo quaestionis.** — Igitur, de finali innovatione mundi, post iudicium, quaeri ita oportet, ut sciatur tum de mundo in seipso innovando (1-4), tum de hominibus salvatis Christo regi aeternaliter subiiciendis (5). Quantum vero ad ipsum mundum, primo quidem quaeretur an sit renovandus (1), et secundo, quo pacto huiusmodi renovatio sit perficienda (2-4). Ad quod alterum cognoscendum, primo, de ea renovatione quaeri debebit quantum ad motum caeli localem (2), et secundo, quantum ad obiectum, tum formale (3) tum materiale (4).




1. 2 Pet., III, 13; Is., LXV, 17; Apoc., XXI, 1.

Quinque igitur in hac quaestione quaeruntur.

*Primo.* Utrum mundus post iudicium finale innovabitur.

*Secundo.* Utrum motus caeli in fine mundi cessare debebit.

*Tertio.* Utrum elementa mundi innovanda sint per receptionem alicuius claritatis.

*Quarto.* Utrum plantae et animalia remanebunt in illa innovatione.

*Quinto.* Utrum sancti omnes sint Christo regi aeternaliter subiiciendi.

### ARTICULUS I. — *Utrum mundus post iudicium finale innovabitur.*

**1. — Ratio articuli.** — Cum plures fingi possint immutationum modi, hinc imprimis sedulo advertendum est, hic agi proprie de innovatione, quae videlicet sit praeexistentis mundi in mundum nobiliorem et pulchriorem transformatio. Non enim destruetur mundus praesens ut novus omnino ex nihilo educatur; sed nec quoad substantialem formam mutationi subiicietur: verum nova accipiet lucis ac speciositatis incrementa, ut videlicet condigne fieri possit habitatio hominis per gloriam in novam formam renovati. Quae quidem transformatio, naturae vires longe superexcedens, opus erit immediate Dei omnipotentis; unde non reducetur, tanquam in causam, in principium aliquod naturale motum, sed in primum immobile principium [1].

**2.** — PROP. — **Simul ac homo glorificabitur, mundus universus innovabitur.**

1. S., Quaest. XCI, art. 1, ad 2m.

**3. — Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Haec veritas, quae ad fidem proprie pertinet, pluries in sacra Scriptura, tum veteris, tum novi Testamenti, consignata legitur. Sic, apud Isaiam, inducitur Deus dicens [1]: *Ecce ego creo caelos novos et terram novam; et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor;* cui textui cohaeret et alius [2]: *Sicut caeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum:* quibus quidem locis significari futuram mundi materialis innovationem et glorificationem testantur insignes sacrarum Litterarum commentatores.

At explicitiora sunt quae in novo Testamento prostant testimonia. Sic quippe, apud S. Matthaeum legimus [3]: *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt:* nimirum, totus mundus speciem aliam ac praestantiorem accipiet, unde transibit, non substantiâ, sed schemate vel figurâ. Rursus, S. Petrus scribit [4]: *Cum igitur haec omnia* (elementa caeli et terra) *dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent: novos vero caelos et novam terram, secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Similiter S. Ioannes in Apocalypsi [5]: *Vidi caelum novum et terram novam: primum enim caelum et prima terra abiit et mare iam non est. Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem, Hierusalem novam, descendentem de caelo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo; et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* — Ex quibus perspicuum est, mundum praesentem ignis actione fore dissolvendum, ac novo splendore donandum.

1. LXV, 17. — 2. LXVI, 22. — 3. XXIV, 35. — 4. 2 Pet., III, 12, 13. — 5. XXI, 1, seqq.

4. — **Auctoritas S. Pauli.** — Sed iuvat hic lectorem monere, ut ad verba S. Pauli specialiter attendat, qui ea figura, quae prosopopoeia dicitur, utens, exhibet mundi physici substantiam, quae utique in se inspecta, bona est at simul multipliciter imperfectionibus obnoxia, patienter exspectantem et ardenter desiderantem, imo ingemiscentem, usquedum adveniat momentum quo, glorificato iam homine, in cuius gratiam est condita, et ipsa suo modo clarificabitur, atque a statu corruptionis, in quo nunc ob hominis peccatum quasi serva detinetur, in libertatem gloriae filiorum Dei transibit. — *Exspectatio*, ait [1], ἀποκαραδοκία, *creaturae* scilicet irrationalis, *revelationem* aut glorificationem *filiorum Dei expectat*, ἀπεκδέχεται: *vanitati enim*, quod est continuae mutationi, defectui et corruptioni, *creatura subiecta est non volens*, οὐχ ἑκοῦσα, quia multo pulchrior ac perfectior esse posset, *sed propter eum qui subiecit eam, in spe, quia* ex Dei decreto certissime fiet, quod *et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quia omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc,* sicut mulier, filium in utero gestiens, doloribus quidem tenetur, at spe erigitur prolis parturiendae [2].

5. — **Patrum traditio.** — Quod autem Ecclesia semper tenuerit fore ut, in fine temporum, mundus innovetur, evincunt clarissima et omnino consentientia Patrum, tum graecorum, tum latinorum, testimonia; ex quibus sequentes sufficiet citasse. Nimirum, ex graecis, ita loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus [3]: *Fiet mundi huius consummatio, et factus iste mundus rursum renovabitur... Pertransibit hic mundus, ut qui sit pulchrior excitetur... Convolvet caelos Dominus, non ut iis afferat interitum,*

1. Rom., VIII, 19, seqq. — 2. Cf. Estius, in h. l. — 3. Catech. XV, n. 3, p. 224, 225.

*sed ut rursus excitet pulchriores.* Γίνεται γὰρ τοῦ κόσμου τούτου συντέλεια, καὶ ὁ γενητὸς οὗτος κόσμος πάλιν ἀνακαινοποιεῖται... παρέρχετο ὁ κόσμος οὗτος, ἵνα ὁ καλλίων ἀναδειχθῇ... εἱλίσσει δὲ τοὺς οὐρανοὺς ὁ Κύριος, οὐχ ἵνα ἀπολέσῃ τούτους, ἀλλ' ἵνα αὐτοὺς πάλιν καλλίονας ἐγείρῃ.

Ex latinis, citari potest S. Hieronymus, qui ait [1]: *Qui novitatem, commutationem in melius, et non elementorum arbitrantur interitum, illo utuntur exemplo* [2]; *in quo perspicue demonstratur, perditionem et interitum, non abolitionem in nihili, sed commutationem sonare in melius,... quod intelligens et Paulus Apostolus loquebatur* [3]: PRAETERIT ENIM FIGURA HUIUS MUNDI. *Consideremus quid dixerit:* FIGURA *praeterit, non substantia.*

Digna quoque sunt quae recitentur praeclara verba S. Augustini [4]: *Peracto iudicio, tunc esse desinet hoc caelum et haec terra, quando incipiet esse caelum novum et terra nova: mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, transibit hic mundus; unde et Apostolus ait:* PRAETERIT ENIM FIGURA HUIUS MUNDI: ... *figura ergo praeterit, non natura.* Et rursus [5]: *Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis.*

**6. — Ratio theol.** — Omnia corporalia propter hominem facta sunt, eique dupliciter deserviunt: uno modo,

1. Comment. in Is., LXV, 17, 18, t. IV, col. 788,789. — 2. Scilicet Ps. CI, 27, 28: (Caeli) *peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent,* etc.; *tu autem idem ipse es.* — 3. 1 Cor., VII, 31. — 4. L. XX de Civ. Dei, c. 14, col. 591. — 5. Ibid., c. 16, col. 594.

ad sustentationem vitae corporalis; alio modo, ad profectum divinae cognitionis, in quantum per ea quae facta sunt, invisibilia Dei cognoscere potest [1]. Atqui homo glorificatus non indigebit creaturarum ministerio quantum ad sustentationem corporis, quod erit tunc incorruptibile et impassibile, et solo animae glorificatae influxu in vita conservabitur. Nec tali ministerio indigebit homo ad perficiendam visionem divinae essentiae, cum ad eam oculus carnis attingere non valeat; indigebit tamen ad hoc, ut Deum in effectibus glorificatis inspiciat, modo videlicet perfectioni naturae suae correspondente. Quod quidem solatium percipiet, primo, in intuitione sacrosanctae humanitatis Christi, necnon Beatissimae Virginis et aliorum sanctorum, deinde in omnibus aliis corporibus quae omnia modo suo maiorem influentiam a divina bonitate suscipient quam nunc habeant, non ut specifice mutentur, sed ut clariora et speciosiora appareant: unde concludit Angelicus [2], simul mundus innovahitur et homo glorificabitur.

Similia sunt quae tradit S. Bonaventura [3]: *Mundus factus est,* ait, *ut homo nunc per speculum creaturae cognosceret quem in sua natura videre non poterat. Unde in futuro saeculo oportet speculum meliorari et purgari, ut in pulchritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris... Sicut elementa infecta sunt propter peccatum hominis, ita dignum est ut mundus innovetur propter glorificationem hominis.*

7. — **Confirmatur.** — Similitudo est ratio amoris. Sed homo habet aliquam similitudinem cum universo, unde et minor mundus dicitur. Ergo universum mundum diligit naturaliter, ideoque eius bonum concupiscit; et

1. Rom., I, 20. — 2. S., Quaest. XCI, art. 1. — 3. Compend. theol. verit., l. VII, c. 20. Cf. 4, Dist. XLVIII, art. 2, Quaest. III, conclus.

ita, ut satisfiat huic hominis glorificati desiderio, debet etiam universum innovari et clarificari [1].

**8. — Solvitur difficultas.** — In Genesi legitur [2] quod Deus *requievit die septimo ab omni opere quod patrarat,* scilicet, cessavit a novis creaturis condendis. Atqui, in illa prima rerum conditione, non fuit alius modus rebus impositus, quam iste quem nunc naturali ordine tenent. Ergo nunquam alium modum existendi habebunt.

*Respondet* S. Thomas [3], quod pro tanto Deus dicitur die septimo a novis creaturis condendis quievisse, quia nihil postea factum est, quod prius non praecesserit in aliqua similitudine secundum genus vel speciem, vel ad minus sicut in principio seminali, aut etiam sicut in potentia obedientiali. Dici ergo potest quod futura mundi novitas praecessit in operibus sex dierum, in quadam remota similitudine, scilicet in gloria et in gratia angelorum; praecessit etiam in potentia obedientiae, quae tunc creaturae est indita ad talem novitatem suscipiendam a Deo agente.

**9. — Causae huius innovationis.** — Ultimo loco notare hic iuvabit, duce Angelico [4], quod, si quidem quaeratur de causa *formali* huius dispositionis novitatis, quae in ultima mundi consummatione rebus inerit, dicendum est quod haec non erit nec naturalis, nec contra naturam, sed proprie supra naturam, quemadmodum gratia et gloria animae sunt supra naturam. Si vero de causa *efficiente* dubium moveatur, haec erit perpetuum agens, quod illam dispositionem et causabit et perpetuo conservabit. Si denique causa *materialis* seu *meritoria* investigari velit, attendendum est quod, quamvis corpora insensibilia non meruerint illam gloriam proprie loquendo, homo ta-

1. Sed. contra, 3. — 2. II, 2. — 3. Ad 3m. — 4. Ad 4m.

men meruit ut illa gloria toti universo conferretur, in quantum hoc cedit in augmentum gloriae hominis, sicut aliquis homo meretur ut ornatioribus vestibus induatur, quem tamen ornatum ipsa vestis nullo modo meretur [1].

**10. — Corollarium.** — Ex hoc deduci potest, non unam fore univoce materiam mundi post renovationem, ac nunc est: cum materia nostra, dum est sub una forma, sit in potentia ad ulteriorem formam; materia vero mundi renovati ita fiet in actu per suam formam, ut haec exhaustura sit totam materiae potentialitatem [2].

### ARTICULUS II. — *Utrum motus caeli in fine mundi cessare debebit.*

**1. — Ratio articuli.** — Antiqui Doctores scholastici, deficientibus accuratioribus observationibus, posuerunt corpora caelestia esse sua natura incorruptibilia; unde inferre coacti sunt eadem neque per ignem, neque per alicuius alterius creaturae actionem fore purganda [3]. At ex quo scientiarum physicarum adinventis compertum est, illa quoque corpora eisdem elementis esse composita quibus terrestris moles coalescit, hinc rite deduci potest, ea quoque innovationi per ignem esse subiicienda, cum illa quoque, non secus ac terra, propter hominem sint facta [4].

At inest corporibus caelestibus, non secus ac planetae nostro, praeter imperfectionem ex commixtione elemen-

1. Ad 5m. — 2. 1, Quaest. LXVI, art. 2. Hoc igitur modo intelligendum est quod passim, utique erronee, tradunt scholastici Doctores de immutabilitate et incorruptibilitate corporum caelestium: nimirum, valet haec doctrina de mundo corporali post finalem renovationem. — 3. S., Quaest., LXXIV, art. 4. — 4. Recolat lector, pluralitatem mundorum admitti non posse. Vide L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. I, c. I, n. 19, pag. 44.

torum resultantem, alia quoque imperfectio consistens in motu locali, qui non variat aliquid quod sit intrinsecum rei, ut substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, sed solum locum, qui est extra rem: unde praesens proponitur quaestio, ut sciatur utrum haec quoque imperfectio ita removeri debeat, quod motus cosmicus omnino quietetur: cuius quidem quaestionis, a modernis generaliter omissae, solutio, aliis quaestionibus solvendis, ut puta, de incorruptibilitate corporum resurgentium, de excludenda in fine mundi vita vegetali et animali, etc., plurimum inservit.

2. — **Sententia non probanda.** — Circa quod, imprimis, invenitur sententia quae non solum contra fidem, sed etiam contra scientias naturales pugnat. Nimirum, ponunt materialistae et evolutionistae motum caeli semper duraturum esse: quod quidem in tantum fidei nostrae adversatur, in quantum tenere debemus certum numerum electorum praefinitum esse a Deo; unde oportet, ait Angelicus [1], quod generatio hominum non in perpetuum duret, et eadem ratione nec alia quae ad generationem hominum ordinantur, sicut est motus caeli et variationes elementorum. Superius quoque diximus [2], ex scientiarum naturalium adinventis, deduci posse futurum tempus quo mundana machina, quod ad vitam vegetativam attinet, dissolvi debeat [3]. — Hoc ergo posito, sit.

3. — PROP. — **Homine glorificato, motus caeli cessabit.**

1. S., Quaest. XCI, art. 2. — 2. Quaest. VI, art. 8, n. 8, p. 381. — 3. Notari hic semel pro semper potest, S. Thomae ratiocinationem, in hoc et similibus locis, utique in systemate geocentrico, quod suo tempore vigebat, fundatam, aeque valere in systemate heliocentrico: nostra enim, in praesenti argumento, minime refert, utrum terra circa solem volvatur, an viceversa.

**4. — Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Imprimis, citari potest iste locus Isaiae [1]: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam;* quibus verbis cohaerent illa S. Ioannis [2]: *Et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus.* — Porro his verbis, in sensu litterali primario, significatur in Ecclesia Christi, de qua est sermo in illa prophetia, non fore alternationes lucis et tenebrarum, neque eclipses, neque recessus, neque occasus, Dei doctrina et gratia homines continuo foventibus; at in sensu secundario accipi possunt ad significandum, quod caelestis Hierusalem, cuius Ecclesia est figura, perfundenda sit abundantissima luce tum spirituali, in visione divinae essentiae, tum materiali, in mundi renovatione; ideoque non amplius fore aut decrementa et obscurationes in percepta veritate, aut vicissitudines lucis et tenebrarum ex revolutione corporum caelestium provenientes, quae quidem lucem suam proferent, et quidem non minorem quam nunc habeant, at non ex necessitate, verum ad maiorem hominis perfectionem [3]; ita quod illa terrae superficies, quae lucem solarem non recipiet, non manebit obscura, omnibus corporibus elementorum habentibus tunc in semetipsis quamdam gloriae claritatem [4].

At aptior locus ad hanc rem conficiendam desumitur ex Apocalypsi, ubi legitur [5] quod angelus, qui apparuit, *iuravit per Viventem in saecula saeculorum, quia tempus non erit amplius;* scilicet postquam septimus angelus tuba cecinerit, qua canente, mortui resurgent, ut dicit S. Paulus [6]. Atqui, si non est tempus, nec est

1. LX, 19, 20. — 2. Apoc., XXI, 23. — 3. Art. 3, ad 5m. — 4. Art. 2, ad 5m. — 5. X, 6. — 6. 1 Cor., XV, 52.

motus caeli, cum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius: quocirca tempori succedet aevum aeternum, simile aevo seu durationi angelorum. Quamquam hic, per *tempus,* possit etiam intelligi spatium poenitendi, merendi atque salutem aeternam procurandi, quod cum fine mundi transiturum est [1].

5. — **Ratio theol.** — Corpora caelestia eorumque motus in ministerium hominis facta sunt dupliciter: uno modo, ad sustentationem vitae materialis, alio modo, ad profectum cognitionis divinae. Atqui motus corporum caelestium ad primum horum ministeriorum ordinatur, in quantum per motum cosmicum multiplicatur genus humanum, et generantur plantae et animalia quae usui hominum sunt necessaria, et etiam temperies in aere efficitur conservans sanitatem; homo vero post statum gloriae huiusmodi ministerio non amplius indigebit. Ergo corpora caelestia manebunt quidem quantum ad hoc quod est hominem ducere in ulteriorem Dei cognitionem, non autem quantum ad eorum motum localem [2].

6. — **Scholion.** — Nec aliud profecto evincunt loca illa Scripturae, ubi Deus pollicetur nunquam defecturam fore illam tempestatum vicissitudinem quam initio fundavit: nimirum, perdurabit quousque generationum humanarum ordo compleatur. Sic, in Genesi, legimus [3]: *Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent:* ubi id quod dicitur, sementis et messis, evidenter indicat sermonem ibi esse de tempore quo plantae et animalia perduratura sint [4]. Simile est quod legitur in Ieremia [5]: *Haec dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis: qui turbat*

1. Cf. in h. l. Tirinus. — 2. Art. 2. — 3. VIII, 22. — 4. Ad 1m. — 5. XXXI, 35, 36.

*mare et sonant fluctus eius... Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus:* nimirum, semen Israel perdurabit usquedum pulcher ordo corporum caelestium et fluxus ac refluxus maris servabitur, quod est, secundum praesentem statum [1].

7. — **Solvitur difficultas.** — Motus est de perfectione corporis caelestis. Sed nulli corpori, in illa mundi renovatione, auferetur id quod est de sui perfectione, Ergo motus caeli nunquam cessabit.

Resp. *Dist. mai.:* in se, *nego;* in quantum per huiusmodi motum fit causa generationis et corruptionis, *conc. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Motus, ait S. Thomas [2], non est per se de perfectione substantiae caeli, sicut nec alicuius alterius rei, cum quies per se sit nobilior motu; sed est de perfectione corporis caelestis, in quantum per ipsum capax fit generationis et corruptionis in istis inferioribus, quo modo etiam participat divinam bonitatem per quamdam similitudinem causalitatis per respectum ad ista inferiora. Revera, non inest in corpore caelesti aliqua potentia quae ita perficiatur per locum, ut debeat esse successive in pluribus locis, sed in quocumque situ ponatur, potentia illius sufficienter adimpletur [3]. Quocirca deduci debet ex dictis, quod sicut corpori caelesti naturalis est motus, ita etiam naturalis est quies [4].

8. — **Finis motus corporum caelestium.** — Attamen, ex hoc quod quies est nobilior motu, minime deduci debet quod corpora caelestia ab initio quiescere debuissent: nam, ut iterum advertit Angelicus [5], quamvis immobilitas sit simpliciter nobilior quam motus, cum et Deus, qui est nobilissimus rerum et a quo corpora nobi-

1. Ad 2m. — 2. Ad 4m. — 3. Ad 7m. – 4. Ad 10m. — 5. Ad 4m sed contra.

liora moventur, sine motu sit, tamen ad finem suum pertingere illa corpora non potuissent sine motu, ideo in praesenti statu, in quo eis adhuc multiplex remanet officium circa mundum nostrum, melius est eadem moveri. Nam, motus ille ordinatus est ex divina providentia ad complendum numerum electorum, quo non completo, nondum assequuntur illud ad quod ordinata sunt; et ideo hoc sensu possunt supra citata verba S. Pauli caelo specialiter applicari [1]: *Omnis creatura ingemiscit,* scilicet similitudinarie, sicut homo qui non habet quod intendit: attamen defectus iste etiam a caelo tolletur, impleto scilicet numero electorum [2].

**9. — Quaestio.** — *In quonam situ invenientur corpora caelestia in illa innovatione?*

*Resp.* Cum tota innovatio mundi ad hominem ordinetur, credendum est caelum habiturum esse, in illa novitate, nobilissimum situm qui est possibilis in respectu ad nostram habitationem [3]. Qualis autem futurus sit iste situs, a nobis cognosci determinate non potest, cum id Deus nobis revelare noluerit; sed toto mentis affectu confidere debemus in infinita Dei potentia et bonitate, qui sicut unigenitum Filium suum pro nostra redemptione ultro tradidit, sic quoque efficiet, ut in finali retributione, ex nova caeli dispositione, corpora nostra illud commodum percipiant, ex quo eorum desiderio plenissime satisfiat.

### ARTICULUS III. — *Utrum elementa mundi innovanda sint per receptionem alicuius claritatis.*

**1. — Ratio articuli.** — Diximus superius [4], elementa mundi, in ultima die, per ignem universalis conflagrationis fore purganda, sive a foeditate peccati, sive ab im-

1. Rom., VIII, 22. Cf. art. praeced., n. 4, p. 523. — 2. Ad 6m. — 3. Ad 8m. — 4. Quaest. VI, art. 7.

puritate commixtionis: at ista purgatio non erit nisi dispositio ad formam innovationis divinitus inducendae; quocirca restat ut modo quaeratur in quonam formaliter praedicta innovatio sit complenda. — Quae quidem quaestio aeque complectitur elementa mundi et corpora caelestia, quae, non secus ac terra, in usum hominis cedunt; quod statim advertitur contra illos qui, considerantes exiguitatem hominis per respectum ad illa corpora, intelligere non valebant quomodo Deus, qui sapientissimus est in suis operibus, hominem constituerit finem proximum creationis caeli. Nimirum, multo plus excedit anima rationalis corpora caelestia, quam ipsa excedant corpus humanum; unde, concludit S. Thomas [1], non est inconveniens, si corpora caelestia dicantur esse facta propter hominem, ideoque propter illum etiam esse clarificanda.

**2.** — PROP. — **Omnia mundi elementa innovabuntur per additionem claritatis.**

**3.** — **Sacra Scriptura.** — Huius veritatis testimonium habetur in his verbis Isaiae [2]: *Et erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui:* qui locus, utique in primario sensu litterali intellectus, sibivult Christum Dominum, adventu suo et morte in Cruce, immensa luce perfusurum Ecclesiam, quae vicissim claritate soli comparabitur; at in sensu secundario, etiam litterali, significat, iuxta communem Doctorum interpretationem, in die iudicii, de quo mox agit Propheta, totam naturam immensis gloriae fluminibus inundandam, ita ut sol noster spectabilis septempliciter, id est, more Scripturae, infinite plus quam modo, de sua luce diffundat in mundo. *Luna ergo solis fulgorem accipiet,* ait S. Hieronymus [3]. *Nec mirum, hoc de*

1. Art. 3, ad 6m. — 2. XXX, 26. — 3. Comm. in Is., c. XXX.

*clarissimo sentire elemento, cui principatus noctis est traditus, cum de sanctis quoque scriptum sit:* FULGEBUNT IUSTI SICUT SOL.

Cavendum autem est, ne huiusmodi innovatio metaphorice accipiatur, quo modo dicimus solem obtenebrari, quando in magnam tristitiam ita incidimus, ut nesciamus quid agere debeamus, et viceversa clarefieri, quando laetitia afficimur, et viam cognoscimus quam sequi debemus: nam, ut advertit Angelicus [1], ex auctoritatibus et expositionibus sanctorum Doctorum, accipimus locutionem praedictam in sensu proprio intelligi debere.

Huc quoque pertinet insignis illa descriptio caelestis Hierusalem, quae in Apocalypsi legitur [2], ubi Apostolo Ioanni ostensa est sancta civitas, descendens de caelo a Deo, habens claritatem Dei, et *lumen eius simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum* [3].

4. — **Ratio theol.** — Innovatio mundi ad hoc ordinatur, ut ex nova eius spectabili forma, Deus ab homine manifestis indiciis quasi sensibiliter possit videri. Atqui creatura materialis in Dei cognitionem ducit sensibiliter sua specie et decore, quae manifestant sapientiam facientis et gubernantis; unde dicitur [4]: *A magnitudine speciei et creaturae, cognoscibiliter,* ἀναλόγως, *poterit creator horum videri.* Porro, pulchritudo corporum praecipue consistit in luce, unde dicitur [5]: *Species caeli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* Ergo praecipue quantum ad claritatem corpora mundana meliorabuntur, et omnia elementa claritate quadam vestientur; non tamen aequaliter, sed unumquodque secundum suum modum: quantitas autem, addit S. Thomas [6], sicut et modus meliorationis, illi soli cognita est, qui est meliorationis auctor.

1. Art. 3, ad 6m. — 2. XXI, 10, seq. — 3. Legi debet tota descriptio caelestis Hierusalem, quam tradit S. Ioannes in Apocalypsi, cc. XXI, et XXII. — 4. Sap., XIII, 5. — 5. Eccli., XLIII, 10. — 6. Art. 3.

**5. — Praecellentia lucis.** — Nec mirandum, si praedicta innovatio maxime per additionem lucis sit perficienda, quae est excellentissima corporum qualitas, prima die a Deo condita, radix aliarum qualitatum atque pro oculis nostris purissimae delectationis fons. Revera, innovatio mundi ad hoc ordinatur, ut diximus, ut homo, per manifesta indicia, in corporibus Deum etiam sensu quodammodo possit videre: atqui, inter sensus nostros, visus et spiritualior est et subtilior; unde oportet corpora perfici maxime quantum ad qualitates visivas, quarum principium est lux; eo vel magis quia lux contrarietatem non habet, sicut habent aliae qualitates elementares pertinentes ad tactum, ut calidum et frigidum, humidum et siccum; et sic excessus lucis per se delectabilis est, dummodo organum capax sit illius sustinendae, uti revera erunt oculi glorificati [1].

**6. — Corollarium.** — Ex hoc sequitur quod terra, quamvis ex natura sua opacitatem habeat propter defectum lucis, tamen ex divina virtute in sui superficie gloria claritatis vestietur, sine praeiudicio densitatis ipsius [2]. Insuper huiusmodi claritatis multiplicatio non causabit in praedictis corporibus indebitum caloris augmentum, cum corpora ista inalterabilia futura sint; ideoque nec tolletur, propter meliorationem elementorum, bonum universi, quod consistit in ordine et harmonia partium: quia omnes partes proportionaliter meliorabuntur, nec erit ulla dissonantia in isto caelo novo et in terra nova [3]. Potest autem aliqualis huius futurae innovationis figura videri in gemmis aut lapidibus pretiosis magno fulgore coruscantibus, necnon in illo subtili corpore quod radium dicitur, cuius mirabiles cernuntur effectus: attendendum tamen, futuram mundi transformationem, utpote opus Dei infiniti agentis, quamcumque naturae speciositatem longe superare.

1. Art. 4, ad 1m. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 4m et 5m.

**7. — Differentia lucis a motu.** — Porro, cum dixerimus supra [1], in ultima mundi innovatione, defuturum esse motum cosmicum, operae pretium est advertere ad differentiam lucis a motu. Nimirum lux, sicut motus cosmicus, utique ponitur causa generationis in istis inferioribus; at motus non importat aliquam perfectionem in eo quod movetur secundum quod in se consideratur, cum sit actus imperfecti, quamvis possit pertinere ad eius perfectionem in quantum est causa alicuius; lux vero pertinet ad perfectionem corporis lucentis, etiam in sua substantia considerati; ideoque postquam desinet esse generatio, cessabit motus, sed remanebit claritas corporum [2].

**8. — Solvuntur difficultates.** — I. Eadem est contrariorum ratio. Atqui homine per peccatum deteriorato, elementa mundi non fuerunt deteriorata. Ergo homine innovato, nec ista elementa innovari debent per susceptionem novae claritatis.

Resp. *Transeat mai. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique homine peccante, elementa mundi non fuerunt in se deteriorata quantum ad suam claritatem, cum etiam homo prius, sicut et postea, animalem vitam habuerit, quae motu et generatione corporalis creaturae indiget: at glorificatio hominis statum totius creaturae corporalis immutabit: unde non est simile [3].

Ad hanc responsionem attendere debent qui volunt caeli temperiem necnon terrae fecunditatem atque tempestatum anni vicissitudines, per peccatum hominis fuisse immutatas [4]: nam minoratio fuit non quoad substantiam rerum naturae, sed quoad usum hominis, qui non tantum beneficium ex eis consecutus est, quantum antea consecutus fuisset, per quem modum dicitur [5]: *Maledicta*

1. Art. praec., nn. 3, seq. — 2. Art. 3, ad 2m. — 3. Ibid., ad 3m. — 4. Hoc modo conantur nonnulli explicare irregularitates quae in cursu naturae inveniuntur. — 5. Gen., III, 18.

*terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi:* quae tamen etiam antea spinas et tribulos genuisset, sed non in hominis poenam. Igitur nec lucis minorationem corpora caelestia per hominis peccatum passa sunt: sed tantum homo ex illa luce non tale commodum percipit quale percepisset si non peccasset. Non ergo aestimandum est quod, homine non peccante, luna super terram existens diem fecisset, sed quod homo ex illo lumine maius beneficium habuisset quam nunc habeat, et similiter ex lumine solis : at glorificato iam corpore humano, luna et sol ac ceterae stellae notabile lucis incrementum accipient, ut in eius splendore beati in aeternum laetificentur.

II. Apud Isaiam legitur [1] : *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te;* et pariter in Apocalypsi [2] : *Et civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea.* Ergo claritas corporum caelestium non augebitur.

*Resp.* Civitas nova Hierusalem non egebit augmento luminis aut claritatis quasi necessitate ex indigentia proveniente, sed utilitate ad maiorem perfectionem obtinendam; et similiter aliis creaturis homo utetur ad profectum divinae cognitionis, non quasi eis necessario indigeat ad perveniendum in finem [3]. *Dabitur ergo,* ait Suarez [4], *illa claritas caelo et astris per modum proprietatis intrinsecae ac permanentis, ad eum modum quo humanis corporibus gloriosis claritas gloriae tribuetur. Sic enim et maior erit proportio inter locum et locatum, et in ipsis caelis magis relucebit divina virtus et quasi vestigium quoddam gloriae et claritatis illius. Unde tota haec claritas solis et lunae et aliorum corporum non erit tunc solum propter necessitatem et usum hominum: ad hoc sine dubio sufficeret claritas corporum beatorum:... sed erit ad maiorem perfectionem et gloriam beatorum.*

1. LX, 19. — 2. XXI, 23. — 3. Art. 3, ad 5m. — 4. In 3 P., Disput. LVIII, sect. 2.

## ARTICULUS IV. — *Utrum plantae et animalia remanebunt in illa innovatione.*

**1. — Ratio articuli.** — Censent plures e modernis scriptoribus [1], in finali illa mundi innovatione, non solum corpora inertia, sed etiam viventia vegetativa atque sensitiva, novo splendore donanda, ut ita plantarum ac animalium continuata species toti mundo renovato cedere possit ornatui, homini vero voluptati. Quae tamen sententia, a veteris scholasticis communiter reiecta, arbitraria nimis videtur, cum eius vestigia in fontibus fidei desint, imo pugnantia plura secumferat, aliunde autem Deus mundi perfectioni ac hominis felicitati alia via providere possit. Sit ergo

**2. — PROP. — Animalia bruta et plantae in finali mundi innovatione non manebunt.**

**3. — Prob.** — Cum innovatio mundi propter hominem fiat, oportet quod hominis innovationi conformetur. Atqui homo innovatus transibit de statu corruptionis in statum incorruptionis ac perpetuae quietis, iuxta illud [2] : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Ergo mundus taliter innovabitur, ut abiecta omni corruptione, perpetuo maneat in quiete; ideoque ad illam innovationem nihil ordinari poterit, nisi quod ordinem habet ad incorruptionem, cuiusmodi sunt elementa et homines. Naturae enim animalium atque plantarum minime congruit perennitas individuorum, sed tantummodo speciei, pro quanto motui caeli, a quo eorum vita dependet, subduntur. Cessante autem isto

1. Vide inter alios Ortolan, Astronomie et théologie, 2me P., c. 3. — 2. 1 Cor., XV, 53.

motu cosmico, non poterit perpetuitas in illis speciebus conservari, cum sint de se secundum materiam et formam corruptibiles; dum e contra homo formam habet, id est animam rationalem, quae de se incorruptibilis est, et suam incorruptionem corpori in resurrectione communicabit.

4. — **Confirmatur.** — I. Si plantae et animalia remanebunt, aut omnia, aut quaedam. Si omnia, oportebit etiam animalia bruta, quae prius fuerunt mortua, resurgere, sicut et homines resurgent, quod dici non potest, quia cum forma eorum in nihilum cedat, non potest eadem numero resumi; si autem non omnia, sed quaedam, cum non sit maior ratio de uno quam de alio, quod in perpetuum maneat, nullum eorum revera in perpetuum remansurum dicendum est [1].

II. Cessante fine, cessare debet id quod est ad finem. Sed animalia et plantae facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam, iuxta illud [2]: *Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem.* Ergo cessante vita hominis animali, cessare debent animalia et plantae. Atqui post illam innovationem animalis vita in homine non erit. Ergo nec plantae nec animalia remanere debebunt [3].

5. — **Solvuntur difficultates.** — I. Sicut elementa homini servierunt, ita et animalia et plantae. Sed elementa, propter praedictum ministerium, glorificabuntur. Ergo similiter animalia et plantae.

Resp. *Dist. mai.:* quasi ipsa elementa aliquid meruerint, *nego;* quasi homo per rectum usum elementorum sibi ipse meruerit, *subd.:* meruerit ea quae ordinem habent ad futuram innovationem, *conc.;* absolute, *nego. Dist. min.:* elementa glorificabuntur in quantum ordinem habent ad futuram innovationem, *conc.;* hoc solo quod servierint homini, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Nec

1. Sed contra, 1. — 2. Gen., IX, 3. — 3. Sed contra, 3.

animalia nec plantae nec aliqua alia corpora, ait Angelicus [1], in ministrando aliquid meruerunt, cum libertate arbitrii careant; sed pro tanto dicuntur quaedam corpora remunerari, quia homo hoc meruit, ut illa innovarentur quae ad innovationem ordinem habent: plantae autem et animalia non habent ordinem ad innovationem incorruptionis; unde ex hoc homo non meruit ut innovarentur, quia nullus potest alteri mereri nisi id cuius est capax, sicut etiam ipse sibi id solum mereri potest cuius ipsemet capax est; unde dato etiam quod animalia bruta mererentur in ministerio hominis, non tamen essent innovanda.

II. Species animalium et plantarum sunt de perfectione universi. Atqui mundus, in sua innovatione, imperfectus non remanebit. Ergo oportet dicere quod animalia et plantae in ultima mundi innovatione remanebunt.

Resp. *Dist. mai.:* secundum statum huius mutabilitatis, *conc.;* secundum statum futurae novitatis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Sicut perfectio hominis alia est naturae conditae, alia naturae glorificatae, ita etiam perfectio universi alia est secundum statum praesentis mutabilitatis, alia secundum statum futurae glorificationis: porro plantae et animalia sunt de perfectione mundi secundum praesentem statum, non autem secundum statum futurae novitatis, cum ordinem ad illam non habeant [2].

**6.** — **Scholion.** — Id quod de animalibus et plantis hic dicitur, extendi debet etiam ad illa omnia corpora quae, ob eorum formationem, corruptibilitati obnoxia sunt, aut, ob actionem quam exercent, apta ad corruptibilitatem inducendam. Hinc non erit atmosphera perturbationibus obnoxia, nec mixtae illae substantiae, quae per actionem chimicam telluricis cataclysmis dant originem;

1. Ad 2m. — 2. Ad 3m.

sed *rerum universitas, radiis superni fulgoris illustrata, plane habebitur tanquam immensum quoddam imperium, cuius nec centrum nec limites definire nobis licet: quod primario quidem Christo, secundario electis omnibus subiectum erit; et in quo singulae partes, non excepta terra nostra, pro libitu a corporibus quorumcumque sanctorum mox attingi et adspectari poterunt* [1].

### ARTICULUS V. — *Utrum sancti omnes sint Christo regi aeternaliter subiiciendi.*

**1. — Christi regnum aeternum.** — Absoluto iudicio, constituetur civitas caelestis sub perfecto Christi dominio, qui ei, tanquam supremus rex, benignus et potens, in aeternum praesidebit: iuxta illud quod in Daniele legitur [2]: *Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur;* et in Luca [3]: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Quocirca, cum aliqui haeretici, abutentes verbis S. Pauli [4], dicerent Christi regnum consummatis saeculis esse aliquando finem habiturum, in Symbolo Nicaeno CP. addita est particula: *Cuius regni non erit finis.*

**2. — PROP. — Sancti omnes sunt Christo regi aeternaliter subiiciendi.**

1. Al. Ad. Paquet, De Novissimis, Disp. X, Quaest. II, art. 1, p. 461. Quid de splendidis illis religiosis aedificiis, omni existimatione maioribus, quae avorum nostrorum fide, in diversis regionibus, saeculorum decursu, ad honorem Sanctissimi Redemptoris nostri, gloriosae eius Matri aut Sanctorum, erecta sunt? Ut modeste sensum nostrum pandamus, haud improbabile videtur templa haec, sicut etiam praestantes illas atque eximias de fidei nostrae mysteriis picturas quae nunc toti mundo admirationi sunt, in aevum conservatum iri, utique clarificata, ad laudem Dei et delectamentum Sanctorum. — 2. VII, 14. — 3. I, 32, 33. — 4. 1 Cor., XV, 24, seqq.

**3. — Referuntur verba S. Pauli.** — At multum abest ut S. Paulus neget perpetuitatem regni Domini Nostri, quin potius illam conceptis verbis emphatice asserit, dicens [1]: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: omnia subiecta sunt ei: sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

**4. — Explicantur verba S. Pauli.** — Porro, his verbis significat S. Paulus, peracta iam universali resurrectione, habendam esse rerum consummationem, post quam nulla alia mutatio est expectanda. Tunc autem tradet formaliter Christus homo gloriosum regnum suum, idest Ecclesiam ex solis electis consistentem, Patri suo; non quod ipse tunc amplius regnaturus non sit, sed ad grati animi manifestationem, quia secundum s[illegible] tam insignis regni acquisitione, Deo se debeat a[illegible], pro [illegible] perfecte iam debellatis omnibus adversariis potestatibus. Oportet enim, γάϱ, ut est in graeco, Christum regnare, donec posuerit, ϑῆ, omnes inimicos sub pedibus suis: non quod posthac amplius regnaturus non sit, sed particula *donec* ponitur in sensu continuationis, sicut quando dicitur [2]: *Non commovebitur, donec despiciat inimicos suos:* certe, sicut minus commovebitur post despectos seu depressos inimicos, ita a fortiori regnaturus est Christus, penitus devictis ac subactis hostibus, de qua re forsitan dubitari potuisset, ob hostium infensissimorum audaciam atque potentiam [3].

1. Loco cit. — 2. Ps. CXI, 8. — 3. Cf. Tr. de Incarnat. Quaest. I, Dissert. spec., p. 71.

Regnante igitur gloriose et feliciter Christo, sequitur mortem, ad quam debellandam venerat, penitus destructum atque abolitum iri; et quod nihil eorum quae sunt creata sit supremo Christi imperio subtrahendum, ex hoc confirmatur quod solus Pater increatus, qui omnia subiecit Filio, ab hoc universali Christi dominio excipiatur.

Cum autem dubitari posset an ipse Christus, universalis Dominus, cuiquam alteri tunc subiectus futurus sit, adiicit S. Paulus, tum et ipsum Filium ei qui subiecit sibi omnia subiectum iri, et quidem re et confessione, omnia Deo, tanquam omnium bonorum auctori, referentem, ut tandem sit Deus benedictus omnia in omnibus [1].

5. — **Beatissimae quoque Virgini Mariae omnes sancti erunt subiiciendi in aeternum.** — Denique Regi Christo assidebit gloriosa ac benedicta Virgo et regina Maria, quae sicut consors exstitit Christi in doloribus et poenis, ita etiam particeps erit illius triumphi et gaudiorum, ipsa tamen se Filio subiectam profitens, eum se maiorem confitens, ac ei omnia sua bona cum gratiarum actione referens.

*Ma guarda i cerchi fino al più remoto,*
*Tanto che veggi seder la Regina,*
*Cui questo regno è suddito e devoto* [2].

1. Cf. Estius, Comment. in Ep. S. Pauli, in h. l. Gloriam regni Christi aeterni pulcherrimo concentu modulatus est regius Psaltes in ps. LXXI, *Deus iudicium tuum regi da*, quem psalmum commentatus est Iosephus Corluy, S. I., in Spicilegio dogmatico-biblico, Gandavi, 1884, t. II, p. 166. — 2. Aligherius, Cant. XXXI, 115, seq.

## EPILOGUS.

Absoluto iam totius tractatus de Novissimis studio, illa menti succurrit gentium Apostoli sententia [1]: *Praeterit figura huius mundi.* Enimvero haud omnino dissimilis est cursus praesentis saeculi iis quae in theatris evolvi videmus. Nimirum, sicut multa sunt in theatris velamina, multique scenici histrionicam in vultu larvam gerentes, fabulam quamdam pertractantes; et unus quidem philosophum agit, qui nec litteras novit; alius medicum, qui ne lignum quidem dolare valet; alius servum, qui tamen liber est [2]; ita quoque in vita praesenti contingit, in qua aliqui iusti censentur, qui peccatis onerantur; aliqui sapientes, qui vitam suam ordinare nesciunt; aliqui felices, qui miseria intus tabescunt. At, quemadmodum, soluto iam theatro et proiectis larvis, unusquisque qualis sit apparet; ita cum homo in fine vitae ad examen vocatus fuerit, non ex divitiis, principatu aut doctrina apud Deum reputabitur, sed tantunmodo ex operibus, quae in eius honorem compleverit. Ex his quippe apparebit qualis revera fuerit, et quali sit honore ac praemio dignus in illo ultimo statu, quem fides nobis exhibet vel aeternaliter in Dei visione felicem, vel irremediabiliter miseria obvolutum. Conandum ergo nobis est, ut, Dei offensam sedulius devitantes, vitam traducamus bonis refertam operibus, ut illa nos dies inveniat, qualem eum decet esse, quem Dominus suavibus verbis sit allocuturus [3]: *Euge serve bone et fidelis... intra in gaudium Domini tui.*

Totam concludemus tractationem disertissimis verbis Bossuet [4]: *Bernard, Bernard, disait-il, cette verte jeu-*

1. 1 Cor., VII, 31. — 2. S. Io. Chrysostomus. Concio VI de Lazaro, n. 5. — 3. Matth., XXV, 23. — 4. *Panégyrique de S. Bernard*, 1er Point. Œuvres. Liège, 1862, t. I, p. 624.

*nesse ne durera pas toujours: cette heure fatale viendra, qui tranchera toutes les espérances trompeuses par une irrévocable sentence: la vie nous manquera, comme un faux ami, au milieu de nos entreprises. Là tous nos beaux desseins tomberont par terre: là s'évanouiront toutes nos pensées. Les riches de la terre, qui durant cette vie jouissant de la tromperie d'un songe agréable, s'imaginent avoir de grands biens, s'éveillant tout à coup dans ce grand jour de l'éternité, seront tout étonnés de se trouver les mains vides. La mort, cette fatale ennemie, entraînera avec elle tous nos plaisirs et tous nos honneurs dans l'oubli et dans le néant. Hélas! on ne parle que de passer le temps. Le temps passe, en effet, et nous passons avec lui; et ce qui passe à mon égard, par le moyen du temps qui s'écoule, entre dans l'éternité qui ne passe pas, et tout se ramasse dans le trésor de la science divine qui subsiste toujours.*

LAUS DEO ET DEIPARAE.

# INDEX

## QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

Paginae

## QUAESTIO TERTIA

### *De Caelo.*



## QUAESTIO QUARTA

### *De inferno.*



## QUAESTIO QUINTA

### *De purgatorio.*

## QUAESTIO SEXTA

*De signis extremum iudicium praecedentibus.*



## QUAESTIO SEPTIMA

*De resurrectione carnis.*

## QUAESTIO OCTAVA

*De conditionibus corporum beatorum resurgentium.*



## QUAESTIO NONA

*De conditionibus corporum damnatorum resurgentium.*



## QUAESTIO DECIMA

*De iudicio universali.*



## QUAESTIO UNDECIMA

*De innovatione mundi post iudicium.*

